





7
Matthæi
Hofmanni
XL
HOFM. a
KIRCH
II
6
567









# PROPHETIA APOCALYPTICA S. JOANNIS APOSTOLI

Accuratè, breviter, & clarè

EXPLANATA:

*Mundo præcipitante ad exitum, prout ex multorum, quæ hic prophetata sunt, impletione colligere licebit.*

HUMILI INTERPRETE
HENRICO KIRCHER
EX SOCIETATE JESU.

OPUS

*Nequaquam solis Theologis,*
*Sed omni homine Christiano,*
*Prout S. Joannes omnibus scripsit,*
*Dignum lectu, curiosum,*
*jucundum cognitu, ac*
*facilè intellectu.*

Catalogum rerum, quæ prophetantur, opportuniùs dabimus in fine.

Omnia submittendo S. Catholicæ Ecclesiæ.

---

*COLONIÆ AGRIPPINÆ,*
Apud PETRUM ALSTORFF, Anno salutis 1676.
*Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.*

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO DOMINO, D.

# OPICIO PALLAVICINO ARCHIEPISCOPO EPHESINO

SSmi D. N CLEMENTIS PP. X.

PRÆLATO DOMESTICO ET ASSISTENTI, ejusdemque ac S. Sedis Apostolicæ ad tractum Rheni, & alias Inferioris Germaniæ Partes, cum potestate Legati de Latere Nuntio. Domino suo humillimâ observantiâ colendo.

REVERENDISSIME AC ILLUSTRISSIME DOMINE, D.



*Vanquam inter omnes S. Scripturæ libros, unanimi interpretum omnium consensione, nullus reperitur eo sublimior, obscurior atque difficilior, qui ab ipso authore suo S. Ioanne Propheta, simulque Apostolo & Evangelista, Apocalypsis IESV Christi inscribitur, tum ob Symbolorum atque ænigmatum involucra, quibus nucleus veritatis convestitur, tum ob mysteriorum altitudinem, in qua humanâ licet humilitate, ut inquit S. Cyrillus præfat. in Evangelium S. Ioannis, author provehitur, instar altivolantis Aquilæ:*

*Attamen (quod non leve est Patris luminum, luminisque de lumine in Ecclesiam orthodoxam influxus argumentum) nullo unquam præteritorum seculorum defuerunt scriptores pii atque eruditi, uti Pererius notat, & Cornelius in Prolegomenis demonstrat, qui* Opus *hoc* immensæ difficultatis *(quo nomine Apocalypsin indigitat Pannonius Abbas in præfatione) forti constantique animo aggrederentur, qui* mare *hoc* magnum procellis & tempestatibus plenum, in quo omnis humana sapientia devoratur *(ut verbis Riberæ nostri utar in proœmio) carinâ licet fragili, non infeliciter tamen navigarent.*

*Hos inter uti ætate postremus, ita virtutis doctrinæque opinione fortassis non infimus, emersit hoc seculo decimo septimo, qui hoc anno in lucem prodit* R. P. HENRICUS KIRCHERUS Societatis JESU

*Theologus, & hujus Novesiensis Collegii Inquilinus, perspicacis vir ingenii, fidæ memoriæ, limati judicii, indefessi studii ac laboris, quibus non tantum sex linguarum præter maternam, nimirum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Italicæ, Hispanicæ, Gallicæque promptam expeditamque peritiam, sed variam quoque multarum scientiarum cognitionem sibi comparavit. Quibus instructus cum multos in provinciâ labores præclarè exantlasset, superiorum voluntate in Septentrionem profectus, in diversis stationibus, ac demum in ipsa Daniæ Metropoli, omnes viri Apostolici partes, inter gravissimas difficultates explevit, utque cæcas illas gentes ad veræ fidei revocaret lucem, librum, cui Stellæ septentrionalis nomen imponere placuit, magno multorum bono gaudioque emisit.*

*Præter hunc hoc nobis præsens Opus, à se perfectum limatumque paucis ante mortem septimanis, tamquam propediem parentis sui sollicitudine orbandum fœtum commendavit, in quo* PROPHETIAM APOCALYPTICAM *accuratè, breviter, ac clarè explanare instituit.*

*Quod utrum consecutus sit, Tuo potissimum sapientissimo judicio Reverendissime & Illustrissime Domine relinquendum putavit, cujus Illustrissimo nomine libri hujus frontem insigniri unicè desideravit, relicto nobis vice ultimarum tabularum brevi schediasmate, quo profitetur se incredibili illa humanitate ac benevolentiâ tuâ, quâ ex missione Danica ante triennium reducem, cum supra dicto libro, excipere dignata fuerat Celsitudo tua, captum, hoc Opus paulò magis arduum, ad ejusdem pedes deponere decrevisse, eâ spe fretum, quòd à Gentilitiæ & sacræ etiam dignitatis Tuæ radiis, non parùm lucis, per omnes Nuntiaturæ Tuæ Provincias esset accepturum.*

*Quam postremam viri sapientis voluntatem intervertere nec debuimus, nec voluimus nos ejus executores, quibus jam pridem erat in votis, extare ad posteros exiguum saltem aliquod monumentum demississimæ observantiæ nostræ erga Reverendissimam & Illustriss. Celsitud. Tuam, quæ sexcentas optimæ erga Provinciam universam, & nostrum quoque Collegium & verè paternæ voluntatis significationes jam pridem dare dignata est.*

*Nec poterat aptiùs cadere, quàm ut hoc sese Opus eum in finem offerret. quid enim magis consentaneum Reverendiss. ac Illust. Domine, quàm ejus libri, qui septem Asiæ Angelis, id est septem Ecclesiarum, interque eas Ephesinæ, Prælatis, ab ipso authore olim inscriptus est, ut patet ex cap. 1. v. 4.*

*v. 4. Apocal. explanationem ei humillimâ veneratione dedicare, quem S. Timothei primi Ecclesiæ Ephesinæ Angeli, dignißimum successorem meritò agnoscimus & veneramur: in cujus moribus priscam verèque Angelicam SS. Præsulum innocentiam atque integritatẽ expressam suspicimus & admiramur: in cujus Celsissimo munere Angelorum officia bono nostro Germani experimur, quos, dum Ephesios tuos per Barbarorum tyrannidem non potes, purgas, illuminas, perficis, non verbis tantùm, sapientissimisque,*
2. Cor. 5. *utpote ab oraculo Romano acceptis consiliis, sed, quod ad imitationem efficacius est, opere ipso, dum Christi, pro quo legatione fungeris, non personam tantùm exhibes, verùm etiam figuram formamque exprimis?*

*Ast jam ad hoc laudum tuarum compendium Reverendissime & Illustriss. Domine erubescit modestia tua. nihil ergo ultra adjicimus; sed nostro & defuncti recenter Authoris nomine precamur humillimè Reverendiss. ac Illustrißimam Celsitud. Tuam, ut hunc orbatum nuperrimè parente suo partum, matris, id est, Collegii hujus nostri manibus humillimè oblatum, atque ad pedes Celsitud. Tuæ depositum, ne repellas, sed eum in tutelam, defensionemque tuam suscipere digneris. Patere Reverendissime & Illustriss. Domine radiantem nominis tui Illustrißimi Clypeum in lucem primùm egredienti prætendi, ut majori splendore egressus plurium ad se lectorum oculos animosque convertat. Suscipe denique Rever. & Illustriß. Domine hoc levidense observantiæ erga tuam Celsitud. nostræ, gratique animi anathema, quod ad illum sapientiæ justitiæque tuæ thronum, in quo tanquam divinæ voluntatis interpres & Nuntius resides, si pateris, L. M. suspendimus: Provinciamque hanc nostram, atque Collegium perge ut facis hactenus, tuo favore tueri, ardore ad Apostolicos in septentrione labores accendere, sapientiâ dirigere, nos vicissim manemus, si aptos judicas,*

Rev^mæ^ & Illustriss^mæ^ Celsit^nis^ Tuæ

Obsequentissimum Collegium Novesiense
Societatis JESU.

PRIVI-

# PRIVILEGIUM CÆSAREUM
## ET FACULTAS R. P. PROVINCIALIS
### Societatis JESU ad Rhenum inferiorem.

CUm Sacræ Cæsareæ Majestatis decreto, omnibus & singulis Typographis & Bibliopolis, ac aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibus seriò prohibeatur, ne quisquam ullos libros à Societatis JESU Patribus hactenus editos, vel imposterum edendos, intra Sacri Romani Imperii, Regnorum & Dominiorum suæ Cæsareæ Majestatis Hæreditariorum fines, simili vel alio characteris genere, aut formâ, sive in toto, sive in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere, clam seu palam citra consensum, & testimonium supradictorum Patrum audeat, vel præsumat: potestate ad id mihi factâ à R. P. Nostro P. JOANNE PAULO OLIVA Societatis JESU Præposito Generali, Ego THEODORUS BOTE ejusdem Societatis JESU, per Provinciam Rheni inferioris præpositus Provincialis, PETRO ALSTORFF Typographo & Civi Coloniensi facultatem concedo, excudendi librum, cui Titulus, PROPHETIA APOCALYPTICA S. Joannis Apostoli accuratè, breviter, & clarè explanata, à R. P. HENRICO KIRCHER Societatis nostræ Theologo conscriptum, atque à deputatis ad id Patribus revisum & approbatum. In quorum fidem hoc ei Testimonium manu propriâ subscriptum, & Sigillo nostro munitum dedi. Coloniæ Anno 1676. 20. die Februarii.

L.S.

Theodorus Bote mp.

PROLO-

# PROLEGOMENON.

## §. I.

### *De Utilitate explanandi Apocalypsin.*

SI flebat multùm S. Joannes, ut dicitur in Capite quinto, propterea, quòd Volumen Revelationum Divinarum, scriptum intus & foris, dignum sanè lectu, signatum Sigillis septem, quod Volumen est præcipuum objectum Apocalypseos, nemo posset aperire neque respicere, v.3. & 4.

Dolendum, negligi explanationem.

Certè dolendum, quòd post tot elapsa sæcula & tot res gestas, quarum necesse est non paucas neque parvas in Apocalypsi prædictas contineri, consenescente mundo, adhuc illa jaceat sine studio singulari & curâ eam legendi atque intelligendi.

Non est putandũ esse impossibilem.

Non audio eos qui dicunt impossibilem explicatu: hi mihi videntur nomen evertere huic Libro inditum Revelationis; siquidem, ne impositio nominis ejusmodi & ejus inscriptio ad Ecclesias frustra sint, non est dicenda excedere captum & studium humanum, pium illud & invocato DEO ut par est ad sacras Scripturas.

Audio potiùs, tàm in aditu Apocalypseos, quàm in exitu, monentem DEUM, ut verba Prophetiæ hujus legantur, ut audiantur, & ut custodiantur, cum appromissione Beatitudinis; cap. 1. v. 3. & cap. 22. v. 7.

Quorũdam interpretatio non satisfacit.

Nam ex recentioribus Auctoribus qui postremi commentati sunt in Apocalypsin, quidam profectò insignes ad laudem, tàm multa scripserunt & præclarè in cæteras Scripturas, ut in hujus accuratam interpretationem non iis vacaverit singulariter incumbere: sed ad summum collegerunt opiniones variorum, & de iis judicium tulerunt; quibus nec ipsósmet videas acquiescere, contentos deinde effundi in locos communes & concionatorios. Equidem, in SS. veterum Patrum vestigiis, explicationem brevem molior & claram: atque in exponendo servabo illam methodum quam mox afferam in §. 3. Omnia DEI, & post illum DEIparæ ac S. Joannis scriptoris, auspiciis me Lectorésque adjuvantium.

Utilitas post tot sæcula.

Quòd si olim sua fuerit utilitas legendæ & expendendæ Apocalypseos juxta ea quæ citavimus verbis illius in et in ingressu & in fine: quantò major erit non jam dicam utilitas sed necessitas ejus intelligendæ & observandæ, ad quos post amplius sesquimillenos Christi annos censendum est pertinere multa & præcipua rerum gestarum? quæ hoc ipso quòd acciderint, & verò acciderint Ecclesiis & in Asia, non est dubitandum, quin fuerint in hoc libro Prophetico præsignata. Hæc si eruan-

tur ex Apocalypsi & inveniantur divinitus prædicta, conducent ad fines præcellentes & ad motus animorum præstantissimos: videlicet

Quinq; utilitates in anima Lectoris.

1. Ad agnoscendam Providentiam Dei & Agni, decernentem aut permittentem omnes, in suo pondere numero & mensura, quæcunque infestent ærumnæ Sponsam Agni Ecclesiam: & adorandum procidendo cum Senioribus & Animalibus, inter acclamantia millia millium Angelorum.

2. Ad æmulandam constantiam majorum nostrorum, qui tanta subierunt pro Christo, & in Libro Vitæ descripti nos excitāt suos posteros ad perseverandū cū eo in adversis: prout etiā perseveraturi sunt Christiani heroës in Antichristi sævissimâ persecutione.

3. Ad præmuniendum animum contra impendentem nostris sæculis tentationem, ac mala novissima, quibus tanquam aurum in fornace polientur Electi, & palea reproba exuretur. Quæ si minus fortè contingant nostrâ ætate, proderit meditatio Apocalypseos ad nósmet sanctè confundēdos, quando parvæ tribulationi succumbimus.

4. Ad exultandum in Deo, per gratiarum actionem illi, ac dilectionem; tùm verò etiam per spem porrò in eodem: futurum enim, ut Ecclesiam & in ea suos electos custodiat, & faciat cum tentatione proventum; eo indubitatissimo eventu, ut quantocunque amplius premetur illa palma, fortius erigatur.

5. Ad concipiendum sanctum contemptum hujus mundi, cujus consummationi certum est nos appropinquare post tot sæcula. Utpotè positos (ut conabimur ostendere) jam sub Væ primo de tribus: quorum secundum Væ erit tantummodò annorum trium & dimidii, de Væ tertio autem constat quod sit consummatio mundi & adventus Judicis, ut habetur libri Apocalypseos cap. XI. Ex reliqua Apocalypsi videbimus nos positos sub Bestia priore, neque expectari nisi alteram Bestiam Antichristum cum suo Regno, qui faciat potestatem prioris Bestiæ & Imaginem ei addat. Ut ut est, certissimum est ex Apocalypsi, propè abesse à nostris temporibus finem sæculi & breve Antichristi regnum. quo fit, ut magis jam sit necesse dicere illud S. Justini Martyris, in dialogo cum Tryphone, de Antichristo, ejusque tempore; ἤδη ἐπὶ θύραις, id est, jam pro foribus assistit: & illud S. Jacobi Apostoli cap. 5. v. 9. *Ecce Judex ante januam.*

De hoc contemptu sæculi & expectatione Judicis valeat in animis nostris admonitio S. Petri, epist. 2. cap. 3. *Cùm igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum diei Domini, per quem Cœli ardentes solventur & elementa ignis ardore tabescent!*

Age, pius Lector, priusquam pergat ad cætera, eliciat hos quinque affectus: adorationis & acclamationis: magnanimitatis & perseverantiæ: præmunitionis simul & demissionis sui: exultationis & fiduciæ in Deo super omnia dilecto ac fideli: neglectus mundi citò perituri; & expectationis Domini advenientis.

§. 2.

## §. II.

### *De Argumento : de phrasi: & de partitione totius Apocalypseos.*

Prophetat de periculis Ecclesiæ, & de præmio Beatitudinis.

1. APocalypsin, ut inter Scripturas Canonicas Novi Testamenti, rectè descripseris Prophetiam Ecclesiasticam.

*Argumentum* ejus est, tempora prænuntiare militantis Ecclesiæ, id est, pericula ei præostendere, spiritualia præsertim, & persecutiones spirituales ab exordio prædicationis Evangelicæ, usque in finem mundi & statum Beatitudinis in quo triumphet. Ita de Apocalypsi sensit magnus Doctor Augustinus lib. 20. de Civ. c. 8. *per totum hoc tempus*, inquit, *quod Liber iste complectitur, à primo scilicet adventu Christi, usque in sæculi finem.* Non igitur materia Libri Apocalypseos sola, etsi est de præcipuis, illud breve tempus quod est Antichristi : sed in tota Apocalypsi continetur totus status ac tempus Ecclesiæ; inde à Christo usque ad Judicium, in quo transitus fiet ad statum æternitatis aut Beatæ, aut reprobæ.

Tota, inde à primis Capitibus, est Prophetia.

Quomodo autem statim ab exordio Libri omnia sint Prophetica, declarabitur postea : & consentit id quod in frontispicio legitur positum divinitus v. 1. DEDIT ILLI DEUS PALAM FACERE SERVIS SUIS QUÆ OPORTET FIERI CITO. Unde & S. Hieronymus meminit futurorum; lib. 1. contra Jovin. cap. 9. *scripsit Apocalypsin*, ait, *infinita futurorum mysteria continentem.*

Quòd si Joannes ab initio Ecclesiæ & de sua coràm ætate aliquid adducat, id ipsum eatenus est propheticum, quòd intelligatur habere suos progressus & augmentum per reliqua sæcula : quo sensu dicitur cap. 1. v. 19. QUÆ SUNT ET QUÆ OPORTET FIERI POST HÆC. Quemadmodum est e. c. mysterium Equorum illorum de quibus cap. 6. in quo contra Equum album, rufus & niger, tum & pallidus intelliguntur per sua intervalla invalescere, furere denuò, nec penitus desinere usque ad ultimum tempus mundi.

Stylus altissimè Propheticus.

2. *Phrasis* seu stylus scriptionis Apocalypticæ est Hieroglyphicus rerum futurarum ; pellucentium in signis idoneis, arduis, & ad vivum præsignificantibus. Cùm enim omnes Prophetas maximè deceat locutio allegorica, ut dicit S. Chrysostomus hom. 10. in Matth. laudans Isaiam qui *hæc ipsa*, inquit, *per allegoricam significaverit figuram, quod certè genus loquendi maximè Prophetas decet* : tùm verò si talis sit allegoria, quæ per hieroglyphica rerum repræsentet eas ob oculos ( subobscurè quidem, quod est Prophetarum & mysteriographorum : etenim *qui*

*legit, intelligat* ) is est modus proponendi, qui & antequam res percipiatur, totum exsuscitat animum ad attentionem: & in percipiendo facit ex auditore spectatorem: & rem perceptam imprimit tenacius memoriæ. Estque sublimissimus stylus prophetandi res arcanas. quæ duo simul præconia, & arcanum & sublime, huic scriptioni tribuit S. Dionysius Areop. l. de Eccl. Hierarch. cap. 3. dum eam vocat *arcanam & mysticam omnino Visionem dilecti Discipuli, divinamque Domini JESU & altissimam Theologiam.*

Hæc methodus scribendi Prophetiam, postulat 1. Lectorem modestum, & ut S. Augustinus solet appellare mitem, ac donum in eo requirit Pietatis: qui assentiatur & laudet ea quæ intelligit æquè, atque ea quæ non intelligit. multò potiùs quàm Socrates Philosophus, ut de illo narrat Aristoteles, factitabat in legendo libro Heracliti, cui cognomen σκοτεινός, id est obscurus: *laudo* (inquiebat) *quæ intelligo, laudo etiam quæ non intelligo.* Poscit deinde Lectorem navum ac virum desideriorum, qui adhibeat sedulam disquisitionem verborum & interpretando flagitationem divini auxilii non sanè sine suo labore ac relectione identidem eorum, quæ non statim intelliguntur. Quod nonnunquam etiam de hac nostra explicatione volumus intelligi: si quando brevitas in scribendo, cui studebimus, officiet lumini claritatis, & postulabit in Lectore lumen ingenii quo adjuvetur, & moram quæ compenset.

3. Partiendo Apocalypsin secundùm ordinem quem Joannes servavit in scribendo; dividi debet in duas partes, quarum utralibet constet Capitibus undecim. Et quoniam S. Joannes postquàm dixit se fuisse in spiritu cap. 1. v. 10. identidem utitur vocabulo VIDI, non immeritò distingui utraque potest in Visiones Propheticas. quarum duæ præcedunt aperturam illius divini Libri (de quo cap. 5.) declaratorii divinæ Præscientiæ de temporibus Ecclesiæ. Harum prima est, in Cap. 1. illustris apparitio Christi & dictatio Epistolarum per duo sequentia Capita: altera, in Cap. 4. & 5. sessio in Throno, cum Libro qui datur Agno aperiendus. Reliquæ comitantur reserationem ipsam, ordine per septem Sigilla; quorum singulis detegitur pars Libri: juxta quem numerum Sigillorum etiam series Visorum in divino Libro rectè dicitur esse septem Visionum, quarum aliæ breviores, aliæ longiores. nam brevitatem quatuor primarum videri possunt supplere duæ illæ procemiales quæ ad illum aperiendum videndumque disponunt & referuntur. Demum illo DEI Libro sic viso per partes, ac toto devorato, finitur Pars 1. Apocalypseos, simul cum sono Tubæ septimæ quæ est ad Judicium.

Dividitur in 2. Partes: quarum singulæ in Visiones.

Similiter quòd etiam Altera pars Apocalypseos subdividi possit in suas Visiones, dicetur, DEO favente, initio secundæ Partis.

* * * * *

§. III.

## §. III.

## *De methodo explicandi quam servabimus.*

Explicaturus applicet eventa præterita.

PRincipio; modus explicandi Prophetias in genere, non est alius ordinarius quàm expectare eventura & applicare eventa. Ita SS. Patres ea pauca, quæ suâ ætate cœperant experiri, applicaverunt: Unde non est mirum quòd iidem SS. Patres non plenius exposuerint quæ tunc necdum contigerant, eaque posterioribus temporibus explicanda reliquerint. prout fatetur S. Irenæus l. 4. adv. hæres. c. 4. in illud Dan. 2. signa librum. *Omnis enim,* inquit, *Prophetia, priusquam habeat effectum, ænigmata & ambiguitates sunt hominibus: cùm autem venerit tempus & evenerit quod prophetatum est, tunc prophetiæ habent liquidam & certam expositionem.* Ergo memoriâ repetenda sunt ea quæ maximi momenti in Ecclesia compertum est accidisse: involuta enim sunt in Apocalypsi & pio attentoq; studio evolvenda.

Habeat ob oculos modũ quo in Apocalypsi quædam explicantur.

*Deinde*; in hac particulari Prophetia Apocalyptica exponendâ respiciendum est ad eum modum, quem tenuit Auctor Apocalypseos in iis, quæ ipsemet explicata inseruit ac nobis præiit ad eruenda æquè cætera. Sensit ac monuit hoc S. Augustinus lib. 20. de Civ. cap. 17. *In hoc quidem Libro, cujus nomen est Apocalypsis, obscurè multa dicuntur, ut mentem legentis exerceant: & PAUCA in eo sunt, ex quorum manifestatione indagentur cætera cum labore.* Comparatè ad multa quæ obscura relinquuntur, dixit manifestationem factam esse paucorum. Tale est illud Cap. 1. v. 20: septem Stellas, esse 7. Angelos seu Episcopos: 7. Candelabra, septem Ecclesias. & Cap. 5. v. 6. Cornua 7. & oculos Agni, esse septem spiritus DEI. Cap. 17. v. 8. 7. Capita, esse montes & Reges 7. & plura ejusmodi. Ex qua interpretatione manifestè docemur, hujus Libri non esse illum genuinum sensum, neque literalem appellandum, qui in primo cortice literæ apparet, sed eum, qui includitur in litera instar nuclei, Ecclesiasticum, & arcanum. Non proinde, exempli gratiâ, quatuor Equi, de quibus in Cap. 6. accipiendi sunt pro naturalibus equis: non ea, quæ de septem tubis in Cap. 8. & 9. interpretanda de naturali combustione tertiæ partis terrarum, & interitu tertiæ partis navium, de casu stellæ materialis, & obscuratione Cœli, veris locustis &c. præterquàm ubi de Judicio agitur extremo; in quo constat esse propriè intelligen-

dum quod dicitur de Filio hominis venturo in nube, de noviſſima tuba Angeli, de ſignis & conflagratione atque everſione mundi.

Id quod etiam verum eſt in ipſis Epiſtolis, Capite 2. & 3. quia ſimili ſunt phraſi dictatæ: non eſſe illic ſumenda pro materiali ſignificato, Lignum paradiſi, Manna, Stellam matutinam, & cætera ejusmodi: ut per ſe patet Lectori.

Pervetuſtus ſcriptor & magnæ æſtimationis in antiqua Eccleſia, ſanctus Ephrem, lib. de pœnitentia, in redarguendo errore Millenariorum (ex Apocalypſis Capite 20. verſibus 4. 5. & 6.) hoc ponit fundamentum ſanæ ſententiæ: *Si cuncta,* inquit, (hoc eſt, ſuppono quòd cuncta) *per parabolam & ænigma locutus eſt in Apocalypſi Joannes.* Urgentibus literam mille annorum inſtat: *Et ego abs te Candelabrum & Calculum candidum, & potionem tepidam repetam.* regerit *Mulierem eſſe Civitatem &c.* quæ cuncta ſymbolica. Et S. Hieronymus epiſt. 48. ad Marcellam de Libro Apocalypſeos ſcribens: *Cùm omnis,* inquit, *iſte liber ſpiritualiter intelligendus ſit.*

Advertat ad Prophetias veteres quæ ſubindicantur.

*Tertiò*, ſimul ad explicationem conducit attendere, ad quos ſe referat hæc Prophetia Libros aut ſententias aliorum Prophetarum Veteris Teſtamenti; quibus utique cenſenda eſt conſentire: præſertim Danielis, nec non Ezechielis; atque ipſius Chriſti, Matth. 24. de conſummatione Mundi & deſolatione finali: quibus adde etiam Paulum ad Theſſalonicenſes de Antichriſto.

Sine periculo eſt ſenſus multiplex.

*Quartò*; non eſt negandum neque obliviſcendum, quòd unius vocis aut ſigni plures eſſe poſſint ſenſus ſi eruantur. ita, ut in expoſitione hujus maximè Libri valeat illa regula S. Auguſtini de Scriptura univerſa: quòd in quolibet ſenſu atque interpretatione congruâ, modò ne contrarietur orthodoxæ fidei, benè accipiantur ea quæ dicuntur in Scripturis: tanquàm Spiritu ſancto copioſè plura ſimul proferente. Citabo verba S. Auguſtini, quia fuſius hoc docet, ad finem hujus §. (a)

Quòd ſi citra periculum utamur illa Regula in aliis Scripturis explicandis: quantò magis in Apocalypſi; quæ abditiſſima eſt omnium Scripturarum & fœcundiſſima plurium ſenſuum? de qua S. Hieronymus epiſt. 103. ad Paulinum: *Apocalypſis,* inquit, *Joannis tot habet Sacramenta quot verba: parum dixi &c. in verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ.*

De futuris nihil præſentiatur quod repugnet conſenſui SS. Patrum & traditioni.

*Quintò*; denique in iis, quæ necdum acciderunt, futuris noviſſimis, juvandi procul dubio ſumus communi conſenſu veterum Patrum, & traditione ac ſenſu Eccleſiæ: nihil ut aſſeratur quod his fuerit contrarium.

Notandum nos

Obſervandum pro hoc §. nos agere de explicatione & ſenſu literali Apocalypſeos quem profitemur velle adducere, & dicimus eſſe paſſim oportere ſignificatum myſticum, ut in hieroglyphicis vel parabolicis. Nam ſicut hoc

agere de ſenſu literali.

hoc omni eſt voci commune, ut ſit ſignificativa ejus quod concipit, & rei quam enuntiat is cujus eſt vox: ita ſcriptionis per hieroglyphica vel per ſymbola, ſicut & locutionis omnis parabolicæ, hoc eſt peculiare; quòd conceptus & res quæ ſignificantur, non ſint ſignificatio propria ipſius vocis aut ſigni, ſed metaphorica. Ut quando dicit Scriptura, Brachium Dei, ſenſus literalis non eſt id quod propriè ſignificat Brachium, ſed id quod per Brachium repræſentatur, id eſt Virtus operativa. Vel, ex Apocalypſi ſeptem Candelabra; non eſt ſenſus literalis id quod ſignificatur propriè per vocem Candelabrum, ſed id quod ſignificatur figuratè, quod explicat eſſe Eccleſias. Ita S. Thomas 1.p.q.1.a.10. ubi, cùm diſtinxiſſet à literali tres alios ſenſus ſpiritales; docet de ſenſu parabolico, quòd *ſub literali* contineatur. *nam per voces,* inquit (ad tertium) *ſignificatur aliquid propriè & aliquid figurativè: nec eſt literalis ſenſus ipſa figura, ſed quod eſt figuratum*: & adducit exemplum de Brachio modò commemoratum.

Et poſſe literales ſenſus eſſe plures ſimul.

Quòd verò etiam diximus, & valdè cupimus obſervari, plures eſſe poſſe ſenſus ejusdem Scripturæ aut vocis: intelligi ſimiliter volumus de ſenſu literali: quòd videlicet Spiritus S. qui eſt auctor ſacræ Scripturæ poſſit plura ſimul per & ad literam intendiſſe. quæ eſt doctrina S. Thomæ l.c. in Corp. *quia verò,* inquit, *ſenſus literalis eſt is, quem Auctor intendit, Auctor autem ſacræ Scripturæ* Deus *eſt, qui omnia ſimul ſuo intellectu comprehendit; non eſt inconveniens, ut dicit Auguſtinus, ſi etiam ſecundùm* LITERALEM *ſenſum in una litera ſacræ Scripturæ plures ſint ſenſus.*

Unde quod S. Hieronymus paulò antè citatus dixit, Apocalypſin eſſe ſpiritualiter intelligendam, tantundē eſt, ac dixiſſe, quòd ſenſus Apocalypſeos & expoſitio literalis debeat eſſe de rebus ſpiritualibus. ſicut & nos ſi quid forte dixerimus allegoricè accipiendum in hoc Libro, nolumus talem eſſe ſenſum allegoricum Apocalypſeos: ſed allegoriam eſſe ſenſum ejus literalem. Aliud eſt enim dicere, Scriptura illa eſt de rebus ſpiritualibus: & aliud, ille eſt ſpiritualis ſenſus illius Scripturæ, is quē S. Thomas diſtinguit contra literalem; nempe allegoricus, moralis, & anagogicus; qui ſupponunt ſenſum literalem & ſuper hunc fundantur.

(a) S. Aug. lib. XI. de Civ. cap. 19. *Divini ſermonis obſcuritas etiam ad hoc ſit utilis, quòd plures ſententias veritatis parit & in lucem notitiæ producit: dum alius eum ſic, alius ſic intelligit: ſive ad id quoque perveniatur quod ſenſit ille qui ſcripſit: ſive id quidem lateat, ſed* EX OCCASIONE TRACTANDÆ PROFUNDÆ OBSCURITATIS *alia quædam vera dicantur.*

Et lib. 3. de doctr. Christiana cap. 27. *Quando autem ex eisdem Scripturæ verbis non unum aliquid sed duo vel plura sentiuntur, etiamsi latet quid senserit ille qui scripserit,* NIHIL PERICULI EST. (addit: dummodò sententia, quam de verbis illis exsculpis, rectæ fidei non refragetur) *Ille quippe Auctor,* inquit, *in eisdem verbis quæ intelligere volumus, & ipsam sententiam forsitan vidit: & certè Spiritus qui per eum hæc operatus est, etiam ipsam occursuram Lectori vel Auditori sine dubitatione prævidit; imò ut occurreret, quia & ipsa est veritate subnixa, providit. Nam quid in divinis eloquiis largius & uberius potuit divinitus provideri, quàm ut eadem verba pluribus intelligantur modis? &c.*



APO-

# APOCALYPSEOS
## PARS PRIMA.

### Series ſeu diſtributio Capitum primæ Partis.

Procœmium. *Capite* 1. ponuntur hæc tria: Titulus & commendatio Apocalypſeos: Dedicatio ejusdem ad Eccleſias Aſiæ: & procœmialis illuſtris Viſio Chriſti in medio Eccleſiarum.

Epiſtolæ. *Secundum Caput & tertium* conſtant 7. Epiſtolis: quas eodem Chriſto dictante Joannes excipit, inſcriptas Epiſcopis illarum Eccleſiarum.

Viſio Throni; & Libri divini obſignati. *Capite* 4. & 5. deſcribitur altera Viſio, adhuc prævia Viſionibus Libri divini, & præparatoria: nempè de ſedente in Throno, & de Libro quem ex dextera ejus Agnus accipit.

Septem ſigilla: & totidem Viſiones. *Capite* 6. *& ſequentibus quinque*, cernitur aperiri & evolvi Liber Dei: & ut erat unaquæque pars Libri clauſa ſuo ſigillo, ſequuntur ordine ſeptem in illo Viſiones.

Harum ſeptima, quæ incipit *Capite* 8. interpoſito aliquo ſilentio & incenſatione, maximè eſt formidanda Viſio 7. Angelorum cum totidem Tubis:

Quarum cantus pertingit uſque ad exitum *Capitis undecimi;* in quo ſeptima Tuba canitur, Judicii extremi.

Finis Libri divini.

Et hunc esse finem Libri divini (non tantùm Sigillorum, ut quidam ingenio suo sibi excogitaverunt, nullo nixum fundamento in Apocalypsi) patet ex eo, quòd, ut erat apertus usque ad umbilicum & explicatus ac perspectus, datur devorandus Joanni. Monetur is, ut ea, quæ viderat, secum exactiùs ruminata prophetet iterum & inculcet sub schemate aliarum Visionum, de quibus in 2. parte Apocalypseos: ac nominatim ea quæ ruditer viderat ad Tubam quinti & sexti Angeli. Hi duo cecinerant duo *Væ*: quorum secundo, quia continetur coarctatio & angustia Ecclesiæ, tempore Antichristi regnantis, ideo *Capite undecimo* devorator Libri jubetur metiri Ecclesiam ejus temporis, & instruitur de duobus Testibus eam defensuris & amplificaturis.

Devoratur, ruminandus ut iterum prophetetur.

Finis Visionum I. partis.

Nam ad cantum septimi Angeli, quod est Væ tertium reproborum, & superveniet citò illi secundo, *consummabitur mysterium* DEI (prout jurejurando asserebatur cap. 10. v. 7. CUM primùm COEPERIT TUBA CANERE septimus Angelus) & erit (inquit cap. XI. v. 18.) TEMPUS Judicii MORTUORUM ET MERCEDIS Sanctorum.

Hactenus series I. Partis Apocalypseos.

TRACTA-

# TRACTATUS I.

## IN DIMIDIUM CAPITIS I. APOCALYPSEOS.

Dividamus hoc Caput in duas partes: quarum prima est Præfatio Joannis: altera est Visio proœmialis. Prima illarum partium est ab initio Capitis ad versum usque duodecimum.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Capit. 1. Versu 1.) *Apocalypsis IESU Christi, quam dedit illi DEUS*
, *palàm facere servis suis, quæ oportet fieri citò: & significavit, mittens*
, *per Angelum suum servo suo Ioanni,* (v. 2.) *qui testimonium perhibuit*
, *verbo DEI, & testimonium IESU Christi quæcunque vidit.* (v. 3.)
, *Beatus qui legit & audit verba prophetiæ hujus: & servat ea, quæ in*
, *ea scripta sunt: tempus enim propè est* (v. 4.) *Ioannes septem Ecclesiis,*
, *quæ sunt in Asia. Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui*
, *venturus est; & à septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt;*
, (v. 5.) *& à IESU Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum,*
, *& princeps regum terræ: qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris*
, *in sanguine suo,* (v. 6.) *& fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri*
, *suo: ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum: Amen.* (v. 7.) *Ecce*
, *venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.*
, *Et plangent se super eum omnes tribus terræ: Etiam: Amen.*
, (v. 8.) *Ego sum α & ω, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est,*
, *& qui erat, & qui venturus est, omnipotens.* (v. 9.) *Ego Ioannes fra-*
, *ter vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo*
, *IESU; fui in insula, quæ appellatur Patmos, propter verbum DEI, &*
, *testimonium IESU:* (v. 10.) *Fui in spiritu in Dominica die, & audivi*
, *post me vocem magnam tamquam tubæ,* (v. 11.) *dicentis: Quod vides,*
, *scribe in libro: & mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso, &*
, *Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, &*
, *Laodiciæ.*

## §. I.

### *Præfatio Joannis.*

Primi *tres Versus* habent Titulum: Auctorem: materiam: authoritatem: & utilitatem Libri.

Titulus. 1. *Titulus*, linguâ originali scriptoris, est Apocalypsis: id est revelatio tecta. nam τὸ ἀποκαλύπτειν habet significationes duas; quarum primaria est revelare, altera tegere: ita ut sit Revelatio sed arcanis tecta hieroglyphicis.

Auctor. 2. *Auctor* est Jesus Christus: qui accepit eam, tanquam Verbum quod procedit à Patre, & ab illo accipit omnia. *Internuntius*, Angelus mittitur ad Joannem, ut significet esse scribendam Apocalypsin: nam & inter scribendum aderit ministerium Angelorum suis signis res repræsentantium. *Scriptor*, qui & prædicator verbi quod audivit, & rerum quas vidit, est S. Joannes, manu & linguâ totus calamus atque *instrumentum* Scribæ velociter scribentis; ejus qui Scriptor *principalis* est Spiritus sanctus, Digitus Dei.

Materia. 3. *Materia*: digniora præcognitu pro servis Christi, quæ oportet fieri citò.

Authoritas. 4. *Authoritas*, testimonium Jesu Christi.

Utilitas. 5. *Utilitas*: quòd lectio & auditio conducant ad Beatitudinem: ut diximus in Prolegomeno, §. 1.

## §. II.

### *Dedicatio.*

Constat his tribus: *Versus 4. & seqq. usque ad duodecimum* habent Dedicationem Ecclesiis quæ sunt in Asia. Continet Dedicatio tria: salutationem: attestationem: subscriptionem.

1. apprecatione salutis. *Salutatio* constat apprecatione gratiæ, ut in Novo Testamento; & Pacis, quâ formulâ omnis benedictio significatur in Scriptura. Fit hæc apprecatio ab eodem illo qui & significasse dictus est (v. 1.) & mittere Apocalypsin suam: is est Jesus Christus. & fit ab illo bifariam, prout in una ejus eademque Persona considerantur duæ formæ distinctæ (sic eas appellat Apostolus Phil. 2. v. 6. & 7.) altera Dei, in qua in principio est

Bifariam ab eodē Jesu Christo:

Ver-

VERBUM: & altera servi, quam assumpsit in similitudinem hominum factus. Secundùm has enim Formas distinguenda esse, quæ à Christo, vel de Christo dicuntur, multis exemplis ostendit ex Evangelio S. Augustinus lib. 1. de TRIN. cap. 11. & 13. *Ista* (inquit cap. 11.) *Regula intelligendarum Scripturarum de Filio* DEI, *ut distinguamus quid in eis sonet secundùm formam* DEI, *in qua æqualis est Patri: & quid secundùm formam servi, quam accepit, in qua minor est Patre.* Hoc loquendi modo ac regulâ distinguendi, prima pars Salutationis est secundùm formam DEI: cujus essentiale nomen QUI EST (Exod. 3. v. 14.) ET QUI sicut in principio ERAT, ita & is, QUI in fine temporum VENTURUS EST; quod postremum attributum manifestè probat Joannem loqui de Persona Christi: cujus adventus magnopere conducit ad scopum hujus Libri Apocalypseos, & ad potestatem pertinet, quam habet ut DEUS est. prout præclarè docet S. Augustinus l. 1. cap. 13. *Secundùm id,* inquit, *quod* DEUS *est, judicat, hoc est, ex potestate divina, non humana.* nam quòd in forma hominis apparebit, ideo est (quem sensum habet quod dicitur Joan. 5. v. 27.) *ut possit & ab impiis videri*: oportet enim ut sit in Judicio conspicuus & bonis & malis. Quapropter, ait Augustinus, *Filius hominis judicaturus est, nec tamen ex humana potestate, sed ex ea, quâ Filius* DEI *est.* Cujus adventus erit, & ipse dixit Luc. 9. v. 26. *In Majestate sua & Patris & sanctorum Angelorum*, qui etiam ex hoc capite aptè conjunguntur

Primò, ut in forma DEI Angelorum.

cum adventuro ad Judicium. Nempè (ita pergit Apocalypsis) illo salutante consalutant vos Ecclesias Hierarchiæ Angelorum, & qui eas inter excellunt SEPTEM Principes: quibus cura est commissa & expeditio revelationum.

Quorũ 7. proceres stipãt Thronũ: ut servi ant Apocalypsi.

Hi sunt illi septem, quos Filius DEI dignatur nominare Cornua (cap. 5. v. 6.) & oculos Capitis sui, quod est Divinitas: cui proinde hîc subnectuntur ut instrumenta. Clarissimè S. Scriptura Tob. 12. v. 15. *Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem qui astamus ante Dominum.* quod allegat S. Cyprianus lib. 1. contra Judæos: *Angeli septem,* ait, *qui assistunt & conversantur ante faciem* DEI, *sicut Raphael Angelus in Tobia dicit.* Et prior Cypriano S. Clemens Alexandr. l. 6. Stromatum: *Septem quidem sunt,* ait, *quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum Principes.* Hi sunt Præsides constituti Ecclesiarum, & administri decretorum divinorum, quos adhibet assiduè IN CONSPECTU THRONI sui; nam ejus faciem divinam semper vident: quibus etiam utitur, & *mittit* in negotio Gubernationis *in omnem terram,* cap. 5. v. 6. qui similiter cernuntur stantes in conspectu DEI, cap. 8. v. 2. & datæ illis 7. Tubæ: & cap. 15. v. 7. phialæ septem in illo negotio.

Altera pars Salutationis est secundùm formam servi ab eadem Persona JESU CHRISTI assumptam: huic enim conveniunt omnia quæ commemorantur. Secundùm hanc est primus apud homines TESTIS FIDELIS & locuples, *qui testimonium reddidit fidum*

Deinde, ut in forma minorati ab Angelis.

*sub Pontio Pilato, bonam confessionem* 1. Tim. 6. v. 13. PRIMOGENITUS MORTUORUM, exemplar in martyrio & resurrectione: Secundùm hanc habet femur, & in illo scriptum *Principatum* REGUM TERRÆ: Secundùm hanc SANGUINE SUO LAVIT NOS: &, ut est Sacerdos ac Mediator, suâ pro nobis interpellatione FECIT NOS REGNUM, ET SACERDOTES DEO ET PATRI; id quod Petrus breviter dixit ep. 1. c. 2. v. 9. *Regale Sacerdotium*: & S. Aug. lib. 20. de Civ. cap. 10. *Omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis.* Quantum ad hanc Formam, est minor Angelis factus, ut cecinit Propheta, psal. 8. v. 6. &, ut loquitur Apostolus (Hebr. 2. v. 9.) *modico quàm Angeli minoratus:* ac procul dubio, ut loquitur ex eodem Apostolo Augustinus lib. 1. de TRIN. cap. 7. *Minor est seipso* suprà: hoc est enim dicere, *semetipsum exinanivit Formam servi accipiens* propter servos quos redimeret.

Summa totius Salutationis complectitur hæc tria: 1. VOBIS, inquit Joannes, redemptis GRATIA ET PAX ab illo, qui secundùm Formam DEI est naturaliter major Angelis: secundùm autem Formam servi, in qua vos redemit, minoratus est ab illis propter vos, quos cupit meminisse tanti beneficii & exinanitionis. 2. Inter hæc, Consalutatio à septem Spiritibus, & administratio vestrî, quam stipulantur 7. Ecclesiis DEI. 3. IPSI Redemptori vestro GLORIA ET IMPERIUM in vos æternum.

2. Attestatione advĕtus futuri.

Salutationi subjungit *attestationem*, de Christo palàm apparituro in NUBIBUS: Cujus qui diligunt adventum, dicunt ETIAM; quæ vox est firmissimè credentium, græcè ναὶ: & AMEN; quod est insuper optantium: non sine planctu adversariorum, QUI EUM PUPUGERUNT.

3. Clausulâ dedicationis velut subscriptæ manu Christi.

Clauditur Dedicatio per prosopopœiam Christi; tanquam qui subscribit Dedicationi aut ratam habet, principalis Auctor: v. 8. EGO SUM α ET ω Libri, VERBUM cui æternum est esse; qui sum OMNIPOTENS tã ad faciendum ea quæ prædixero, quàm ad vertendum ad salutem iis qui me habent pro *principio* & pro *fine* suo.

Datum per Joannem: Loco:

Sequitur versu 9. & 2. sequentibus: Locus scriptionis: & dies: & mandatum scribendi:

*Locus* est PATMOS, insula una Sporadum in mari Asiatico: veluti specula, ex qua septem circumspicit Ecclesias: exilium Joannis, in quo PARTICEPS est TRIBULATIONIS, quæ infertur à Domitiano; ET REGNI cœlestis, cujus mercede; ET PATIENTIÆ Christianæ, quâ sustinet unà vobiscum ut FRATER VESTER, ut prædicator *Verbi* DEI, & ut *testis* JESU. Addit, se fuisse illîc *in spiritu*: quod etiam repetit Apoc. 21. v. 10. id est, tota ei revelatio facta est per spirituales imagines, quæ occurrerunt oculis mentis. *Illa quippe Visio Prophetica* (ita de Apocalypsi S. Augustinus lib. 3. de TRIN. cap. 6.) *non est exhibita oculis corporeis per formas corporum, sed in spiritu per spirituales imagines corporum.*

*Dies*

Die: *Dies* ecstaseos ejus fuit Dominica; sancta. circiter annum Christi nonagesimum septimum: annis quinque & viginti post Hierosolymam excisam: quadriennio ante suum obitum: biennio antequàm scriberet Evangelium.

Jussu: *Mandatum* accipit: VOCEM MAGNAM, & POST se; quia de rebus magnis, & velut à tergo jam imminentibus: TANQUAM TUBÆ, quæ militantium aures meritò excitet ac perstrepat: *scribendi* hanc Apocalypsin & *mittendi* septem Ecclesiis quæ sunt in Asia; quas nominatim audit enumerari. Ad singulas 7. Ecclesiarum.

## §. III.

### *Cur ad 7. Ecclesias: & eas quæ in Asia.*

Universa eruditur Ecclesia. 1. AD septem Ecclesias scribitur: eò quòd harum septenario (qui numerus est absolutissimus in S. Scripturis) universa possit ac debeat accipi Ecclesia per totum orbem: ut rectè S. Chrysostomus: S. Augustinus: S. Gregorius. Et generatim loquendo, septenarius numerus multùm est familiaris huic Apocalypsi, sicut & aliis Scripturis ac figuris: de quo SS. Patres passim, quòd significet Universitatem. prout S. Gregorius hom. 33. in Evang. *quia enim 7. diebus omne tempus comprehenditur, rectè septenario numero Universitas designatur.* & ante eum Augustinus lib. 17. de Civ. cap. 4. *agnoscentibus*, inquit, *septenarium numerum, quo est universæ Ecclesiæ significata perfectio. propter quod & Joannes Apostolus ad 7. scribit Ecclesias: eo modo se ostendens ad unius plenitudinem scribere.* In promptu est ratio: Spiritus enim JESU Christi sic dictat quibusdam Ecclesiis, ut omnibus: Mar. 13. v. 37. *quod autem vobis dico, omnibus dico.*

Et admonetur assistentis Spiritus septiformis. 2. Simul eo numero insinuatur, Ecclesiæ universali sanctum assistere Spiritum septem donorum, quem necesse est requiescere super totum Christi corpus, quod est Ecclesia: ex vaticinio Isaiæ cap. 11. v. 2. & 3. Et quia fieri potest, ut particularis quæcunque Ecclesia alio magis quàm alio abundet horum 7. charismatum, ideò hæc parænesis earum, hæc instructio, hæc revelatio dedicatur ipsis septem.

Sed præcipuè cavetur Asiæ. 3. Jam verò quòd eæ nominatim Ecclesiæ enumerantur QUÆ SUNT IN ASIA, & ad illas jubetur scribi mittique: magna prophetandi vis inest huic dedicationi: juxta id quod innuimus in prolegom. §. 2. totam ab initio Apocalypsin esse prophetiam. Prorsus, sicut Irenæus dixit lib. 4. Adv. hær. cap. 38. NIHIL *hic vacuum neque sine signo apud eum.* neque enim vacat mysterio planè magno, quòd nominibus suis appellantur singillatim Asiaticæ: propterea quòd præcipua, quæ prædicuntur in Apocalypsi, sumpserint initium

Ubi Apostolatus Joan.

nis & hæc scriptio.

initium in Asia; & illic potissimùm gerenda prænuntientur; & sumptura sint finem in Asia: cujus proinde septem Ecclesiis, id est omnibus quæ in ea sunt orbis parte, præ cæteris cavetur per Apostolum Asiæ & dedicatur.

# TRACTATUS II.

## IN RELIQUA CAPITIS I.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Versu 12.) *Et conversus sum, ut viderem vocem quæ loquebatur* „ *mecum: Et conversus vidi septem candelabra aurea:* (*v.*13.) *& in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis,* *vestitum* „ *podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea:* (*v.*14.) *caput autem* „ *ejus & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix, &* „ *& oculi ejus tamquam flamma ignis:* (*v.*15.) *& pedes ejus similes au-* „ *richalco, sicut in camino ardenti, & vox illius tamquam vox aquarum* „ *multarum:* (*v.*16.) *& habebat in dextera sua stellas septem: & de ore* „ *ejus gladius utraque parte acutus exibat: & facies ejus sicut sol lucet in* „ *virtute sua.* (*v.*17.) *Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tam-* „ *quam mortuus. Et posuit dexteram suam super me, dicens: Noli* „ *timere: ego sum primus, & novissimus;* (*v.*18.) *& vivus, & fui* „ *mortuus; & ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo cla-* „ *ves mortis, & inferni.* (*v.* 19.) *Scribe ergo quæ vidisti, & quæ* „ *sunt, & quæ oportet fieri post hæc.* (*v.* 20.) *Sacramentum septem* „ *stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea:* „ *septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum: & candelabra septem,* „ *septem Ecclesiæ sunt.*

### §. I.

### *Visio proœmialis.*

NOn est putandum Apparitionem hanc temerè factam esse in tali effigie & non in qualibet alia. Christus est qui appâret, formam indutus & Ideam se ostendens Antistitis: ut est summus *Episcopus animarum* (1.Pet.2. v.25.) & *Princeps Pastorum* (cap.5. v.4.)

1. IN

Insignia Episcopalia: Christi, summi Sacerdotis.

1. IN MEDIO CANDELABRORUM, id est Ecclesiarum lucentium in hoc Mundo, velut in caliginoso loco cujus tenebras dissipant: & AUREORUM, quia coram DEO simul in pretio sunt & in probatione tanquàm aurum. Est autem Christus medium seu centrum illarum, ex quo & Ipse regit omnes Ecclesias, & in Ipsum omnes debent collineare. Sic & Episcopus quisque *in medio* sit suæ Ecclesiæ, Cleri,& plebis: ut is,cui omnium sit cura, & ad quem omnium oculi.

2. SIMILIS FILIO HOMINIS. Qui cùm in forma DEI esset, sponte se exinanivit (Philipp. 2.v.6.& 7.) *formam servi* accipiens in similitudinem hominum factus, per omnia similis excepto peccato. Sic qui pascunt gregem DEI, provideant ei spontaneè secundùm DEUM (1. Pet. 5. v. 2.& 3.) neque ut dominantes in Cleris, sed *forma facti gregis ex animo*: quantò excelsiores officio, tantò suâ sponte demissiores.

3. VESTITUS PODERE. quia Sacerdotio summo præditus: quod significat ποδήρης, sic dicta quòd sit tunica *talaris* (Exod.28.v.33. quæ propria erat summi Sacerdotis, cùm esset aliorum sacerdotum tunica brevior *usque ad crura* ut scribit S. Hieron: ad Fabiolam ep. 128. Sic Episcopum totum decet atque ornat vestis Religionis erga DEUM & cultum divinum: & ad hunc exercendum sit accinctus promptitudine velut Zona, de qua sequitur.

4. PRÆCINCTUS AD MAMILLAS: alteram Misericordiæ & dulcedinis, quâ lactat ut mater, blandiendo: alteram Veritatis & disciplinæ qua ablactat ut pater, corrigendo. Utriusque alternatio ad educationem spectat filiorum quos sacerdos generat DEO. hoc suum pectus & viscera sui cordis accincta habet quilibet. sacerdos ZONA byssinâ: id est,promptitudinem habet sanctam ac simplicem in porrigendis uberibus: at Summi Sacerdotis, cum qua hîc se Christus ostendit, propria est AUREA, hoc est auro undique intertextâ purissimo, charitate præcellentiore. Sic erant Paulo Episcopo (parturienti, Gal.4.v.19. & gignenti 1.Cor.4.v.15.) sic cuilibet alteri Episcopo sint hæ mamillæ Christi: circa quas & ex toto suo pectore sentiat se urgeri Zonâ aureâ, illâ de qua 2.Cor.5. v. 14. *Charitas Christi urget nos.*

5. CAPITE ET CAPILLIS CANDIDIS: id est, sapientiâ & maturitate consiliorum: quæ cùm emineant in Christo, provocat suo exemplo Episcopos. *Sic* enim decent eos *cani sensus*; *& hæc ætas senectutis* eorum, *vita immaculata*, Sap. 4. v. 8. & 9. quorum caput sit TANQUAM LANA ALBA sine ulla tincturâ simulationis: in capillis verò maturitas cogitationum candorq; in suadendo reniteat TANQUAM NIX.

6. OCULI EJUS TANQUAM FLAMMA IGNIS: perspicaces ad pervidendum, & efficaces ad permovendum cum illuminatione & inflammatione divini amoris,quem spirat intuitu & afflat quacúnque circumspicit.

*Sic* Epiſcopus à Chriſto conſtitutus ne circumferat oculos animales ſeu terrenos, ſed qui obvios quoſque accendant cœleſti igne, quem præferat vel ſolo aſpectu oculorum.

7. PEDES EJUS, affectus quibus movetur anima, firmi per conſtantiam, SIMILES AURICHALCO, id eſt æri probatiſſimo; quod SICUT IN CAMINO ARDENTI, in fornace paſſionis aut tentationis ampliùs reſplendet. *Sic* Epiſcopus ſpecioſis pedibus, quorum ſimilitudo ſit aurichalci ardentis, (quod conſtat inſtar eſſe gemmæ carbunculi) progrediatur & luceat in periculis, affectu animæ nunquàm fracto, fortis & conſtans per adverſa quæ occurrunt.

8. VOX ILLIUS, ſeu doctrina, TANQUAM VOX AQUARUM MULTARUM: quod ipſum Ezechiel cap. 43. v. 2. de gloria DEI Iſraël ajebat, *Vox erat ei quaſi vox aquarum multarum.* In voce, ſpectatur unitas: in aquis, confluxus gentium: in ſtrepitu aquarum, multitudini impreſſus impetus timoris divini. *Sic* eſt vox Epiſcopi, prædicatio verbi DEI (*præcipuum Epiſcoporum munus*; ut ait Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. cap. 2. & ſeſſ. 24. cap. 4.) in qua voce unitas doctrinæ orthodoxæ: aſſiduitas Auditorum confluentium: commotio animorum; *Verba*, ut ait S. Gregor. l. 19. mor. cap. 5, *terribilia de venturo Judicio, ſonantes procellæ.*

9. ET HABEBAT IN DEXTERA SUA Chriſtus ipſe ſummus Epiſcopus, in illa manu quâ dirigit omnia circa ſuos electos, STELLAS SEPTEM, id eſt Angelos Eccleſiarum de quibus infra v. 20: tanquam ſuos Suffraganeos & Vicarios: *dexter* DEUS, inquit S. Auguſt. in pſal. 7. *id eſt favens atque propitius.* *Sic* Epiſcopi habeant in dextera ſuos illos, & Clerum & adjutores: faveant, dirigant, adjuvent.

10. DE ORE EJUS GLADIUS UTRAQUE PARTE ACUTUS. is eſt *ſermo* DEI Chriſti (ad Hebr. 4. v. 12.) *efficax & penetrabilior omni* alio *gladio ancipiti*, *& pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus.* *Sic* ubi in ore Epiſcopali fuerit auctoritas & peritia ſermonis DEI, & (ſicut fuit in ore Præſulum Eccleſiæ antiquorum) is uſus Scripturarum quo potens ſit exhortari, exeret ſe inſtar gladii ancipitis;. tùm ad tuendam fidem rectam in ſua Eccleſia, tùm ad amputandos errores: inſuper & efficacis, qui penetret uſque ad dividendum ſpirituale in moribus populi, procul eo, quod eſt animale.

11. ET FACIES EJUS, converſatio ex qua dignoſcitur & præſentia radiorum ejus, ſplendida SICUT SOL, qui communicat lucem ſtellis cæteris & mundo: *Sol* enim eſt Chriſtus, qui ſolus *lucet* IN VIRTUTE SUA primigenia, Lux mundi, & diſpellit omnem poteſtatem tenebrarum. *Sic* & ad imitationem Chriſti, eſſe debet facies, id eſt præſentia & converſatio uniuſcujuſque Epiſcopi aut Prælati: cujus lux ſit in vir-

virtute sua intus, ut prælucere valeat foris.

Arche-
typon
Episco-
pale.

Talis igitur est Christi Episcopatus: & tale se hîc visendum sistit exemplar, ac speculum suorum Episcoporum quos habet in Ecclesiis.

## §. II.

### *Adoratio per Joannem.* (*v. 17. &c.*)

Adoratio latriæ.

1. APparuisse Christum; vel (quod eodem recidit) Angelum, qui apparuit, gessisse personam ipsiúsmet Christi, manifestum est ex eo, quòd Joannes adoraverit nec prohibitus fuerit. cùm aliàs quando non uno in loco existimavit Christum similiter apparere, inhibitus sit ab Angelo, ne, quam hîc exhibuit, exhiberet latriam. Itaque sæpè in Scripturis *Angelus*, inquit Augustinus lib. 3. de TRIN. cap. 11. *Dominus dicitur, quare? nisi quia per Angelum Dominus.*

Verba Christi ad Joannem.

2. Cecidit enim AD PEDES EJUS, & adoravit cum timore velut exanimis. Cui Christus, IMPOSITA DEXTERA SUPER eum protectionis ergò & confortationis, absterso *timore*: EGO SUM, ait, PRIMUS ET NOVISSIMUS; sic dictus Isai. 41. 4. & cap. 44. 5. & cap. 48. 12. Ego *auctor & ego consummator* rerum *fidei* (Heb. 12. 2.) in quem est aspiciendum cum fiducia. qui cùm sim DEUS semper VIVUS, FUI naturâ tenus humanâ MORTUUS, ET ECCE secundùm eandem naturam immortali vitâ fruor æternùm. Penes quem ut liberatorem totius generis humani, sunt CLAVES id est potestas MORTIS, quam cohibui ne sit animabus electis mortifera deinceps, ET INFERNI quem claudo & coërceo.

Jussio scribendi.

3. Jubet proinde Joannem scribere: QUÆ jam VIDISTI, ait, ET ea QUÆ SUNT, de præsenti statu Ecclesiarum, de quo incipiam tibi dictare ac revelare: &, quod est argumentum totius Libri, ea QUÆ OPORTET FIERI POST HÆC; id est ea quæ in posterum Ecclesiarum tempus infallibiliter sunt futura. ubi vox *oportet* adducit necessitatem vel absolutam, quando id quod prædicitur est ex decreto DEI; vel ex hypothesi, quando prædictio est culpæ seu peccati; etiam hoc enim infallibiliter prævidetur, sed in exercitio ipso liberi arbitrii humani præsupposito.

***
**

## §. III.

### *Explicatio quâ Christus præivit. (v. 20.)*

INitium explicationis fecit Christus: qui dum exponit Sacramentum, (græcè τὸ μυστήριον) stellarum & candelabrorum, suggerit modum & dat specimen explicandi cætera: ostendit enim esse Mysteria: simul indicat quod omnia hujus Libri referenda sint ad Episcopos & Ecclesias quibus prænuntiantur eventura.

Significatio Stellarū. 1. SEPTEM STELLÆ, inquit, ANGELI SUNT SEPTEM ECCLESIARUM: id est, Episcopi, sicut Stellæ, sic Prælaturâ excelsâ, sic officio & actione, sic exemplo; super omnia longè sublunaria: cœlesti specie, fulgore, & influxu præditi: digni quos ferat Christus in vola manus suæ, quos ostendat indice DEXTERA sua, & efferat ac figat in Cœlo suo, futuros (Dan. 12. v. 3.) *quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Respicitur enim ad locum Danielis citatum: & ad Baruch. 3. v. 34. & 35. *Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt* (ex privato lumine, ex suis custodiis; in lucem publicam Vocatione divinâ) *& luxerunt ei cum jucunditate qui fecit illas* Episcopos.

Significatio Candelabrorū. 2. CANDELABRA SEPTEM, ait, SEPTEM ECCLESIÆ SUNT. In his Candelabris respicitur ad figuram quæ in Tabernaculo veteris Legis præcesserat, in quo erat *Candelabrum de auro mundissimo,* & in eo *lucernæ septem* (Exod. 25. v. 31. & 37.) & ad visionem Zachariæ (cap. 4. v. 2.) *Vidi, & ecce Candelabrum aureum totum & septem lucernæ super illud.* in quibus etiam Prophetæ verbis Scriptores Ecclesiastici, teste S. Hieronymo in l. c. *Candelabrum aureum de auro purissimo Ecclesiam intelligunt.*

Dicuntur CANDELABRA: propter lucernam Spiritus sancti septiformis. quam Christus *accendens* (Luc. 8. 16.) *supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.*

Dicuntur AUREA: tùm ob pretium doctrinæ & Sacramentorum; tùm ob probationem virtutis & ob charitatem; de qua S. Hieronymus l. c. *Ecclesia aurea est Charitate & doctrinâ cœlesti.*

3. Non est prætermittenda appellatio ANGELI quam dat Episcopo. in qua respicitur ad Malachiam cap. 2. v. 7. *labia enim Sacerdotis* (hic per excellentiam, quod græcè dicitur κατ' ἐξοχήν, est Episcopus) *custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Custodient*, inquit S. Hieron. scientiam *ut loquantur in suo tempore déntque conservis cibaria in tempore suo.* Nomen Angeli:

Ac primùm Angelicæ est dignitatis Præfectura Ecclesiæ: nam & de illis cœlestibus scribens S. Clemens Alexandr. quod est dignitatis:

xandr. (lib. 6. strom.) *per gentes*, ait, *& civitates sunt distributæ Angelorum præfecturæ.* Deinde Angelicæ est functionis custodire scientiam legis & annuntiare in Ecclesiis, quod est esse ἀγγελεῖν & pro Christo (2. Cor. 5. v. 20.) *Legatione fungi.* Unde S. Hieron. in Malach. 2. *Angelus autem, id est nuntius, Sacerdos* DEI *verissimè dicitur, quia* DEI *& hominum sequester est, ejusque ad populum nuntiat voluntatem.* S. Ambr. lib. de initiandis cap. 2. *Sacerdos est Angelus qui Regnum Christi & vitam æternam annuntiat.* Jam illud quàm Angelicæ est vitæ: se Episcopum profiteri: esse Angelum aliorum in terris (Matth. 18. v. 10.) simul & videre faciem Patris per obtutum in divina! Meritò S. Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio: *aspicite Sacerdotis dignitatem: agitur in terra, sed officium cœlestibus negotiis continetur.* Accedit hoc proprium esse Angelorum superiorum, quod tradit S. Dion. Areop. de cœl. Hier. cap. 4. atque ex illo Patres ac Doctores: ut illuminent non tantùm homines sed & inferiores Angelos: sic Episcoporum est proprium, ut non solùm cæteris de plebe, sed etiam sacerdotibus & Clero impertiant luminis augmentum. Denique, ut ex hoc loco Apocalypseos constat, Ordinem Episcoporum habet Christus pro sua Hierarchia Angelica, & nomen iis imponit Angelorum!

Functionis: Vitæ: Hierarchiæ.

Refert inter Episcopos ut sint Angeli *boni*, quibus cordi & curæ sit præesse & custodire Ecclesias. Pudet Christum Angeli prævaricatoris, dominatoris in Clero, dissipatoris in Ecclesia, & scandali sub nomine & conditione Angelica. De hujusmodi additur statim, post id quod citavimus, in Malachia, v. 8. *Vos autem* (vos Sacerdotes, v. 1.) *recessistis de via & scandalizastis plurimos de lege: propter quod* (inquit v. 9.) *& Ego dedi vos contemptibiles,* &c.

# TRACTATUS III.

## IN CAPUT II. ET III. GENERATIM.

Caput 1. & 2. sunt Epistolæ septem dictatæ à Christo ad Episcopos. Distinguamus analysin earum in Tractatus breves quatuor: quorum primus sit de illis generarim seu communiter.

## §. I.

### *Analysis Epistolarum in genere.*

EPistolis his omnibus hoc est commune, quòd constent partibus tribus: exordio; quod est titulus illius qui mittit Epistolam: narratione; cuique Ecclesiæ consentaneâ: cautione; quæ postrema partim fit comminando, partim promittendo.

Partes Epistolæ.

1. *Exordium* uniuscujusque Epistolæ fundatur in Apparitione seu Visione præcedente. ex hac enim desumitur Titulus quem dicimus esse instar exordii, & repræsentat Episcopo qualem se debeat illi suæ Ecclesiæ præbere.

*Narratio* est de statu præsenti suæ Ecclesiæ, quam accepit sibi commissam;

Minæ vel promissa sunt *Peroratio* seu epilogus Epistolæ. Ubi semper illa formula promissioni annexa est: *qui vicerit*; videlicet legitimè in certamine contra adversa & adversaria Ecclesiarum animarumque quæ sunt vincenda.

Connexio partium in omni Epistola.

2. Tres illæ partes epistolares habent inter se connexionem eximiam: quæ consistit in eo, ut exordium & epilogus congruant narrationi de talis Ecclesiæ statu. qui trium consensus ad exactam structuram Epistolæ pertinet.

Clausula communis.

3. Epistolæ omnes habent circa finem hoc epiphonema his iisdem verbis: QUI habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. per quod datur intelligi; quod scribitur Episcopo, scribi totis Ecclesiis: eò quòd personam Episcopus gerat suæ Ecclesiæ, cui est præpositus (Hebr. 13. v.17. & rationem pro ea redditurus.

## §. II.

### *Epistolæ diversæ pro diversitate Episcoporum.*

EPiscopi unà cum suis Ecclesiis possunt septifariàm se habere: quorum sicut diversa est applicatio ad gubernandam Ecclesiam, & dispositio ac status suæ Ecclesiæ diversus, ita prophetatur eorum non idem exitus. & est Revelatio de toto statu Ecclesiarum mixto reprobis: in particulari autem ostendit Asiæ Ecclesias grandi egere præcautione, ut dicemus §. sequente.

Remissio in benè cœptis.

Episcopus ordine admonitionis primus, est qui cum labore aggreditur Episcopatum, & patientiam impendit, ac vigorem servat doctrinæ incorruptæ: sed opus & charitas prima remiserunt. quod est reprehensioni.

Cõstans

Secundus, cui & doctrina simul & vir-

profectus in tentatione. virtus cum tolerantia omnium persecutionum sibi constant. quod est laudi.

Hæreticorum mistura. Tertius cujus Ecclesia sic est orthodoxa, ut hæreticos habeat mixtos, quos non laborat convertere. servat quidem igitur ipse fidem cum suis; sed negligit adducere alios, & sedem evertere Satanæ, doctrinam scandali. quod est reprehensioni.

Seductionis impunitas. Quartus, ex humano respectu aut consideratione dissimulat seductionem in verbo, vel dissolutionem in disciplina. & hoc ferè per mulieres contingit: de illis S. Hieronymus, quòd pleræq; Hæresiarcharum insidiæ, mulierum operâ profecerint. hoc non corrigere, est reprehensioni.

Functiones externæ, sine spiritu. Quintus exteriùs videtur fungi officio Episcopali, & opinione hominum satisfacit: sed functiones illius non sunt plenæ coram DEO, quoniam carent spiritu & vitâ: id est, quia non conjungit exteriori officio vigilantiam & Zelum internum; unde necessariò fit ut ipso incurio moribunda multa vergant ad interitum. quod est reprehensioni.

Zelus pro viribus: & præservatio divinitus. Sextus, penes quem viget observatio doctrinæ ac virtutis, & inprimis zelus reducendi errantes. quod est laudi. Huic promittit aperire ostium conversionis aliorum, & ipsummet servare à tentatione.

Tepor. Septimus, cui merus est tepor: ubi inopia spiritus Episcopalis, & cæcitas intelligentiæ ad docendum, ac nuditas ab operibus. quod est reprehensioni, adeò ut Christo vomitum cieat talis Episcopus.

Ex his septem Epistolis digito DEI scriptis convincitur verum esse id quod *S. Chrysostomus* in Act. Apost. *paucos ex Episcopis salvari.* quo metu *Pius V.* sanctus, nostrâ propemodum ætate, cùm eligeretur, expallescens ait: *Ego quamdiu fui Religiosus, benè speravi de mea salute: factus Cardinalis cœpi timere: jam creatus Pontifex penè de ea despero.* Prô! tales Episcopi contremuerunt. Quid ergo ii de quibus *S. Cyprianus* ser. de lapsis: *Episcopi plurimi, quos & hortamento esse oportet cæteris & exemplo, divinâ procuratione contemptâ, procuratores rerum sæcularium fieri &c!* Quid verò ii de quibus *S. Bernardus* ser. 35. in Cant. *honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt: inde is, qui quotidie videtur, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus &c. pro hujusmodi esse volunt Ecclesiarum Præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, & Archiepiscopi!* Hæc Bernardus. Contra hos est æternum illud Væ per Ezechielem cap. 34. v. 2. *Hæc dicit Dominus* DEUS; *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos.*

## §. III.

### *Simul parænetica sunt, & prophetica.*

PRæmonitio per Epistolas datas ad Asiam, hoc est ad ejus Episcopos & Ecclesias, continet parænesin simul & prophetiam.

Parænesis prophetica.

1. Inculcat enim & cavet: Episcopo & Ecclesiæ primæ, charitatem primam non relinquere: sin, fore ut moveatur Candelabrum. (at relîquit horrendè per schisma!)

Ecclesiæ secundæ, esse fidelē in carcere & in tribulatione usque ad mortem: dabo tibi, inquit, coronam vitæ. (nonnulli Asiaticorum perstiterunt in fide.)

Ecclesiæ tertiæ, pœnitere & impendere se convertendis hæreticis: sin, ei se venturum citò.

Ecclesiæ quartæ, obsistere seductoribus: præmunire cæteros, ut, id quod habent, retineant usque in finem.

Ecclesiæ quintæ, surgere à mortuis: reminisci quo pacto acceperit & audierit, ac vigilare: sin, veniam ad te, ait, tanquàm fur: commendat vestimenta pura, & de libro vitæ suadet nôlle deleri.

Ecclesiæ sextæ, videtur reliquias prædicere sinceræ Catholicæ: eorum qui modicâ licet potentiâ, superiores evadent falsis fratribus, charitatem servaturi & liberi à communi tentatione. favet nomen Philadelphicæ Ecclesiæ, quod indicat amorem atque observantiam fraternam. Veruntamen præcavet etiam hîc: tene quod habes, ne corona transferatur in alium.

Ecclesiæ septimæ teporē exprobrat & nauseam quam movet Christo. Hortatur æmulari amantem, & ideò arguentem miseriæ; ac per pœnitentiam aperire pulsanti Deo.

Cautela prophetica.

2. Quòd tàm patheticè compellet unamquamq; Ecclesiarum sigillatim: QUI HABET aurē, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: quid aliud est quàm prædictio periculi Ecclesiis, his Asiæ præsertim? utique perseverantiam se requirere illarum, & defectioni futuræ cavere.

Demum de victoria finali, septies facta repetitio verborum, Vincenti, aut QUI VICERIT, quid est aliud quàm luculenta prædictio; in his certaminibus, verè Olympicis, non defuturos esse orbi athletas qui vincant extrema pericula, & contra quos diabolus quàmlibet tandem solutus, non prævaleat?

Phrasis emphatica.

3. Accedit quòd Epistolæ illæ omnes sunt propheticis phrasibus turgidæ passim: de motione candelabri: de ligno paradisi: de diebus decem: de corona: de morte secunda: de Nicolaitis qui soli nominantur, & Antipa teste fideli; sub quibus intelliguntur etiam cæteri, & latet prophetia de hæresiarchis multis ac martyribus: de pugna in gladio oris sui: de manna & calculo: de lecto Jezabeli præparato: de virga ferrea, & stella matutina, dandis: de vestimentis albis, & libro vitæ: de modica virtute: de Judæis iis qui non sunt: de alio qui accipiet coronam: de columna & nominibus inscribendis: de evomitione, de emptione, de indumento, de collyrio, de pulsu ad ostium, de cœna mutua & sessione. Ipse numerus septenarius Ecclesiarum Asiæ; & laus vix paucarum unius atque alterius è septem (secundæ & mediocriter sextæ,) & quidem cum appendice cautelæ ad utramque istarum: &c. quantam prophetiæ Apocalypticæ conferunt energiam!

TRACTA-

# TRACTATUS IV.

## ANALYSIS PRIMARUM TRIUM EPISTOLARUM.

Verba ſingularum præmittemus ſingulis deinceps §§is.

## VERBA APOCALYPSEOS.

Phraſis emphatica.

(Cap. 2. Verſ. 1.) *Angelo EPHESI Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit, qui „ tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem can- „ delabrorum aureorum: (v.2.) Scio opera tua, & laborem, & patientiam „ tuam, & quia non potes ſuſtinere malos: & tentaſti eos, qui ſe dicunt A- „ poſtolos eſſe, & non ſunt: & inveniſti eos mendaces: (v. 3.) & patien- „ tiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti. (v. 4.) „ Sed habeo adverſum te, quod charitatem tuam primam reliquiſti. „ (v. 5.) Memor eſto itaque unde excideris: & age pœnitentiam, & prima „ opera fac. ſin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco „ ſuo, niſi pœnitentiam egeris. (v.6.) Sed hoc habes, quia odiſti facta Ni- „ colaitarum, quæ & ego odi. (v.7.) Qui habet aurem, audiat quid Spiri- „ tus dicat Eccleſiis: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Para- „ diſo Dei mei.*

### §. I.

### *Epiſtola prima.*

Diximus in Tractatu præcedente, diſtingui Epiſcopos in 7. genera: & Eccleſias cum ipſis; *ſicut populus, ſic Sacerdos*, Iſa. 24. 2. porrò tribus partibus conſtare ſingulas Epiſtolas, iiſque aptis inter ſe.

Paraphraſis Epiſtolæ primæ.

1. AD Epiſcopum, qui cum ſua Eccleſia eſt de primo genere, ſcribitur hoc *Exordium*. HÆC DICIT QUI TENET 7. STELLAS IN DEXTERA SUA, QUI AMBULAT IN MEDIO 7. CANDELABRORUM AUREORUM. quaſi dicat: Memento eſſe te

Pars prima epiſtolæ.

te unam è Stellis, quarum est lucere luce cœlesti, & dignè meâ dexterâ. memento Ecclesiam quoque tuam esse Candelabrum aureum, meo sanctum Tabernaculo: ipsum verò me præsentem in medio Candelabrorum.

Pars secunda. 2. *Narratio.* Esto, habeas OPERA ET LABOREM, aversionem à pseudoapostolis quos rectè explorâsti, ET PATIENTIAM quâ SUSTINUISTI PROPTER NOMEN MEUM, neque illa patientia tua defecerit: attamen, quia CHARITAS prior, quâ cœperas, remisit, idcircò annuntio tibi necessarium esse, ut recuperes lucem primam qua luxisti ut stella, & charitatem qua arsisti. POENITENTIAM AGE ET PRIMA OPERA. sin pergis decrescere in charitate, ecce ambulo, inquam, inter candelabra, sum in motu is qui possum movere CANDELABRUM TUUM DE LOCO SUO: id est, auferam & transferam Ecclesiam istam in locum & ad gentem facientem (Matt. 21. v. 43.) fructus ejus. Hoc igitur HABEO ADVERSUM TE: cæterùm ea quæ geruntur ab hæreticis, rectè mecum ODISTI & iis te opponis.

Pars tertia. 3. *Epilogus.* comminationem præmissam temperat promissione: quòd si VICERIS labem inconstantiæ, per primum vigorem charitatis, atque in eo perstiteris: præmium tuum erit EDERE DE LIGNO VITÆ in paradiso: id est, immortalitas semper vegeta in Beatitudine.

Væ Stellæ quæ remittit de sua luce; Episcopo, cum sua Ecclesia, qui excidit de prima charitate & operibus. Mirum! Episcopo tàm laudabili v. 2. ab operibus, & labore, & patientiâ; ac v. 3. de zelo doctrinæ propter nomen Christi: tamen comminatur DEUS de movendo propter eum toto candelabro! *S. Nazianz.* Episcopus in Apologet. *Vitium Antistitis: non quàm optimum esse.* M. Joannes d' *Avila*: *Tot tantæque sunt Pastorum obligationes, ut qui vel tertiam earum partem reipsa impleret, sanctus ab hominibus haberetur: cùm tamen eo solo contentus gehennam non esset evasurus!*

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Versu 8.) *Et Angelo SMYRNÆ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit primus,*
, *& novissimus; qui fuit mortuus, & vivit:* (v. 9.) *Scio tribulationem*
, *tuam, & paupertatem tuam, sed dives es: & blasphemaris ab his, qui se*
, *dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga satanæ.* (v. 10.) *Ni-*
, *hil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex*
, *vobis in carcerem, ut tentemini: & habebitis tribulationem diebus de-*
, *cem. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* (v. 11.)
, *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Qui vicerit, non*
, *læditur à morte secunda.*

§. II.

## §. II.

### *Epistola secunda.*

Para-phrasis Epistolæ secun-dæ.

Pars pri-ma.

AD eum qui est de secundo genere Episcoporum : *Exordium* epistolæ. HÆC DICIT PRIMUS ET NOVISSIMUS ; QUI FUIT MORTUUS ET VIVUS. quasi dicat: Ego primus in tribulatione, & novissimus tuus remunerator ac finis quem tibi debes habere propositum; prior egometista perpessus, & ab iisdem istis, ad mortem quam intulerunt; & ecce vivo, transieruntque mea ista.

Pars se-cunda.

2. *Narratio.* SCIO de TRIBULATIONE TUA & persecutione usque ad exspoliationem ac rapinam bonorum tuorum istorum, cùm habeas tibi vera bona & DIVITIAS virtutum, inter quas BLASPHEMARIS AB HIS QUI SE DICUNT JUDÆOS ESSE, id est Confessores Dei, cùm sint SYNAGOGA SATANÆ. NIHIL HORUM TIMEAS QUÆ PASSURUS ES: adhuc enim tibi annuntio *carcerem* pro aliquibus tuorum, & durationem tuæ TRIBULATIONIS DIEBUS DECEM, id est aliquammulto numero, sed tamen finito. nam in ea significatione solet accipi in Scriptura numerus, decem : *Num.* 14. v. 22. *tentaverunt me per decem vices*, hoc est jam sæpè. *Job.* 19. v. 3. *En decies confunditis me.* 1. *Reg.* 1. v. 8. *melior tibi sum quàm decem filii*, hoc est complures. *Amos* 5. v. 3. *Urbs de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem.* & *cap.* 6. v. 9. *si fuerint decem viri*; hoc est, numerus qui denique finietur.

3. *Epilogus.* age porrò, promissa tibi est CORONA VITÆ : dummodò permaneas FIDELIS USQUE AD MORTEM. etenim QUI VICERIT istas ærumnas dierum atque adeò mortem quæ est corporis, ut omnibus communem, NON LÆDETUR à MORTE SECUNDA quæ est perpetua animæ & corporis, Apoc. 20. v. 6. & cap. 21. 8. in stagno ardenti. Pars tertia.

Benè Præsuli Ecclesiæ qui in tribulatione dierum suorum, quorum est numerus & quos posuit Deus mensurabiles, alacer permanet ac fidelis usque ad mortem, exemplo Christi; coronandus in æternitate diebus innumeris.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Versu 12.) *Et Angelo PERGAMI Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui habet rhomphæam utraque parte acutam : (v. 13.) Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ : & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Et in*

„ *diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi satanas habitat.* (*v.*14.) *Sed habeo adversus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, & fornicari*: (*v.*15.) *ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* (*v.*16.) *Similiter pœnitentiam age: si quo minus veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.* (*v.* 17.) *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum: & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.*

## §. III.

### *Epistola tertia.*

Paraphrasis Epistolæ tertiæ. Pars prima.

1. AD Episcopum qui est in tertio genere: *Exordium.* HÆC DICIT QUI HABET RHOMPHÆAM UTRAQUE PARTE ACUTAM. Quasi dicat: ex utraque parte percutit sermo meus, gladius spiritus: & eum qui non aufert scandala cùm debeat ex officio; & eos qui præbent.

Pars secunda.

2. *Narratio.* Tu qui HABITAS UBI simul est SEDES, seu cathedra id est doctrina, SATANÆ, ne sufficiat tibi quòd TENEAS NOMEN MEUM ET NON NEGAVERIS FIDEM MEAM. requiritur insuper alacritas & fortitudo pugnandi gladio prædicationis: sicut fuit ante te nuper Episcopo & martyri Antipæ (ad prædicandum iis ipsis à quibus trahebatur ad vincula: injecto deinde in bovem æneum. in Martyrolog. Rom. xi. April.) Quamobrem annuntio tibi ut extirpes doctrinam hæreticam Nicolaitarum, illam quam tribuunt Diacono Nicolao uni è meis septem Act. 6. v. 5. quæ defendit usum promiscuum uxorum & esum idolothytorum interim vetitum Act. 15. 29. Hoc enim est ipsissimum illud SCANDALUM quo pervertit Rex Balac Israëlitas, ex DOCTRINA & consilio BALAAM Num. 24. v. 14. & cap. 25. v. 1. per illicium filiarum Moab ad libidinem & idolothyta. Sed sicut tunc filii Israël redierunt ad pœnitentiam & ad fletum, cap. 25. v. 6. SIMILITER & tu qui fuisti socius scandali, cujus reus es, non sublati, esto socius POENITENTIÆ AGENDÆ, certus quòd ADVERSUS TE hoc HABEAM & à te repetere velim rationes illius.

Pars tertia.

3. *Epilogus.* præmittit comminationem: SI MINUS, & TIBI VENIAM CITO ad te convincendum & condemnandum; & ILLOS vel expugnabit GLADIUS ORIS MEI sermo divinus, vel damnabit. addit promissionem: *si viceris* hæreticos simili

mili gladio, habebis pro labore prædicationis MANNA ABSCONDITUM, de quo psalmus 30. v. 20. quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abscondisti! saporem ac delicias cœlestes (etiam in compensationem cibi ac voluptatis quam sustuleris è medio Nicolaitarum) & CALCULUM DABO CANDIDUM, id est tesseram felicem & suffragium album judiciale, cum *inscriptione nominis novi*, ut filius DEI nomineris & sis, pignus æternæ hæreditatis: cujus, sicut dulcedinem mannæ, ita pretium calculi ac nominis NEMO neque gustat neque SCIT NISI QUI ACCIPIT.

Væ Episcopo ab erroribus hæreseon non sublatis. alii errant & peccant, inquit: at tu Episcope pœnitentiam age: sin, veniam tibi; quia Episcopus es loci illius: tibi veniam, & adversus te, citò.

# TRACTATUS V.

## ANALYSIS TRIUM SEQUENTIUM EPISTOLARUM.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Capitis secundi Versu 18.) *Et Angelo THYATIRÆ Ecclesiæ*
, *scribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis,*
, *& pedes ejus similes aurichalco*: (*v.*19.) *Novi opera tua, & fidem, &*
, *charitatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua*
, *novissima plura prioribus.* (*v.* 20.) *Sed habeo adversus te pauca: quia*
, *permittitis mulierem Iezabel, quæ se dicit propheten, docere, & seduce-*
, *re servos meos, fornicari, & manducare de idolothytis.* (*v.*21.) *Et dedi*
, *illi tempus ut pœnitentiam ageret: & non vult pœnitere à fornicatione*
, *sua.* (*v.*22.) *Ecce mittam eam in lectum: & qui mœchantur cum ea, in*
, *tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint,*
, (*v.*23.) *& filios ejus interficiam in morte, & scient omnes Ecclesiæ, quia*
, *ego sum scrutans renes & corda: & dabo unicuique vestrum secundùm*
, *opera sua. Vobis autem dico,* (*v.* 24.) *& ceteris qui Thyatiræ estis:*
, *Quicumque non habent doctrinam hanc, & qui non cognoverunt alti-*
, *tudines satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud*
, *pondus*: (*v.* 25.) *tamen id, quod habetis, tenete donec veniam.*

„ (*v.26.*) *Et qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi*
„ *potestatem super Gentes,* (*v.27.*) *& reget eas in virga ferrea, & tam-*
„ *quam vas figuli confringentur,* (*v.28.*) *sicut & ego accepi à Patre meo:*
„ *& dabo illi stellam matutinam,* (*v.29.*) *Qui habet aurem, audiat quid*
„ *Spiritus dicat Ecclesiis.*

## §. I.

### *Epistola quarta.*

Paraphrasis Epistolæ quartæ. Pars prima.

1. AD eum qui est in quarto genere Episcoporum cum sua Ecclesia: *Exordium.* HÆC DICIT FILIUS DEI, QUI HABET OCULOS TANQUAM FLAMMAM IGNIS, ET PEDES EJUS SIMILES AURICHALCO. quasi dicat: is cui Pater est DEUS, cujus oculi ardent amore Patris sui & animarum, ac pedibus tenus refert aurichalcum probatum.

Pars secunda.

2. *Narratio.* equidem NOVI quidquid est in te consentaneum filiis DEI, FIDEM, CHARITATEM, MINISTERIUM, PATIENTIAM, OPERA quæ addis PLURA PRIORIBUS: novi è contrario & ADVERSUS TE expostulo, quòd permittas mulierem, velut alteram Jezabel 3. Regum 19. & 21. & 4. Reg. 9. nam sicut illa sectatrix fuit ac patrona Baal, ita ista apud vos est hæreseos Nicolaitarum, & cùm sit potens, seducit alios; aliquo jam *tempore* quod ei ad POENITENTIAM dederam incorrecta. Annuntio tibi, quòd illam quidem impudicam cum suis amasiis MITTAM in aliud genus LECTI mortalis (simile strato in quod missa fuit illa Jezabel, de quo 3. Reg. 21. v. 23. *Canes comedent Iezabel in agro:*) ac de illa & FILIIS EJUS statuam exemplum *omnibus Ecclesiis* (simile illi 4. Reg. 19. v. 37. ita ut prætereuntes dicant, *Hæccine est illa Jezabel?*) nisi si ad *pœnitentiam* fuerint adducti. Prout verò diversorum sunt RENES ET CORDA quæ SCRUTOR; ita diversa erit unicuique à me retributio operum. Sunt enim in vestra Ecclesia qui non sunt participes hujus DOCTRINÆ, nolúntque nôsse illas scilicet ALTITUDINES, græcè βαθέα id est profunda mysteria, *quemadmodum* isti appellant, sed revera occulta SATANÆ. Et his quidem sufficiat observandum, quod acceperunt ab Apostolis meis Act. 15. 28. & 29. de quorum consilio sicut visum est nihil ultra imponere tunc oneris, ita nec modò MITTAM SUPER VOS ALIUD PONDUS. Veruntamen caveo, ut ID QUOD *habent teneant* usque ad meum adventum.

Pars tertia.

3. *Epilogus.* expostulationi præmissæ & cautioni, addit promissionem: QUI VICERIT respectum humanum aut rationes mundanas ex quibus

quibus hæc permittuntur, DABO ILLI POTESTATEM, in fine mundi hujus, consimilem ei cui cùm diceretur psalmo secundo, Filius meus es tu, addita est potestas judiciaria; dabo tibi GENTES regendas in sceptro *ferreo*, per quod CONFRINGETUR omnis vis fragilis mundana: ET DABO ILLI STELLAM MATUTINAM; quod est mihi assimilari qui sum (Apoc. 22.16.) stella matutina, & confieri Filium DEI.

Tanta ratio reddenda incumbit statui Episcopali: ut quamvis ipse satagat commendari à fide, charitate, ministerio, patientiâ, & plura prioribus cumulet opera; & illorum pars magna similiter faciat qui sunt de ipsius Ecclesia: adhuc propter alios possit habere adversantem DEUM, & reus fiat illorum quæ cùm sit Episcopus, permittit aut dissimulat!

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Caput 3. V. 1.) *Et Angelo Ecclesiæ SARDIS scribe: Hæc dicit*
, *qui habet septem Spiritus Dei, & septem stellas: Scio opera tua, quia no-*
, *men habes quod vivas, & mortuus es.* (v. 2.) *Esto vigilans, & confir-*
, *ma cetera, quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram*
, *Deo meo.* (v. 3.) *In mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris, &*
, *serva, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, Veniam ad te tam-*
, *quam fur, & nescies qua hora veniam ad te.* (v. 4.) *Sed habes pauca*
, *nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua: & ambula-*
, *bunt mecum in albis, quia digni sunt.* (v. 5.) *Qui vicerit, sic vestietur*
, *vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de Libro vitæ, & confite-*
, *bor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.* (v. 6.) *Qui*
, *habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

## §. II.

### *Epistola quinta.*

Paraphrasis Epistolæ quintæ. Pars prima.

1. AD Episcopum quinti generis: *Exordium.* HÆC DICIT QUI HABET SEPTEM SPIRITUS DEI ET SEPTEM STELLAS. quasi dicat: velim te excitatum, cùm Angelicorum exemplo Spirituum, qui nomen geris Angeli & officium Præsidis Ecclesiarum: tùm aliorum consortio fervido Episcoporum sanctorum, qui lucebant aut lucent etiamnum.

Pars secunda.

2. *Narratio.* In somno enim es *mor-*

*mortis*, tu qui ſolo *vivis nomine* Paſtoris. Annuntio tibi, ut exurgas à fide tua & ab Ordinatione Paſtorali mortuis, adeò ut, VIGIL ipſe ac ſecurus vitæ, CONFIRMES eos qui tuâ ERANT incuriâ MORITURI: quod infirmum fuit conſolidando, ut habet *Ezechiel* ad Paſtores cap. 34. v. 4. Enimverò Epiſcopum dici te pateris, qui non laboras eminere virtute altiore ut Paſtor, formâ gregariorum & mediocritate vulgaris vitæ contentus. (contrà quàm *S. Gregorius* parte 2. curæ Paſtoralis cap. 1. *Tantum debet actionem populi actio transcendere Præſulis, quantum diſtare ſolet à grege vita paſtoris*!) Ubi ſunt, OPERA TUA Paſtoralia? NON ENIM INVENIO illa PLENA CORAM DEO, in cujus oculis es officio tuo velut mortuus. Exurge ſis, & IN MENTEM revoca qualem obligationem ACCEPERIS in impoſitione manuum, & quid AUDIERIS illîc tibi commendari; hoc SERVA, ET POENITENTIAM AGE de præterito. Nî ADVIGILAVERIS ut miniſterium tuum impleas 2. Tim. 4. 5. veniam ad te Judex horâ inexſpectatâ, SICUT FUR ſupervenit patrifamilias. PAUCA tamen HABES NOMINA innoxiorum etiam tu in tuo catalogo (Paſtoris eſt enim habere deſcriptas & nôſſe nominatim oves, Joann. 10. v. 3.) QUI NON INQUINAVERUNT VESTIMENTA interioris hominis, quos manet veſtitus gloriæ.

3. *Epilogus.* Addit comminationi præcedenti promiſſionem. ſi *viceris* ſomnolentiam tuam, *veſtiêris* (ut illi tui pauci, QUIA DIGNI SUNT) VESTIMENTIS ALBIS lucentibus, & NON DELEBO NOMEN tuum quod eſt notatum in LIBRO VITÆ: & CONFITEBOR illud egómet, non ut habeas nomen apud homines tantùm, prout hucuſque habuiſti v. 1. ſed CORAM PATRE MEO ET CORAM 7. Spiritibus DEI cæteriſque ANGELIS EJUS. Pars tertia.

Væ Epiſcopo oblivioſo quid ſit ſui officii accepti: Ezech. l. c. *quod ægrotum, non ſanaſtis; quod confractum eſt, non alligâſtis; & quod abjectum eſt, non reduxiſtis; & quod perierat, non quæſiſtis*, &c. Prælato non vigili, ſed mortuo, ſed cadaveri Præſulis, ſed malo odori domus DEI: coram DEO & Angelis ejus non Paſtori, ſed idolo inanimo Paſtoris, pro quo adoratur à populo & cujus nomen gerit. *Zach.* 11. v. 17. *O Paſtor & Idolum*!

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Verſu 7.) *Et Angelo PHILADELPHIAE Eccleſiæ ſcribe: Hæc*
, *dicit Sanctus & Verus, qui habet clavem David: qui aperit, & nemo*
, *claudit: claudit, & nemo aperit:* (v. 8.) *Scio opera tua. Ecce dedi coram*

„ *te ostium apertum, quod nemo potest claudere: quia modicam habes vir-*
„ *tutem, & servasti verbum meum, & non negasti nomen meum.*
„ (*v.9.*) *Ecce dabo de synagoga satanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & non*
„ *sunt, sed mentiuntur: Ecce faciam illos ut veniant, & adorent ante pe-*
„ *des tuos: & scient quia ego dilexi te.* (*v.10.*) *quoniam servasti verbum*
„ *patientiæ meæ, & ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in*
„ *orbem universum tentare habitantes in terra.* (*v.11.*) *Ecce venio citò:*
„ *tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* (*v.12.*) *Qui vicerit,*
„ *faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur am-*
„ *plius: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei*
„ *mei novæ Ierusalem, quæ descendit de cælo à Deo meo, & nomen meum*
„ *novum.* (*v.13.*) *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ec-*
„ *clesiis.*

## §. III.

### *Epistola sexta.*

Paraphrasis Epistolæ sextæ. Pars prima.

1. AD Episcopum sexti generis: *Exordium.* HÆC DICIT SANCTUS ET VERUS, QUI HABET CLAVEM DAVID; QUI APERIT, ET NEMO CLAUDIT; CLAUDIT, ET NEMO APERIT. quasi dicat: Ego ille per essentiam Sanctus & Verus: à quo omnis est conversio ad sanctitatem & veritatem: cujus est clavis scientiæ atque introitus ad Ecclesiam quæ est domus David, de qua & de clave ejus *Isaias* cap.22.v.22. *dabo*, inquit, *clavem domus David super humerum ejus; & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.*

Pars secunda.

2. *Narratio.* SCIO OPERA TUA, scientiâ non qualicunque sed approbationis. ECCE aditum DEDI CORAM TE APERTUM (OSTIUM ad aggregandos multos per Evangelium in Ecclesiam; Act.14. v. 26. 1. Cor. 16. v.9. & 2. Cor.2.v.12.) quem NEMO tibi *poterit præcludere.* quia non confidis in tua potentia, qui MODICAS HABES vires (græcè δύναμιν, sed in providentia mea, cujus SERVASTI VERBUM ET NOMEN confessus es viriliter. Macte tuâ illâ fiduciâ: nam *ecce* cum auxilio meo convertes obstinatissimos quosq; qui circum te sunt: falsi enim *sunt Iudæi* hoc est falsi Confessores & ex SYNAGOGA SATANÆ. agedum, hos tu pertrahe ad Ecclesiam: hæc siquidem veris constat Judæis in abscondito & in spiritu non litera, Rom. 2. v. 29. FACTAM UT ANTE PEDES TUOS accidant supplices precabundi Baptisma; quo initiati ADO-

RENT me non sine præconio tui *quòd* DILEXERIM TE. Præterea QUONIAM SERVASTI VERBUM PATIENTIÆ MEÆ in modico (numerus quippe gregis tui & potentiæ præ cæteris Asiæ Ecclesiis est exiguus,) ego SERVABO TE vicissim in magno, ut non prævaleat tibi defectio aliorum & HORA TENTATIONIS super-VENTURA *habitatoribus universi orbis.* Veruntamen tu quoque id QUOD HABES TENE usque ad meum *adventum* : ut CORONAM etiam TUAM NEMO alius præripiat.

3. *Epilogus.* Cautioni annectitur promissio. QUI VICERIT profligando errores, servaverit ipse verbum & adduxerit multos per ostium Ecclesiæ ad veritatem, FACIAM ILLUM COLUMNAM IN TEMPLO æterno immobilem è loco Beatitudinis, & celebrem : cui INSCRIBAM hos titulos ipsimet gloriosos; consors *nominis* DEI; *civis* NOVÆ JERUSALEM, ejus QUÆ origine suæ ædificationis DESCENDIT DE COELO A DEO MEO ; imitator & hæres *nominis mei novi*, quod est JESU Sancti & Veri Salvatoris animarum. Pars tertia.

Benè huic Episcopo Sancto & Vero, qui plenus fiduciâ & zelo animarum servat verbum ac propagat : servabit illum DEUS suus, & aperiet ei ostium conversionis multorum : eritque inter columnas Ecclesiæ nominatissimas. ita tamen si etiam ipse teneat constanter quod habet, ut nemo accipiat coronam ejus.

# TRACTATUS VI.

## IN EPISTOLAM VII. ET IN COLLECTANEA HORUM DUORUM CAPITUM.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Versu 14.) *Et Angelo LAODICIAE Ecclesiæ scribe : Hæc dicit :*
, *Amen, testis fidelis, & verus, qui est principium creaturæ Dei.* (*v.* 15.)
, *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus : utinam frigidus*
, *esses, aut calidus :* (*v.* 16.) *sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus,*
, *incipiam te evomere ex ore meo.* (*v.* 17.) *quia dicis : Quod dives sum,*
, *& locupletatus, & nullius ego : & nescis quia tu es miser, & miserabilis,*
, *& pauper, & cæcus, & nudus.* (*v.* 18.) *Suadeo tibi emere à me aurum*
, *ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis, induaris, &*
, *non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, ut vi-*
, *deas.*

„ *deas.* (*v.*19.) *Ego quos amo, arguo, & castigo. Æmulare ergo, & pœni-*
„ *tentiam age.* (*v.*20.) *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vo-*
„ *cem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum*
„ *illo, & ipse mecum.* (*v.* 21.) *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in*
„ *throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.*
„ (*v.* 22.) *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

## §. I.

### *Epistola septima.*

Paraphrasis Epistolæ septimæ.

Pars prima.

1. AD Episcopum qui est de postremo genere Episcoporũ: *Exordium.* HÆC DICIT AMEN, TESTIS FIDELIS ET VERUS, QUI EST PRINCIPIUM CREATURÆ DEI. quasi dicat: Hæc dicit Amen, id est is, qui est Veritas, & contestis ipsemet veritatis fidelissimus usque ad mortem, auctor renovationis spiritualis & principium omnis novæ creaturæ quæ sit inter electas Dei.

Pars secunda.

2. *Narratio.* Annuntio tibi OPERA TUA & *teporem*, cùm sis adscitus inter Spiritu ferventes (Rom. 12. v.11.) cui optabilius esset *frigêre* prorsus, id est sentire quòd esses manifestè impius; fortassis enim per antiperistasin accenderetur in te scintilla reliqua fidei, & gratiâ meâ excitareris ad calorem: jam verò sicut aqua tepida creat ori humano, sic tu mihi nauseam, *vomitum*, & horrorem. Jamque in statu es desperatiore: nam, ut per servum meum S. Gregorium scribam olim parte tertia curæ Pastoral.cap.1.admonit. 35. *sicut ante teporem frigus sub spe est* (*qui adhuc*, ait Gregorius, *in peccatis est, conversionis fiduciam non amisit:*) *ita post frigus tepor in desperatione.* Quo in statu, quid palpas te quasi aliter LOCUPLETATUM & felicem. *nescius* triplicis miseriæ tuæ (S.Greg. 34. mor. cap.3.) PAUPER enim es qui non comparas tibi veras divitias, quod est *divitem fieri in bonis operibus*, 1.Tim.6. v.18. ET CÆCUS, quia nec istud quidẽ agnoscis: ET turpiter NUDUS atq; expositus *confusioni* pro die Judicii & æternitate, quia non habes vestem nuptialem, nedum Episcopalem, tu qui intrâsti ut discumbas inter Episcopos! MISER tibimet, com-MISERABILIS autem mihi! SUADEO adversus paupertatem tuam, ut *emas* A ME AURUM Sapientiæ & initium ejus Timorem Domini qui sit probatissimus tanquam IGNI. age, absque argento tuo & absq; ulla commutatione digna Isai. 55.v.1. sed tamen eme; pretio quod tibi assigno meritorum meorum (*neque enim pretium*, ait S. Ambr.l.de Joseph Patriarcha, *quæsivit à nobis, qui pro nobis pretium sangui-*

*nis sui solvit.*) deinde adversus nuditatem tuam auctor sum tibi ut recuperes & INDUARIS VESTIMENTIS ALBIS, stolâ gratiæ, & charitate quæ operit multitudinem peccatorum 1. Pet.4.v.8. Denique in remedium cæcitatis tuæ, ut assuescas inungere te COLLYRIO meditationis novissimorum tuorum, quod est medicamentum contra lippitudinem; quia punget eductis lachrymis & purificabit OCULOS mentis, quibus VIDEAS periculum in quo versaris & evadas. Porrò sicut EGO ferveo *amore* tui & zelo salutis ex quo te ARGUO, ET paternè (græcè, παιδεύω) tanquàm filium CASTIGO: ita ÆMULARE tu quoque & vicissim responde meo amori: POENITENTIAM AGE, incipe: imposterùm autem, quod monet Apostolus meus 1. Thess. 5. v. 15. Spiritum noli extinguere, quod fit dum intepescis. *Ecce* enim per has inspirationes PULSO ad cor; & offero me, *intraturum*, ad te per amicitiam meam, hospitem tuum: invitoque tanquàm ad epulas sic ad fervorem, ad alacritatem, & lætitiam intimam; *cœnaturum* unà *mecum* SI *obedieris* & APERUERIS, ut es liberi arbitrii, JANUAM cordis parati.

3. *Epilogus.* Præter minas evomendi, quas initio annuntiaverat, & spem gratiæ, promittit adhuc: *qui vicerit* teporem & acediam, faciam eum requiescere à laboribus suis & *considere* MECUM IN THRONO MEO, sicut me *Pater*, *post* sudorem & partam *victoriam*, *sedere secum fecit* & quiescere. Pars tertia.

Væ tepido qui non est Amen, id est, verus ac fidelis Ecclesiasticus, aut Præsul: qui cùm ingesserit se: in Clerum, contentus locupletatione reddituum Ecclesiasticorum, inidoneus officio aut Prælaturæ demandatæ, velut nautea est in navi Clericorum, & Christo vomitus. De his S. Gregor. Nazianz. apologet. 1. *Aliorum me pudet: illotis ut dici solet manibus, profanísque animis, in sanctissima mysteria sese inferunt, ac, priusquàm digni sunt qui ad sacrà propius accedant, sacrarium ipsum affectant: pietate miseri, dignitatis splendore infelices.* Hæc & plura Nazianzenus. Ex verbis Christi optabile fuit, talem miserum remansisse in numero Laicorum! immò & in horum serie inter frigidos! quibus remissiùs futurum est multò coram Judice.

## §. II.

### *Finalis admonitio in singulis Epistolis: qui habet aurem, audiat &c.*

Sub finem singularum Epistolarum graphicè additur sententia,

tia, quâ tria significantur: 1. de auditu: 2. de Spiritu dicente: 3. de Ecclesiis.

Audiat:

PRimum est de audiendo. QUI HABET (inquit) AUREM, AUDIAT. Rom. 10. v. 17. vox est Apostoli, *Fides ex auditu*: ergo cui fides est Christiana, illi datum fuit organum auditus, quod est *auris* audiendi, Matth. 13. v. 9. refert, ut anima illo utatur organo quod habet à DEO & audiat.

Quid Spiritus dicat:

Alterum est de SPIRITU. Ostenditur quas Christus dictavit semel Epistolas Joanni, à Spiritu sancto dicendas ac diffundendas esse longè latéq;: esse illas plenas Spiritu Christi: & ad conservandum augendúmque Spiritum dirigi.

Ecclesiis.

Tertium est quod adjungitur: dici ECCLESIIS. quo dicto significatur, statum Ecclesiæ cujusque connexum esse cum statu sui Episcopi. Ille Caput est Corporis, quod par est regi à capite, atque accipere ab illo influxum & operationes spirituum. Sponsus est desponsatæ sibi à DEO, quæ illi adhæret. Pastor est à quo grex, qui divinitus ei creditus est, ducitur. Caput, non sine corpore: Sponsus non est sine sponsa; Pastor non sine grege. Laus unius est decus alterius: Vitium illius est dedecus corporis, sponsæ, gregis.

Tùm quia Ecclesia est in Episcopo:

Ut igitur censeatur Ecclesiis scripsisse, ad hoc duxit sufficere nominatos ab se fuisse Episcopos. *Ecclesia* (ita S. Cyprianus lib. de unit. Eccl.) *est in Episcopo.* Confidit DEus fore ut corpus suum alat, sponsam regat, gregem pascat. Confidit fore ut consideret utique quid nominis gerat, & quid loci occupet. *ideò dictus est Episcopus*, ait S. Aug. in psal. 126. *quia super-intendit, quia desuper videt: quomodo enim vinitori altior fit locus ad custodiendam vineam, sic & Episcopis altior locus factus est.* Confidit fore ut qui est Doctor Ecclesiæ, imbuat eam doctrinâ sibi dictatâ: fore ut qui est Stella, illuminet eam ac vegetet: fore ut is qui est Angelus ei assignatus, præcedat populum Israël, ita ut seipsum præbeat *exemplum bonorum operum*, Tit. 2. v. 7. & præcipiat aliis *ut irreprehensibiles sint*, 1. Tim. 5. v. 7.

Tùm quia penes Ecclesiam est præficere Episcopos.

Alio præterea ex capite oritur protestatio, dici Ecclesiis: & hæ provocantur ad audiendum Spiritum DEI: quia videlicet penes Ecclesias electio fit Episcoporum idoneorum. Magnus profectò & propheticus clamor cautionis inest verbis illis tantâ cum emphasi prolatis, toties repetitis, & ad Ecclesias singulas prænominatas! quarum aures est necesse velut tonitruo feriri ad illud fulmen à filio tonitrui septies editum: *qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Jam enim tot sæculis quicunque audit & attendit quid his acciderit Ecclesiis vitio ac schismate Præsulum suorum, tinniunt ambæ aures ejus: tinnitu meritò majore in auribus nostratium quàm fuerit summi Sacerdotis veteris 1. Reg. 3. v. 11.

Tonet hoc in auribus Ecclesiarum, & Cleri; his enim dicitur: hos esse reos, & horum fieri incuriâ si quis eligatur

aut præficiatur haud idoneus Episcopus, is qui suæ ruinæ totam suam involvat Ecclesiam. Gemit super his Episcopis simul & Ecclesiis Archiepiscopus Cardinalis Bellarminus, nostrâ memoriâ, lib. de gemitu col. cap. 5: *Origo enim malorum est*, inquit, *quòd Episcopi aliqui (semper enim excipio, inquit, bonos, qui nunquàm in Ecclesia universali desunt) non speculantur; vel speculantur quidem, sed agros & vineas & hortos, vel quomodo possint reditus Ecclesiasticos majores facere, vel domum suam ornare egregiâ supellectile, vel propinquos augere divitiis, vel ascendere ipsi ad gradus altiores. quid igitur mirum est, si Ecclesiæ eorum totæ sylvescunt!* Tanti hæc res fuit ponderis & curæ universo Concilio Tridentino, ut admonuerit Clerum; unáque de omnibus & singulis qui ad promotionem præficiendorum operam suam præstant, pronuntiaverit sess. 24. de ref. cap. 1: *mortaliter peccare; nisi quos* DIGNIORES *& Ecclesiæ* MAGIS *utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.* & in fine capitis: *nihil magis Ecclesiæ* DEI *necessarium, quàm ut* BEATISSIMUS ROMANUS PONTIFEX *bonos maximè atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat; idque eò magis, quòd* OVIUM *Christi* SANGUINEM, QUÆ *ex malo negligentium & sui officii immemorum Pastorum regimine* PERIBUNT, Dominus noster JESUS CHRISTUS DE MANIBUS EJUS sit requisiturus!

## §. III.

### *Colliguntur fragmenta Epistolica.*

Coacervemus simul: primò vitia quæ reprehenduntur. secundò, minas. tertiò, promissa quæ prophetantur.

Vitia. 1. VItio est primam Charitatem reliquisse: retinere eos qui palàm fovent hæreses: permittere seductionem in doctrina vel moribus: obdormisse quasi mortuum; nec inveniri opera plena: etiamsi perfectus sit, non tenere quod habet; esse tepidum.

Minæ. 2. Mala auguria pravæ administrationi per Episcopos:

Cap. 2. V. 4. habeo adversum te &c. memor esto itaque unde excideris. V. 5. veniam tibi & movebo Candelabrum tuum de loco suo.

V. 16. pœnitentiam age; si quò minus, venio tibi citò & pugnabo &c.

V. 20. habeo adversus te quia permittis.

Cap. 3: V. 3. si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquàm fur.

V. 16. incipiam te evomere ex ore meo.

V.17. es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. suadeo &c.

Promissio. 3. Promissa administrationi præclaræ Episcopi:

Si proficit in Charitate prima, vel eam citò recuperat per pœnitentiam: si fidelis usque ad mortem in tentatione: si extirpat hæreses: & antevertit seductionem: si custodit illud Apostoli, Tu verò vigila, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple, 2.Tim.4.v.5. si Zelum habet observationis verbi & conversionis animarum: si est fervidus, si bonus æmulator, si pulsantis Dei vocem audit & cor totum aperit:

Manet illum merces hujus & alterius vitæ: cujus utriusque tanta est dulcedo, tantum decus & majestas, atque ubertas tanta, ut unico nomine vel conceptu humano non possit exprimi, ideo conglobantur multa:

Cap.2.V.7. dicitur lignum vitæ:

V.10. Corona vitæ: *corona*, ei qui legitimè certaverit: *vitæ* autem, non corruptibilis sed immarcessibilis gloriæ.

V.11. immunitas à morte secunda.

V.17. manna absconditum: calculus candidus: nomen novum.

V.26. & 27. potestas super gentes.

V.28. Stella matutina.

Cap.3. V.3. vestiri albis; & de Libro vitæ indelebilem esse.

V.12. censeri Columnam in Templo æterno.

V.20. cœnare cum Christo:

V.21. in throno assidere Christi, omnium Episcopi.

Hactenus de Epistolis: quarum scopus fuit cavere Præsulibus & Ecclesiæ Dei: abstrahere à vitiis, excitare ad profectum, metum & spem injicere futurorum; maximè viciniore nunc adventu Domini & fine mundi. Ad eundem finem tota dirigitur Apocalypsis sequens. excitat enim atque incitat Sessio Dei & consessio Seniorum in throno, Agnus occisus, multimoda majestas, applausus sanctorum animalium, Angelorum, & Beatorum: gloria palmatorum Martyrum, cantantium Virginum, & damnatio reproborum &c. Huc spectatur per mulierem quæ habet sub se Lunam, & per insidias draconis devoraturi: per Bestias & persecutiones futuras, ac militiam usque in finem cum triumpho: per interitum Babylonis, pseudoprophetæ & draconis: per Jerusalem cœlestem, nova omnia, ducatum Agni ad vitæ fontes aquarum & fluvii ac ligni vitæ gustum perpetuum. Finis Epistolarum.

* * *
* *

# TRACTATUS VII.

## IN CAPUT IV.

Duo Capita, quartum & quintum, habent inter se connexionem: quia est Visio sedentis in Throno, & Libri quem Agnus accipit ex ejus dextera. Retineamus divisionem Capitum: & prosequamur per Tractatus duos connexos.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 4. Versu 1.) *Post hæc vidi: & ecce ostium apertum in cælo: & „ vox prima, quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens: „ Ascende huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc.* (v. 2.) *Et sta- „ tim fui in spiritu: & ecce sedes posita erat in cœlo, & supra sedem se- „ dens.* (v. 3.) *& qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis & sardi- „ nis: & iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ.* (v. 4.) *Et „ in circuitu sedis sedilia viginti quatuor: & super thronos viginti qua- „ tuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus „ eorum coronæ aureæ.* (v. 5.) *Et de throno procedebant fulgura, & voces, „ & tonitrua: & septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem „ spiritus Dei.* (v. 6.) *Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile „ crystallo: & in medio sedis, & in circuitu sedis, quatuor animalia plena „ oculis, ante & retro.* (v. 7.) *Et animal primum simile leoni, & secun- „ dum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi homi- „ nis, & quartum animal simile aquilæ volanti.* (v. 8.) *Et quatuor anima- „ lia, singula eorum, habebant alas senas: & in circuitu, & intus plena „ sunt oculis: & requiem non habebant, die ac nocte, dicentia: Sanctus, „ Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Omnipotens, qui erat, & qui est, & qui „ venturus est.* (v. 9.) *Et cùm darent illa animalia gloriam, & honorem, „ & benedictionem sedenti super thronum viventi in sæcula sæculorum.* „ (v. 10.) *procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, „ & adorabant viventem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas „ ante thronum dicentes:* (v. 11.) *Dignus es Dominus Deus noster acci- „ pere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & pro- „ pter voluntatem tuam erant, & creata sunt.*

§. I.

## §. I.

### *De Throno & quæ ad illum pertinent.*

Oſtium in Cœlo. VIdet OSTIUM APERTUM IN COELO: per quod ſignificatur adapertio cœleſtium myſteriorum: ſimul & gratia quæ offertur, ac præparatio ad cœlum patulum. Conſentit cum eo quod figuratum fuit Ezech. cap. 1. v. 1. *aperti ſunt cœli, & vidi viſiones* DEI: At Joannes ad cœlos inſuper apertum videt oſtiũ, quod eſt ingreſſus in eosdem.

Vox tanquàm tubæ. 1. Illuc intuitus, VOCEM audit PRIMAM, hoc eſt, eandem aut ſimilem illi priori de qua cap. 1. v. 10. TANQUAM TUBÆ ad ſe: ASCENDE HUC, SPIRITU tenus, ET OSTENDAM TIBI QUÆ in poſterum & certiſſimò ſunt eventura.

Myſterium apparitionis. Protinus in hac nova ecſtaſi videt in Cœlo aperto hieroglyphicon Divinæ Providentiæ ad ſalvandum genus humanum in Eccleſia per Evangelium; atque ad diſponendum de rebus futuris.

Sedens in throno. SEDES POSITA IN COELO ſignificat quietem gubernationis, & altiſſima conſilia. Is QUI *ſedet*, SIMILIS eſt colore partim *jaſpidi* qui ſubviridis, partim SARDIO qui ruber aut accenſus: quò repræſententur Miſericordia & Juſtitia, ſeu præmium ac pœna, quibus Divina Providentia gubernat univerſum mundum, & ſuos electos promovet ac perducit.

Circumdatus Iride. IN CIRCUITU SEDIS. habet *Iridem*: quæ ſymbolum eſt propitiationis, pacis, ac fœderis cum hominibus. In qua Iride, ut eſt diverſicolor, & uno tantum appâret in hemiſphærio noſtro (nam in altero non eſt propitiatio ſed niger examinis,) eminet præ cæteris color amabilis *viſu* (græcè ὁράσει) ſicut eſt *Smaragdus* ſuâ viriditate: qui color Gratiæ cæteris omnibus eſt amœnior & blandior: omnis autem *aſpectus* tanquàm relucentium gemmarum, attributorum DEI.

Seniores, 24. 2. Aſſident SENIORES Eccleſiæ quos DEUS ſecum participes fecit ſuæ gloriæ & conſiliorum. in quo nomine ineſt dignitas, quaſi dicat, Senatores DEI: multò illis 24. potiores, qui dicebantur (1. Paral. 24. v. 5.) *Principes* DEI, & habebant locum eminentiorem in Sanctuario. Hos enim dignatur adhibere Aſſeſſores in gubernatione ſuæ Eccleſiæ: proceres duodecim veteris Teſtamenti, juxta numerum 12. Tribuum: & proceres totidem Novi, juxta numerum Apoſtolorum. in *ſedilibus*; cum participatione poteſtatis judiciariæ futuræ: in VESTIMENTIS ALBIS; in Beatitudine & ſplendore: *coronatos auro*, pro victoriis, quibus ſe probaverunt in hac vita exemplum facti cæterorum.

Quo numero intelligitur conſeſſus omnium præcipuorum Antiſtitum aut Doctorum Eccleſiæ qui fulgeat inter

Beatos. Nam duodenarius (ut SS. Patres exactè & valdè meditabundi supputant) est numerus perfectus, puta, ductus per ternarium sacrosanctum in quatuor partes mundi: similiter & numerus 24. qui est duplus. Hi sunt Consiliarii DEI, & conscii secretorum ejus. Simul hîc exhibentur pro exemplari Consiliariorum in terris Ecclesiasticorum aliorúmve:

In quibus adhibendis utique *Senium* significat prudentiam: *vestis alba* sinceritatem seu candorem: *corona*, ut sit quisque illorum genio regis & incorrupto ad pronuntiandum ac procurandum ea quæ faciunt ad rectum regimen.

Fulgura, voces, & tonitrua. 3. Quod DE THRONO exeant FULGURA, VOCES, ET TONITRUA: fuit figuratum Exod. 19. v. 16. & significat promulgationem Legis Evangelicæ: fulgorem enim ejus: voces prædicationis & annuntiationem Regni cœlorum: non sine tonitruo minarum adversus transgressores: quæ omnia procedunt de Throno Legislatoris. Ac fulgor quidem primùm omnium videtur oculis, qui tantus est Legis Novæ, quantum fulgur quod paret *ab Oriente in Occidentem*: Tum voces *in omnem terram* audiuntur: denique Tonitrua *confringentia cedros*, simul ac DEUS *Majestatis intonuit*.

7. Lampades. ANTE eundem THRONUM SEPTEM LAMPADES, figuratæ per 7. Lucernas Candelabri veteris coram DEO. His significantur, inquit, SEPTEM SPIRITUS DEI: ardentes zelo pro prædicatione Evangelii: cooperaturi ad illuminandum & inflammandum mundum: iidem qui & Præsides Ecclesiarum cap. 1. v. 4. ad quas scribebatur.

Mare vitreum: Cominus IN CONSPECTU Throni TANQUAM MARE: *congregatio aquarum* Gen. 1. v. 10. id est populorum & gentium & linguarum Apoc. 17. v. 15. Natura fluxum ut aquæ: fragile sicut vitrum; conflatum à DEO per inspirationem, unanimitate doctrinæ quam suscipere cœperunt populi & linguæ ex omni natione quæ sub Cœlo est: consistens sub Imperio DEI: induratum cœlitus eâ fortitudine quâ crystallus, ac peræquè pellucidum. Simile crystallo. causa lucis est collustratio hinc Lampadum ardentium quarum illuminatur propinquitate; illinc Animalium (de quibus in §. sequente) calor & Evangelii splendor quo circumfulget: atque omnium præcipuè copia divinorum radiorum qui de Throno citra intermissionem incidunt in hoc mare; qui etiam faciunt illud conspicuum ac visu pervium cœlestibus. Dicitur is qui sedet in Throno habere illud in perpetuo suo *conspectu* & providentia. Per quod Mare signatur hieroglyphicè Ecclesia DEI, quæ instar maris diffusi totum ambit orbem terrarum: prout ipsa est in hoc tempore fluido & labili mortalium quo dilabimur omnes quasi aquæ in terram, 2. Reg. 14. v. 14.

Tanquã mare: Observat S. Augustinus lib. 20. de Civ. cap. 16. non esse hoc loco dictum *propriè Mare, sed tanquàm Mare*. Ergo tanquàm mare: quia simillimum huic sæculo, & ejusdem cum illo naturæ &

ortus

ortus ac speciei externæ. Tanquàm mare: quia Gentium (*aquæ enim populi sunt & gentes* Apoc. l.c.) divinitus congregatarum sub Cœlo; suâ naturâ fluentium & refluentium. Mare, ubi sicut urinatores & piscatores hominum, ita pisces homines: Mare, in quo adhuc rete trahitur Evangelicum: Mare, in quo boni interim & mali pisces: Mare, in quo gazæ in profundo, pretiosa virtutum in abdito recondita: Mare, quod putrefacta cadavera & inutilem algam respuere nititur in arenas: Mare, in quo negotiatio margaritarum pretiosarum, conchæ & corallia quæ progenerat.

Tanquã vitreum. VITREUM duas ob causas, quas modò innuebamus: primùm quia elementum per se molle, tenerum, & labile, & omne quod in eo Natura produxit caducum est ac vile; quidquid Gratia supra naturam non gignit atque elaborat: hæc est Sol divinus & hic influxus à Throno qui in illo Mari exercet vim suam. Deinde Vitreum: quia concretum aquarum cum æquis, uniformitate & consistentia doctrinæ; conflatum (sicut vitrum) calore, artificio, ac Spiritu Dei incubante super aquas.

Tanquã crystallinum. SIMILE CRYSTALLO tribus de causis, quas item indicavimus: tum quia contra procellas & ventos, qui nunquam non incumbunt, roboratur & indurescit: tùm quia in pretio est Deo, quemadmodum crystallus in numero est gemmarum (Plin. lib. 37. nat. hist. cap. 2.) tùm præsertim quia perspicuum eidem, & dilucida omnia, sedenti in Throno & aspicienti considerantiq; suam Ecclesiam in hoc mundo circumdantem terras, atque illuminanti eam: sicut elementum maris, quando fulget Solis radiis, refert speciem Chrysolithi gemmæ; cui etiam ipsi color est maris, & nomen apud gemmarios *Lapis maris*.

Simile mari aliquid obtulit se Prophetæ Ezechieli videndum in curru Dei, Cap. I. v. 16. *aspectus*, inquit, *quasi Visio maris*.

## §. II.

### *De Animalibus.*

Restant Animalia: in quorum descriptione occurrunt novem potissimùm consideranda.

Animalia quid. 1. ANIMALIA sunt Hieroglyphica quæ repræsentant 4. Evangelia, sive, ut S. Irenæus lquitur, *quadriforme Evangelium*. qui est communis sensus Ecclesiæ, & Traditio Patrum de his animalibus. Nec refert, neque incongruum est, quòd Joannes in hac prophetia suúmmet Evangelium ab se (biennio pòst) scribendum videat & connumeret.

Locus animaliũ in Visione.

2. Diſpoſitio eorum IN MEDIO SEDIS ET IN CIRCUITU SEDIS. id eſt, in medio ſpatio quod eſt è regione Throni, & circa illum illiúsque latera: inter Thronum & mare vitreum.

Cur appellentur animalia.

3. Dicuntur animalia, id eſt animata tota & in motu. ſic enim viſa ſunt eadem Ezechieli cap.1. in cujus verſum 11. & 12. S.Hieronymus: *Juncta ſibi ſunt*, ait, *Evangelia, hæréntque mutuò, & in toto orbe volitantia huc illúcque diſcurrunt: nec habent finem volatus, nec aliquando ſuperantur & recedunt, ſed ſemper ad ulteriora procedunt.* De quibus idem S.Hieronym. in prooemio Commentarii in Matthæum: *Hæc igitur 4. Evangelia, multò antè prædicta, Ezechielis quoque Volumen probat; in quo prima Viſio ita contexitur: Et in medio ſimilitudo 4. Animalium* &c. Et in Ezech. Cap.1. *pleniúsque*, ait, *in Apocalyſi Joannis horum Animantium ſpecies ac nomina referuntur ad 4. Evangelia.* Vidit ea Ezechiel in forma Cherubinorum, quo etiam nomine appellat Cap.10.v. 20. *Intellexi*, ait, *quia Cherubim eſſent*: ob ſcientiam omnium ſublimiſſimam. Unde S. Hieron. ep. ad Paulinum: *Matthæus, Marcus, Lucas & Joannes quadriga Domini & verum Cherubim, quod interpretatur Scientiæ multitudo* &c. Hoc diſcrimine inter Ezechielem & Joannem: quod ille ut ex vetere Teſtamento velut à longè ea prævideat & confuſa, perindéque ac ſi unicuique ſint quatuor facies (tametſi etiam Ezechieli primaria facies ſingulorum appareat humana) Joannes autem ut propiùs conſpecta diſtinguat, ita ut ſit cuique Animali ſua.

Hæc ſunt illa Animalia quæ Cap.6. Joannem evocant, & ei oſtendunt 4. Equos: quorum quartus oſtenditur ab Aquila, id eſt ab Evangelio quod Joannes erat adjuncturus.

4. Omnino QUATUOR recenſentur Animalia. de quo numero S. Irenæus lib.3. adv. hær. cap.11. *Neque autem plura numero quàm hæc ſint, neq; rurſus pauciora capit eſſe Evangelia.* congruere enim, ut ſicut 4. regiones mundi ſunt per quas Eccleſia, & 4. principales (inquit) ſpiritus ſeu venti illarum regionum, ita 4. ſint columnæ ejus, & 4. ſint ſpiritus vitæ, Evangelia quibus illæ regiones vivificentur. *Etenim*, ait, *cùm omnia compoſita & apta* DEUS *fecerit, oportebat & ſpeciem Evangelii* (numero & proportione tenus) *benè compoſitam & benè compaginatam eſſe.* Et S. Hieronymus prooemio in Matth. *Quibus cunctis perſpicuè oſtenditur, quatuor tantùm debere Evangelia ſuſcipi.* Numero quaterna.

5. PLENA dicuntur OCULIS. cui ſimile eſt illud Ezechielis, Cap.1. v. 18. *totum corpus oculis plenum in circuitu.* vel, ut LXX. verterunt: *& dorſa plena oculis.* quem in locum S. Hieronymus interpres: *Totúmque corpus & dorſa erant plena luminis in circuitu: ut nullum membrorum aſpiceres quod oculos luminis non haberet: qualemque deſcribunt fabulæ poëtarum Argum fuiſſe centoculum ſive multorum oculorum.* Et paulò poſt: *Totum autem corpus & dorſa plena oculis approbabit, qui viderit nihil eſſe in Evangeliis quod non luceat, & ſplen-* Plena oculis:

*splendore suo mundum illuminet: ut etiam quæ parva putantur & vilia, Spiritus sancti fulgeant majestate.*

Antè & retrò. Nam quod Apocalypsis dicit oculata esse ANTE ET RETRO: hanc addit significationem, quòd Evangeliorum perspicax sit acies & intuitus in ea quæ prædicta aut gesta fuerunt in vetere Testamento, quod est retrò ac tempus figurarum: & in Novum Testamentum, quod est antrorsum ac tempus quo figuræ implentur.

Dissimilitudo faciei. 6. Erant formâ Cherubinâ quæ referret hominem: voce humanâ articulatâ, ut patet infrà Cap. 6. dissimilia tamen inter se facie tenus; & in ipsorum trium aspectu seu facie aliquid ab humana diversum. Nam primum animal imitabatur vultum *Leonis*: secundum *Vituli*: tertium non nisi *hominis*: quartum *Aquilæ*. Breviter: apparere visa sunt illa 4. Animalia velut Cherubim in humana forma & voce, trium ex illis alio nonnihil & commutato vultu in leoninum, vitulinum, aquilinum.

Facies, quid. Obvia est expositio SS. Patrum, qui hanc diversitatem in hunc facillimum sensum acceperunt: *Facies* illa, est notitia sanctorum quatuor Evangeliorum; id est, initium & frons Evangelii ex qua unumquodque discernitur: nam in cætero corpore Evangelico est in re ipsa consensus omnium. Evangelium igitur Marci incipit à voce Joannis præcursoris in deserto, ceu rugitu Leonis: Evangelium Lucæ à Vitulo, id est vetere sacerdotio Zachariæ: Evangelium Matthæi ab humana generatione Christi: Evangelium Joannis à divinitate VERBI quò ut Aquila se librat ad *volandum*, fixo obtutu in ejus contemplationem. *Facies*, inquit S. Hieronymus (in Ezech. cap. 1. vers. 10.) *principia dicit Evangeliorum.*

7. In hac dissimilitudine primi aspectus commune omnium est Animalium significatum, unus & idem Christus qui repræsentatur: is qui & homo & leo & vitulus & aquila. Ita S. Ambrosius suo ævo plerosque existimare; sic enim scribit prooemio in S. Lucam; *plerique tamen hinc putant ipsum Dominum nostrum in quatuor Evangelii libris, quatuor formis animalium figurari, quòd idem homo, idem leo, idem vitulus, idem aquila: homo, quia natus ex* MARIA *est; leo, quia fortior; vitulus, quia hostia; aquila, quia resurrectio est.* Vel, ex S. Hieronymo brevius: qui in Incarnatione homo, in passione vitulus, in resurrectione leo, in ascensione aquila. Mutua unitas; ejusdem significati. Juvat his Patribus antiquiorem addere S. Irenæum lib. 3. cap. XI. *Omnium,* inquit, *artifex* VERBUM, *qui sedet super Cherubim & continet omnia, declaratus hominibus dedit nobis quadriforme Evangelium quod in uno Spiritu continetur.* Citat psalmum 79. v. 2. *David,* inquit Irenæus, *postulans ejus adventum ait, qui sedes super Cherubim, appâre. Etenim Cherubim quadriformia, & formæ ipsorum, Imagines sunt dispositionis Filii* DEI. *Primum enim Animal simile Leoni, efficabile ejus & principale & Regale significans: secundum verò simile Vitulo, sacrificalem & sacerdotalem ordinationem significans: tertium verò habens faciem quasi humanam, eum qui est secundùm Hominem adventum, eis manifestè*

*festè describens: quartum verò simile Aquilæ volitantis, Spiritus in Ecclesiam advolitantis gratiam manifestans. Et Evangelia his consonantia: in quibus insidet Dominus* JESUS &c. Denique idem Irenæus exactè: *Qualis igitur*, ait, *dispositio Filii* DEI, *talis & Animalium forma: & qualis Animalium forma, talis & character Evangelii.*

Currus Evangelicus.

Sensus Patrum est, quòd hæc inter se connexa pennatáque Animalia declarent Oeconomiam & dispositionem æternam VERBI incarnati: cujus infertur cognitio per 4. mundi partes, velut sedente Ipso super Cherubim, id est quatuor Evangeliis provehentibus famam ejus & characterem quadruplicem unde dignoscitur: videlicet, quòd verus Homo, quòd Doctor salutis, quòd Sacerdos, quòd æternus Filius DEI. hanc quaternam de eo notitiam præferunt primâ facie, seu intuitu sui ostentant illa Animalia: Homo incarnationem, Leo doctrinam, Vitulus immolationem, Aquila divinitatem ascendentis & provocantis ad Cœlum: quæ sunt 4. Stemmata Redemptoris. & in omnibus 4. Evangeliis est manus hominis, quia est opus liberationis humanæ. De illa quadruplici facie & de hoc opere Sedulius presbyter (anno Christi 430.)

Arma Christi natalitia: effigies 4. Animalium, cum manu hominis.

Hoc Matthæus agens *hominem* generaliter implet:
Marcus ut alta fremit vox per deserta *leonis*:
Jura sacerdotii Lucas tenet ore *juvenci*:
More volans *aquilæ* VERBO tenet astra Joannes.

8. Singulorum Animalium sex *alæ* sunt: sicut illæ summorum Angelorum Isa. 6. v. 2. quarum duabus, ut addit Isaias, obtegebant faciem, duabus pedes, & duabus exprimebant volatum. quâ cæremoniâ profitentur quàm sint intellectu incomprehensibilia mysteria quæ in his Evangeliis: quàm affectus, velut pedum, impar erga illa: & quòd cordi sit executio volandi atque Evangelio implendi orbem terrarum. S. Irenæus l.c. monstratam nobis esse docet *volatilem & pennatam Imaginem Evangelii.*

Alæ senæ.

9. ET IN CIRCUITU ET INTUS PLENA SUNT OCULIS. sicut enim v. 6. antè & retrò, sic v. 8. extrinsecus in circuitu alarum, & intra seu sub alis. Nimirum Evangelium Christi quadruplex totus est oculus & lumen hominibus: & ut S. Hieron. ep. supra citata ad Paulinum: *Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes* (id est Evangelia eorum) *per totum corpus oculati sunt.* Subdit Hieronymus: *terga pennata & ubique volitantia tenent se mutuò: sibique perplexi sunt, & quasi rota in rota volvuntur: & pergunt quocunque eos flatus Spiritus sancti perduxerit.*

Extra alas & sub alis oculi.

§. III.

## §. III.

### *De acclamatione Animalium & Seniorum: cum brevi repetitione ordinis in Visione.*

Trisagion Animalium.

1. VOx Animalium eadem est quæ Seraphinorum apud Isaiam cap. 6. Canunt sine requie, DIE AC NOCTE, SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS; tribus Personis uni *Omnipotenti*: QUI ERAT, inquiunt, ab æterno, ET QUI EST immutabiliter, ET QUI VENTURUS EST in ea Persona quæ operante totâ TRINITATE induta est naturâ humanâ; in qua Persona simul est ventura tota & necessariò TRINITAS per circum-insessionem conjunctissima. Rectè Animalia monent *venturum*: quia Evangelia præparant hominum genus ad expectationem adventus illius & Judicii.

2. Dum illa Animalia trisagion suum canunt sedenti in Throno, &, ut sunt tota animata Spiritu vitæ illius, reddunt GLORIAM, HONOREM ET BENEDICTIONEM VIVENTI IN SÆCULA æterna: protinus etiam SENIORES cum illis *procidunt* præ reverentiâ; *adorant* ex Zelo; & CORONAS ei suas assignant cum sub-*missione* & gratitudine.

Confessio Seniorum.

Atque hæc est vox procidentium: DIGNUS ES DOMINE DEUS NOSTER ACCIPERE GLORIAM, ET HONOREM, ET VIRTUTEM (quod est Trisagion Seniorum & depressio sui in triplex nihilum suiipsorum; naturæ, gratiæ, beatitudinis:) QUIA TU CREASTI OMNIA: ET PROPTER VOLUNTATEM TUAM ERANT: ET CREATA SUNT. Id est: Tibi, inquiunt, omnia reddimus accepta: Creatori enim; ideas divinæ mentis Tuæ, effectrices rerum omnium, & per decretum *voluntatis Tuæ*: ibi in ideis illis tuis sempiternis atque in illo tuo decreto *erant* ab æterno: jámque in tempore *creata sunt*, ex nihilo suimet Te auctore, ad quem solum est referendum omne esse earum naturale & supra naturam.

3. Addamus Anacephaleosin hujus Capitis; & ordinem totius Visionis; qui sic habet.

Ordo Visorũ.

Sessio DEI in Throno:

Circa eum sedilia, seu throni minores juxta positi, super quæ Seniores 24.

De Throno sicut in Sinai Vox Majestatis, Nova Lex Christianorum, & Evangelica.

Ante Thronum 7. Lampades, hieroglyphicæ septem Spirituum Præsidum, ardentium charitate DEI & mundi inferioris de quo agitur illuminando per Ecclesias.

E regione in conspectu Sedis Mare vitreum.

Circum in medio, inter Sedem & Mare

Mare vitreum, ſpatium pro Animalibus quæ nullum faciunt finem deprædicandi: ſicut nec Seniores ferendi accepta Deo ſua ipſorum merita, ex ſuo nihilo in quod procidunt &ex quo dicunt eſſe omnia.

Procidamus & nos coram Throno, qui hæc legimus,& proſtrati dicamus Triſagium cùm Animalium tùm Seniorum: proſtrati in triplex nihilum noſtrum, nihilum naturæ, nihilum gratiæ, nihilum beatitudinis.

# TRACTATUS VIII.

## IN CAPUT V.

Continuatur Viſio Capitis præcedentis.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 5. Verſ. 1.) *Et vidi in dextera ſedentis ſupra thronum, librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem.* (v. 2.) *Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna: Quis eſt dignus aperire librum, & ſolvere ſignacula ejus?* (v. 3.) *Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram, aperire librum, neque reſpicere illum:* (v. 4.) *Et ego flebam multùm, quoniam nemo dignus inventus eſt aperire librum, nec videre eum.* (v. 5.) *Et unus de ſenioribus dixit mihi: ne fleveris: ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.* (v. 6.) *Et vidi: & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum, agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem: qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram;* (v. 7.) *Et venit, & accepit de dextera ſedentis in throno librum.* (v. 8.) *Et cùm aperuiſſet librum, quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum:* (v. 9) *& cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula ejus: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione:* (v. 10.) *Et feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes: & regnabimus ſuper terram.* (v. 11.)

" (v.11.) *Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu*
" *throni, & animalium & seniorum: & erat numerus eorum millia mil-*
" *lium, (v.12.) dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est,*
" *accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, &*
" *honorem, & gloriam, & benedictionem. (v.13.) Et omnem creatu-*
" *ram, quæ in cœlo est, & super terram & sub terra, & quæ sunt in mari,*
" *& quæ in eo, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, & Agno, bene-*
" *dictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. (v.14.) &*
" *quatuor animalia dicebant: Amen. Et viginti quatuor seniores ceci de-*
" *runt in facies suas: & adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.*

## §. I.

### *De Libro clauso.*

1. VIdet IN manu DEXTERA, quod est felix omen (& *favor gratiæ*, ait Augustinus in psal.17.) SEDENTIS in Throno, LIBRUM: SCRIPTUM INTUS ET FORIS: quod idem dicebatur de Libro quem vidit Ezechiel cap.2. v.9. epistographum, id est plenum characteribus non solum interius sed & à tergo: an priscorum more convolutus fuerit ut ille Ezechielis, an aliter, nihil refert: SIGNATUM SIGILLIS SEPTEM, id est universè in omnibus Libri partibus arcanum. *Erit vobis*, inquit Isaias cap.29. v.11. *Visio omnium sicut verba Libri signati.*

Liber.

Is Liber, in manu DEI, sunt mysteria Apocalypseos quæ in DEI præscientia & providentia sunt descripta: verbo, Diphthera futurorum; scripta *intus* pro electis, *foris* de reprobis. Et sunt Libro partes septem: cujus unoquoque sigillo soluto inspicitur & legitur sua mysteriorum Libri pars. (nam alia contineri sub Sigillis septem usque ad Caput undecimum Apocalypseos, & ab illo capite incipere Librum, purum est commentum.) Prorsus, ut quæque sigilla aperiuntur, ita pars Diphtheræ foris & intus scriptæ patefit: erat enim in 7. partibus distinctis sigillatus Liber, ut nulla ejus pars legi posset non aperto ejus partis sigillo.

Partes ejus obsignatæ.

Ubi, ut pro captu literæ & imaginatione adjuvandâ illud obiter moneamus, non est concipiendum quasi 7. Sigilla simul & semel exterius obsignent totum Librum, prout proclive est concipere tanquàm in nostrate hodierno libro: sed fuit Liber in unaquaque sui parte seu tomo scriptus undique, & clausa unaquæque pars suo sigillo: quo proinde artificiosè sublato, id quod nemo poterat alius quàm Agnus, apparebat scriptura intus & foris, patebátque legenti.

Præco Angelus.

2. Sequitur vox præconis, *Angeli fortis:* quo nomine ostendit se quærere fortem ad aperiendum; & fortitudinem illam consistere in promeritis: QUIS enim, ait, EST DIGNUS APERIRE LIBRUM ET SOLVERE SIGNACULA EJUS? quem NEMO POTERAT NEQUE *cælestium*, NEQUE *terrestrium*, *neque infernorum* APERIRE, nedum ad ea quæ scripta erant RESPICERE.

Apertus Librum Leo.

3. Donec MULTUM idcircò *flenti* Joanni UNUS DE SENIORIBUS: NE FLEVERIS, ECCE VICIT LEO DE TRIBU JUDA, RADIX DAVID, APERIRE eum. *Vicit*, ut potens meritorum & *dignus*: ortus est *de tribu Juda*, cujus insigne leo, Gen. 49. 9. *Catulus leonis Juda-accubuisti ut Leo: radix David*, id est, stirpis Davidicæ; ita ut ipse radix, portet stirpem, familiam Davidis.

## §. II.

## *De Agno qui aperit.*

Qui & Agnus.

1. DE Leone audierat: & ecce videt AGNUM: STANTEM, IN MEDIO THRONI ET ANIMALIUM ET SENIORUM. de quo S. Augustinus ser. 50. de verb. Domini: *idem Agnus & Leo.* & S. Bernardus ser. 1. de Pasch. *Ut & Agnus maneat, & Leo sit. In medio* est Throni, ipse proximus Throno medius inter Thronum & Seniores & Animalia, utpote Mediator DEI & hominum assertus in Evangeliis. Dicitur TANQUAM OCCISUS; quia talis fuit, & tanquàm victus ab interfectoribus: at nunc surrexisse dicitur, *vicisse*, ac stare ad repræsentandam suam passionem ac meritum mortis. de quo S. Augustinus in quæstionibus Novi Testamenti q. 88. *stat ante Thronum* DEI, *quasi Advocatus interpellans.* In illum intendebant Seniores; & Animalia, velut cingentia tàm Agnum quàm Thronum è quatuor lateribus.

Poterat mirari navus Lector, in Capite præcedente omissam esse visionem Agni: & quærere de illo, num ad apparitionem pertineat illius Capitis. Responsio promitur ex situ Agni qui describitur in hoc Capite 5. v. 6. stetisse *in medio Throni* & 4. *Animalium & in medio Seniorum.* Dicitur in medio Throni & 4. Animalium: quia ipsa Animalia Capite præcedenti v. 6. erant *in medio Sedis.* Dicitur & in medio Seniorum: quia de iisdem Animalibus & de sedilibus Seniorum dicebatur, utraque esse *in circuitu Sedis.* Prorsus igitur aderat Agnus in Visione Capitis præcedentis: contegebatur autem complexu Animalium stantium, & objectu alarum quarum senæ singulis.

Agni cornua & oculi.

2. Cernitur habere Agnus CORNUA SEPTEM ET OCULOS SEPTEM: quæ utraque *sunt*, inquit, SEPTEM SPIRITUS DEI, MISSI

IN

IN OMNEM TERRAM. Dicuntur *Cornua* ambientia Caput Agni, quæ est ejus Divinitas, de qua participant excellentiam roboris quo se impendant ad ministerium Capitis pro Corpore ejus imbecillo in terris. Dicuntur & *Oculi*: propter vigilantiam congruam tanto Capiti, quam exhibent *pro* eodem *Corpore ejus quod est Ecclesia* (Col.1.v.24.) quam non desinunt illuminare. Itaque & Cornua & Oculi: eò quòd robustissimi sint ad tutandam Ecclesiam Agni contra incursus malignorum Spirituum: atque ita vigiles Spiritus ut videantur esse meri Oculi.

*Missi*, ait, in omnem terram: quod etiam dixit Zacharias cap.4. v.10. *Septem*, inquit, *isti Oculi sunt, Domini, qui discurrunt in universam terram.* Utique Spiritus sunt, potentissimi cæterorum; & Spiritus Agni, quos sic habet tanquàm Cornua & Oculos suos missiles, quibus utitur ad propugnandum & advigilandum Corpori Capitis sui. Non est ergo mirum quòd Agnus habeat Cornua & Oculos qui sunt missiles in omnem terram, quandoquidem Corpus suum illud, cui tuendo sunt & Cornua & Oculi, habet diffusum *in omnem terram.*

3. VENIT Agnus, ET DE manu DEXTERA SEDENTIS ACCEPIT LIBRUM, cœpitque aperire. Quòd ex *dextera* accipiat, significat felicem eventum & victoriosum: pro eo ac dicebatur; Vicit Leo: pro se & tribu Juda & familia sua Davidis: pro merito suæ mortis in qua omnis ejus fortitudo eminuit & victoria & potestas Mysteriorum aperiendorum.

Aperit Librum.

## §. III.

### *De applausu qui editur.*

Adoratio.

1. SImulátque Agnus aperit Librum, 4. ANIMALIA repræsentantia Evangelium quadriforme *procidunt coram eo*: & cum illis SENIORES VIGINTI QUATUOR, qui suis *citharis* edunt symphoniam, in qua pro ratione sui cujusque meriti ac virtutum suus est chordarum sonus singulis, qui communem efficit concentum. Ea citharizatio Seniorum significat concordiam mutuam in DEI laude, cum summa suavitate & beato suo gaudio; quod prælibabat Psaltes (ps.42.v.4.) *Confitebor tibi in cithara.*

Citharizatio.

*Habent* autem & PHIALAS, PLENAS ODORAMENTORUM, *quæ sunt*, inquit, ORATIONES SANCTORUM; figuratæ per Thymiama veteris Legis (Exod.30. v.34.) id est, supplicationes justorum in militante adhuc Ecclesia, quæ ascendunt ad Thronum è mari vitreo: has Beati isti intercipiunt & offerunt, *odorem*, DEO: offerunt autem in *phialis* AUREIS, hoc est, inclusas pretiosis

Odores phialarum.

suis Beatorum meritis ac precibus.

Canticum novum. 2. CANTICUM quod citharis suis canunt *Agno*, est NOVUM: utpote super Redemptione per Incarnationem & mortem Agni quæ nova: & ipsi Cantores novi. de qua novitate cantici S. Augustinus in psal. 149. *Vetus homo, vetus canticum; novus homo, novum canticum: Vetus Testamentum, vetus canticum* (æstimantium terrena beneficia;) *Novum Testamentum, novum canticum* (æstimantium æterna.) Et Rupertus Abbas in Apocalypsin lib. 4. *Novum*, inquit, *cantabant Canticum: nam & cantores omnes ipsi novi sunt, omnes veterem hominem deposuerunt, & nova in Christo creatura sunt. Tota nimirum Cantici materia nova erat: quia noviter Agnus occisus &c.* Hujus novæ laudis canitur meritum, dum dicitur: DIGNUS ES, DOMINE, ACCIPERE LIBRUM QUONIAM OCCISUS ES ET REDEMISTI NOS DEO &c. Addunt in Cantico: ET FECISTI NOS DEO NOSTRO REGNUM ET SACERDOTES: quod S. Petrus dicit (1. Pet. 2. v. 9.) ut retulimus cap. 1. v. 6. Regale sacerdotium. *Regnum* quidem, quia quicunq; compatimur simul cum Agno, conregnabimus & cum eo: adjunguntque, SUPER TERRAM, hîc enim incipit Regnum cœleste; neque tamen ajunt Reges fore terræ, sed *superiores* omni terreno. *Sacerdotes* autem; quia veri omnes Christiani monentur quotidie offerre spirituales hostias, ac nominatim *corpora* sua *hostiam sanctam* (Rom. 12. v. 1.) exemplo summi Regis & Sacerdotis à quo sumus consecrati.

Observandum quòd hic plausus Seniorum fiat coram Throno, & inde reflectatur usque in Mare vitreum: ut unde acceperant ascensum odoramentorum, eò vicissim remittant exemplum reddendi laudem Agno, & ostendant modum; qui est, concinere ore, pulsare manu, litare thymiamate. Ideò autem CORAM AGNO hæc omnia: quia omnes orationes Sanctorum suum odorem, quo placeat DEO, & meritum acceperunt ab illo & acceptæ ei referuntur atque offeruntur. Et omnes Angeli, de quibus jam sequitur, omnísque creatura dant honorem, sicut in fine Capitis præcedentis Creatori nominatim, sic in hoc Capite Redemptori generis humani.

Vox Angelorū. 5. Etenim IN CIRCUITU THRONI ET ANIMALIUM ET SENIORUM, cernere fuit MULTORUM millia ANGELORUM: quorum omnium una est *vox* extollentium merita eadem Agni. nempè ei, QUI OCCISUS est, attribuentium VIRTUTEM, græcè δύναμιν; id est potentiam; ET DIVINITATEM, græcè πλοῦτον; id est divitias, puta Deitatis inhabitantis in eo corporaliter; ET SAPIENTIAM, ET FORTITUDINEM, ET HONOREM; ET GLORIAM; ET BENEDICTIONEM. de quibus septem præconiis dicunt: DIGNUS est, hoc est, meruit ACCIPERE ab universo mundo dilatationem cultus, & famam potentiæ ac divinitatis.

Plausus Denique CREATURA omnino OMNIS

creaturarum omniū. OMNIS audita est exultare suo modo, ac dare laudem SEDENTI IN THRONO ET AGNO: utpote ad hunc finem condita, ut serviat Beatitudini hominis redempti. immò & ipsa secundùm se simul omnis reformanda in melius, Adventu ejus qui expectatur: juxta Apostolum Rom. 8. v. 21. *quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum* DEI. Proinde hic omnis creaturæ communis est velut clamor hortantis: ut *dicatur* laus (hæc est enim vis nominis, BENEDICTIO,) exhibeatur HONOR, suspiciatur GLORIA, ET agnoscatur POTESTAS, cui subdi par sit æternùm, *Sedentis in Throno & Agno.*

Quod Jubilum omnis creaturæ, gratulationem, & vota confirmant quatuor Animalia, assertione AMEN, id est, verè juxta sancta 4. Evangelia: & Seniores concludunt adoratione.

Liceat hîc mihi convenire Lectorem Revelationum, quas aperit Agnus beneficio suæ mortis. ad quem Librum videndum antequam admittare, Lector Christiane, procide cum Animalibus & Senioribus: dic unà cum his Canticum novum: contribue de Thymiamate pro phialis eorum & odore bono Christi: lauda inter Angelorum millia: tripudia cum omni creatura, quæ *subjecta est* Agno, *in spe*, exultabundâ dum nostram reparationem appellat pariter suam: & exsili ad encomia illius.

# TRACTATUS IX.

## IN CAPUT VI.

Pervenimus ad Diphtheram inspiciendam: cujus quinque prima sigilla & pars sexti reserantur in hoc Capite.

### VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 6. Versu 1.) *Et vidi quod aperuisset Agnus unum de septem „sigillis, & audivi unum de quatuor animalibus, dicens tanquam vocem „tonitrui: Veni, & vide.* (v. 2.) *Et vidi: & ecce equus albus, & qui „sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vin„cens ut vinceret.* (v. 3.) *Et cùm aperuisset sigillum secundum, audivi „secundum animal, dicens: veni & vide.* (v. 4.) *Et exivit alius equus*

*, rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de ter-*
*, ra, & ut invicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus. (v.5.)*
*, Et cùm aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal, dicens: Veni*
*, & vide. Et ecce equus niger: & qui sedebat super illum, habebat state-*
*, ram in manu sua. (v.6.) Et audivi tanquam vocem in medio quatuor*
*, animalium dicentium: Bilibris tritici denario & tres bilibres hordei*
*, denario, & vinum & oleum ne læseris. (v.7.) Et cùm aperuisset sigil-*
*, lum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis: veni, & vide.*
*, (v.8.) Et ecce equus pallidus: & qui sedebat super eum, nomen illi Mors,*
*, & infernus sequebatur eum, & data est illi potestas super quatuor par-*
*, tes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ. (v.9.) Et*
*, cùm aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfecto-*
*, rum, propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant,*
*, (v. 10.) & clamabant voce magna, dicentes: usquequo Domine (San-*
*, ctus, & Verus) non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum, de*
*, iis, qui habitant in terra? (v.11.) Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ:*
*, & dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec com-*
*, pleantur conservi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut*
*, & illi. (v.12.) Et vidi cùm aperuisset sigillum sextum: & ecce terræ*
*, motus magnus factus est, & sol factus est niger tanquam saccus cilicinus:*
*, & luna tota facta est sicut sanguis: (v.13.) Et stellæ de cælo ceciderunt*
*, super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum à vento magno move-*
*, tur, (v.14.) & cælum recessit sicut liber involutus: & omnis mons, &*
*, insulæ de locis suis motæ sunt: (v.15.) Et Reges terræ, & Principes, &*
*, tribuni, & divites, & fortes, & omnis servus, & liber, absconderunt*
*, se in speluncis, & in petris montium: (v.16.) Et dicunt montibus, &*
*, petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thro-*
*, num, & ab ira Agni: (v.17.) quoniam venit dies magnus iræ ipsorum:*
*, & quis poterit stare?*

§. I.

## §. I.

### *Equi quatuor.*

Dum aperiuntur ordine quatuor prima Sigilla & hæ Libri partes inſpiciendæ, oſtenduntur Joanni eodem ordine 4. Equi: ad quorum ſingulos videndos hortantur ſingula ex 4. Animalibus.

*Sigillum primum.* Canitur bellicũ.

1. ET eſt VOX primi Animalis TANQUAM ſonus TONITRUI; VENI ET VIDE. ſicut enim tonitruum eſt vice claſſici: ſic EQUUS ſymbolum eſt belli, martiale animal: uſque eò, ut & apud veteres Ethnicos ſacer fuerit Marti: & ſancta vetus Scriptura, ad quam hoc loco reſpicitur, apud *Zachariam* cap. 6. v. 2. bellum Regnorum repræſentans produxerit *Equos rufos, nigros, albos, varios.*

Equus:

Cæterùm hîc quatuor invicem ſuccedunt: quorum primus cernitur ALBUS; quod eſt præſagium victoriæ, ſalutis, & felicitatis. ſic enim pro ſigno triumphi præceſſit Machabæos de cœlo miſſus *Eques* albus 2. *Machab.* 11. v. 8. & Poëta (l. 3. Æn.) ex equis albis omen ſumpſit fauſti belli. Immò de hoc Equo Apocalyptico S. Ambroſius (in pſalm. 40.) aſſerit, præceſſiſſe figuram illius in ſecundo Machab. cap. 3. ubi Heliodoro priores calces fuerunt eliſæ. *Hic itaque Equus*, ait, *in figura & antè eſt demonſtratus tempore Machabæorum: ſuper quem ſedebat Dux ille militiæ cœleſtis &c.*

Albus:

Religio Christi militans, triumphatura.

Significat hic Equus noſter Religionem Chriſtianam illiúſque Doctores Apoſtolos & ſucceſſores: de quibus dicere licet illud Zach. 10. v. 3. *poſuit eos* (Dominus) *quaſi Equum gloriæ ſuæ in bello.* Inſeſſor ipſe eſt Chriſtus & rector: cui *Equus* & exercitus equorum *albus*, ut expreſsè dicitur Apoc. 19. v. 11. & 14. & nomen ejus ibidem VERBUM DEI, v. 13. *Arcus* ei ſuus eſt Prædicatio; ex quo emittuntur quot verba tot ſagittæ acutæ: *verba*, inquit S. Aug. in pſal. 44. v. 6. *cor transfigentia, amorem excitantia.* & in pſalmum 119. v. 4. *ſagittæ potentis acutæ verba* DEI *ſunt: ecce jaciuntur & transfigunt corda; ſed, cùm transfixa fuerint corda ſagittis verbi* DEI, *amor excitatur; non interitus comparatur.* ſalutares enim iis quos ſternit, ſicut Saulum, & ſibi ſubdit in bello ſuo ſacro: in quo integri populi ſub eo cadunt; *exeunte, ut* obequitet totũ mundum &, identidem *vincendo, vincat* contrarias poteſtates ac perſecutiones quæ inſequuntur hunc Equitem. cui DATA EST, inquit, CORONA: quia ſubjecturus ſibi eſt orbem & triumphaturus de hoſtibus.

Seſſoris arcus.

Et corona.

Nam

Nam in apertura Sigillorum trium ſequentium tres apparent Equi, id eſt, exercitus triplex perſecutorum: qui ad hoc inhiant toti & procurrunt, ut prædicationem Chriſti ſtruant & animas perdant (has præcipuè) perſequendo.

Meritò primum Animal, quod Leonino eſt vultu, contemplandum eſſe monuit hunc Equitem, felicem & prævaliturum; de quo & dictum eſt, *Leo de tribu Juda.*

*Sigillum ſecundũ.* Equus rufus, Synagoga.

2. ANIMAL SECUNDUM vocat ad intuendum eum qui *erit* EQUUS RUFUS. Hæc eſt Synagoga Judæorum, populus rufus ſanguine Prophetarum & Chriſti: ſuper quem *omnis ſanguis juſtus à ſanguine Abel juſti,* Matth. 23. v. 35. tinctus ſanguine Filii DEI undique *ſuper ſe & ſuper filios* Matth. 27. v. 25. Huic Equiti, Judæorum Principibus & Pontificibus, DATUM EST, id eſt permiſſum, UT auferat PACEM DE TERRA ſua cui nomen à poſſeſſione fuit & viſione pacis: ET UT INVICEM SE INTERFICIANT, Judæi Judæos tribules ſuos converſos ad Chriſtianiſmũ. ET DATUS EST EI GLADIUS MAGNUS: *perſecutio magna,* Act. 8. v. 1. gladius dividens à Meſſia, & interficiens animas & corpora. qui ſæviit & tunc, & deinceps: compreſſusque in vaginam, educetur iterum ac ſæviet tempore Antichriſti qui ex Judæis.

Aufertur pax.

Gladius magnus.

Oſtenditur hic Equus ab Animali quod gerit frontem Vituli, veteris ſacrificii Judaici.

*Sigillum tertium.* Equus niger, Hæreſes.

3. TERTIUM ANIMAL, humanâ effigie, oſtendit eum qui prodit EQUUS NIGER. Is eſt Hæreſeon, quæ ab humano ſunt ingenio & illuſione proprii judicii. hic niger eſt, hunc tu (Orthodoxe) Romane caveto.

Fertur intentio perſequentium hæreticorum, ad invehendam atram *famem* ſinceri *verbi* (*Amos* 8. v. 11.) & nutrimenti pro vita animarum. Eques hypocrita, quilibet Hæreſiarcha, STATERAM jactat, ſimulatam expoſitionem Scripturæ divinæ tanquàm bilancem. Statera.

Sed enim reſiſtit quadriga Evangelica: quamobrem IN MEDIO 4. ANIMALIUM, id eſt Evangeliorum, *vox* toto orbe diffuſa (quæ concordiã ſignificat Conciliorum & doctrinæ contra hæreticos) inhibet, atque obtinet, ne pereat ſemen verum & ſalubre frugum: ita quidem, ut TRITICI, quod eſt frumentum Novæ Legis, integra BILIBRIS (græcè χοῖνιξ; menſura quæ ſufficit pani quotidiano) haberi poſſit DENARIO: *ac* pro rata, ut ſolet triticum eſſe triplo & melius & pretioſius, TRES chœnices, HORDEI, quod eſt annona Prophetarum & veteris Legis, eodem uno proſtent DENARIO avitæ fidei. VINUM quoque ET OLEUM, id eſt, vera Sacramenta ne *lædantur* aut ceſſent in Eccleſia Catholica. portæ inferi, (hæ ſunt hæreſes S. Gregorio) nigræ invidiâ, quantamvis moliantur inducere caritatem alimoniæ, & eſto alicubi inducant, non prævalebunt quia ea ſuppeditet toto orbe terrarum. Vox de medio Animalium.

*Sigillum quartũ.* Equus pallidus,

4. QUARTI ANIMALIS, aquilinâ facie, vocem conſequitur EQUUS PALLIDUS. Is eſt Ethniciſmus Imperatorum orbis, quorum

*Imperatores Ethnici.* semper hieroglyphicum Aquila: paratorum ad delendam Religionem Christianam. Sessor præfert nomen mor-
*Mors.* tis: quoniam eam intentant & profitentur inferendam hi Tyranni: & quia MORS animæ primariò quæritur,
*Infernus.* ideò illam *sequitur* INFERNUS. Huic Equiti DATA EST POTESTAS SUPER 4. PARTES TER-
*potestas.* RÆ, in quas dominabantur latè Cæsares Romani antiquitus: ad *interficiendum* GLADIO, FAME, ET MORTE, ET BESTIIS TERRÆ. Neque enim illis Imperatoribus quievit gladius: & enecti sunt fame in carcere: & cruciati morte longâ: & nihil communius quàm ut Christianus *ad bestias*. idque tot sæculis quot duravit ethnicismus Imperatorum, nec non quasi ethnicismus quorundam subinde Tyrannorum Apostatarum vel Arianorum.

*Observanda de his Equis.* In descriptione horum Equorum dignum est observatu: 1. Quàm acutè in Apocalypsi à singulis Animalibus ostenduntur singuli Equi! Primùm Animal Leo, intendit in Christum.
*1. Relatio Animalium ad Equos.* secundum Vitulus, in sacrificia vetera. tertium Homo, in humanum dogma *propriâ interpretatione,* & *humanâ voluntate* assertum 2. Pet. 1. v. 20. & 21. quartum Aquila in Imperatores. Per ostensionem significatur relatio aliqua ostendentis ad rem ostensam: id est, vel sympathia; ut in primo Animali, leonis ad leonem Christum: vel antipathia; ut in cæteris, Vituli sancti ad Vitulum jam profanũ & sacrificia, Hominis ad homines, Aquilæ ad aquilam.

2. Quàm arcanè Apocalypsis hos tres Equites postremos vestivit & occuluit schemate trium Flagellorum *2. Trium Equitũ schema.* DEI, quibus probat & castigat suos electos! dicitur enim, datus fuisse gladius, data potestas. De his flagellis sæpè Scriptura: 2. Reg. 24. v. 13. Jer. 14. v. 12. Ezech. 6. v. 11.

3. Quàm deinde ordine accurato *3. Ordo.* recensentur ex diphthera: eodem quo cœperunt persequi nomen Christi ac fidem! primus enim statim à prædicatione Apostolorum Equus rufus: tum illo adhuc sæviente accessit Equus niger; initio ducto à Simone Mago & assectis ejus atque imitatoribus variis Hæresiarchis, priùs etiam quàm se moveret furor Gentilium Imperatorum.

4. Quàm etiam propheticè subtice- *4. Tacita prophetia.* tur interitus illorum Equorum! neque enim dicitur Equos hos tres fuisse abolitos, etsi ad tempus inhibita sit eorum vis aut sopita persecutio: sed quamdiu Eques albus exit vincendo, tamdiu isti Equi tres Judaismus & Hæresis & Infidelitas durant: donec hæc omnia simul monstra conveniant ac transformentur in unam & eandem Bestiam sub Antichristo; & sit de illis victoria finalis penes exercitum album Apoc. 19. v. 17. & seqq.

Age, Lector, acclamemus exeunti ut vincens vincat. Sessori coronato, Equiti albo, Regi: dicamus illud psalmi 44. v. 5. *Intende, prosperè procede, & regna:* gratulemur arcu quo configit *corda inimicorum Regis:* apprecemur sagittis; *Sagitta salutis Domini,* salutis æternæ; figurata 4. Reg. 13. v. 17.

## §. II.

### *Clamor SS. Martyrum.*

Vidimus 4. Sigilla, & invicem consecutos Equos: brevitate Visionis proportionatâ velocitati prosilientium Equorum.

*Sigillum quintū.*

SIgillo quinto reserato *videt* Joannes ANIMAS Martyrum modò INTERFECTORUM à persecutoribus Equi albi. Narrat 1. visas esse SUBTUS ALTARE. quià sunt totidem hostiæ immolatæ: & quia membra sunt Corporis Christi quod in altari immolatur. quam causam allêgat S. Aug. ser. 11. de Sanctis: *Rectè sub altari justorum animæ requiescunt, quia super altare Corpus Domini offertur.* & subdit quòd propter consortium mortis Domini cum morte Martyrum: *Convenienter igitur*, inquit, *& quasi pro consortio ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur.* Et S. Ambrosius ep. 54. ad Marcellinam, distinctius exprimit cur etiam sub Altari: *succedunt*, ait, *victimæ triumphales in locum ubi Christus hostia est: sed ille super Altare qui pro omnibus passus est; isti sub Altari qui illius redempti sunt passione.* Nimirum hic mos fuit Christianis, condi corpora Martyrum sub altari: unde passim altaria, cryptæ, ac deinceps templa nominata sunt, *Martyria*, & *Memoriæ Martyrum* prout videre est in S. Aug. post cæteros Patres.

Animæ sub Altari.

Ex illo igitur more apud Christianos recepto rectè dicuntur commorari sub altari eatenus ipsæ animæ, & quodammodo celebrare sepulturam corporum suorum, quatenus eorum unionem naturaliter & essentialiter, nec sine incessabili amore (dicitur enim ibi esse anima *ubi amat*) atque expectatione appetunt.

2. Auditæ sunt *inclamare* genus *vindictæ à Sancto & vero Judice*: præcipuè ac primò illam sibi salutarem ac piè debitam, ut reddantur sibi corpora sua interfecta & *sanguis* effusus restituatur. de hac petitione vindictæ, seu liberationis, S. Greg. lib. 2. mor. cap. 4. *quid est animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremum Judicii & resurrectionem extinctorum corporum desiderare?* quod autem dicitur in Apocalypsi CLAMABANT VOCE MAGNA, idem S. Doctor exponit, & addit acceptam esse voluntati divinæ: *Magnus quippe clamor*, ait, *magnum est desiderium; etiam de Ipso accipiunt ut ab Ipso petant quod eum facere velle noverunt.* Clamor.

Nec hoc solum tamen orant: sed inclamant simul everti persecutionem interim regnantem, quod est destrui Regnum peccati, converti salvarique persecutores, & pacem redhiberi Ecclesiæ. de quo genere sanctæ vindictæ inter

inter sermones S. Aug. de temp. serm. 51. *quæritur quomodo huic præcepto, quo nobis jubetur, orate pro persequentibus & calumniantibus vos, illud non est contrarium quod in Apocalypsi legitur, Martyres orare* DEUM *ut vindicentur?* & respondetur: *ipsa est sincera & plena Justitiæ, Misericordiæ, vindicta Martyrum, ut evertatur Regnum peccati, quo regnante tanta perpessi sunt.*

Clamor.

In hunc, inquam, duplicem sensum clamant v. 10. USQUEQUO, DOMINE, qui SANCTUS es ET VERUS, id est, qui sanctè permittis & verè fideliterque retribuis, NON JUDICAS ET NON VINDICAS? quorum alterum est cognitionis causæ, alterum executionis sententiæ pro qua clamant.

Responsum.

3. Pro responso jussæ sunt illæ animæ, *tempore* adhuc *modico*, *acquiescere stolis albis singulis*, id est Beatitudini (talis erat *stola candida* in qua Angelus, Mar. 16. v. 5.) solius animæ, DONEC *compleatur* numerus futurorum porrò Martyrum: quando in communi resurrectione recipient stolam alteram gloriæ etiam corporum suorum. De stolis his S. Aug. ser. 11. de Sanctis: *optabant venire diem extremum judicii, & resurrectionem suorum corporum præstolantur. habent ergo ante resurrectionem singuli stolas albas, quia in sola anima adhuc æternis Beatitudinibus perfruuntur* &c. De responso autem (quid sit quod illis cœlitus detur respondendo) audiant, S. Gregorius lib. 2. mor. cap. 4. *respondere ergo eis est, ut collectionem fratrum expectare debeant; eorum mentibus libenter expectandi moras infundere, ut cùm carnis resurrectionem appetunt, etiam ex colligendorum fratrum augmento gratulentur.*

## §. III.

### *Trepidatio persecutorum.*

*Sigilli sexti pars.*

1. PRotinus ubi apertum est Sigillum sextum, post ostensam requiem Beatarum animarum, sequitur & prophetatur persecutorum reproborum trepidatio, illis ventura in hora mortis ipsorum pessimæ (psal. 33. v. 22.) in qua obscurabitur omne gaudium impiorum: & in generali judicio; quod describitur TERRÆMOTU, mutatione SOLIS ac LUNÆ, & lapsu STELLARUM, immaturo casu id est inexpectato SICUT GROSSORUM in turbine decussorum, RECESSU temporis & motus primi mobilis, complicatione COELI SICUT LIBRI (cujus cùm sit finis, plicatur & *involvitur*) atque *emotione* MONTIUM ET INSULARUM. Similia prædixit Isaias cap. 34. v. 4. *complicabuntur*, inquit, *sicut liber cœli, & omnis militia eorum* (quæ sunt stellæ) *defluet, sicut defluit folium de vinea & de ficu.*

2. Tum verò ecce omnis persecutor & re- Dies ultionis.

& reprobus; seu qui jusserunt, ut REGES ET PRINCIPES ET TRIBUNI; seu qui procurârunt & extimulaverunt ad persecutionem, ut DIVITES ET FORTES; seu qui executi eam sunt, OMNIS SERVUS ET LIBER; quærent se *abscondere* IN SPELUNCIS *petrarum* (quod prædixit & figuravit *Isaias* cap. 2.v.19.) AB IRA AGNI qui est is quem fuerunt persecuti: & dicent illud Oseæ 10.v.8. *montibus, operite nos, & collibus, cadite super nos.* quod & repetiit Christus Luc.23.v.30. quæ omnia partim in figura præcesserunt in excidio Israëlitarum, partim ac manifestè prædicuntur de trepidatione quæ futura est impiis in hora judicii: cùm particularis, in quo unicuique reprobo suus Sol & mundus verissimè describuntur occidere & usus ei omnis ac motus astrorum interire; tùm universalis consecuturi & conformis judicio particulari singulorum. Rectè S. Chrysostomus hom.10.in Matth. *generalem illum mundi finem, uniuscujusque nostrum vitæ finis imitatur.* Et S. Hieronymus in caput 2. Joëlis: *Diem autem Domini, diem intellige Judicii: sive diem exitus uniuscujusque de corpore: Quod enim in die Judicii futurum est omnibus, hoc in singulis die mortis impletur.*

Conversio hujus sigilli cũ quinto.

3. Vidisti, Lector, egregiam connexionem in his duobus Sigillis, quibus ostensa sunt Joanni, hinc copiosus Martyrum sanguis & clamor: illinc subsequens obitus ac damnatio horrenda eorum qui hunc sanguinem fuderunt. Et sicut animæ piè defunctorum, ut primùm decesserint, expectant cum spe & multa consolatione (in §. præcedente) Beatam in judicio universali resurrectionem etiam corporum: sic animæ reproborum à primo momento exitus ex corpore concutiuntur (in hoc §.) horrore terribili judicii universalis & condemnationis quam se vident manere etiam corporetenus.

Prophetata; etsi cœpta.

Cæterùm ea quæ hucusque visa sunt in Diphthera, cadere jam cœperant in ætatem S. Joannis; quo superstite ex parte fiebant. prophetantur autem (prout admonuimus in Prolegomeno) ut generalia omnium ætatum reliquarum: talis enim est persecutio sive à Judæis, sive ab Hæreticis, sive ab Infidelibus; quæ nunquam penitus cessabit adversus Christi fideles usque ad ultima tempora, minore aut ampliore clade animarum; Deo moderante omnia ad salutem electorum. Perinde ut solent esse bella, fames, & lues omnibus communia ætatibus flagra Dei, strages corporum,

***
**

# TRACTATUS X.

## IN CAPUT VII.

Ostensus fuit clamor animarum sanctarum: & differri Judicium generale impiorum persecutorum. adhuc enim prorogatur tempus persecutionum, & continuantur pericula; quorum non statim finis: sed augetur magna turba prædestinatorum Martyrum & conservorum. de quibus proinde sequitur in Cap. septimo.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 7. Vers. 1.) *Post hæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor Ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem.* (v. 2.) *Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi: & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari,* (v. 3.) *dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoad usque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* (v. 4.) *Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel.* (v. 5.) *Ex tribu Iuda duodecim millia signati: Ex tribu Ruben duodecim millia signati: Ex tribu Gad duodecim millia signati:* (v. 6.) *Ex tribu Aser duodecim millia signati: Ex tribu Nephtali duodecim millia signati: Ex tribu Manasse duodecim millia signati:* (v. 7.) *Ex tribu Simeon duodecim millia signati: Ex tribu Levi duodecim millia signati: Ex tribu Issachar duodecim millia signati:* (v. 8.) *Ex tribu Zabulon duodecim millia signati: Ex tribu Ioseph duodecim millia signati: Ex tribu Benjamin duodecim millia signati.* (v. 9.) *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum:* (v. 10.) *Et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.* (v. 11.) *Et omnes*

*„ Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium:
„ & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adoraverunt Deum,
„ (v. 12.) dicentes, Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gra-
„ tiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro, in sæcula, sæcu-
„ lorum, Amen. (v. 13.) Et respondit unus de senioribus & dixit mihi: Hi,
„ qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & unde venerunt? (v. 14.) Et dixi
„ illi: Domine mi, tu scis: & dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tri-
„ bulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in san-
„ guine agni: (v. 15.) ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac
„ nocte in templo ejus: & qui sedet in throno, habitabit super illos.
„ (v. 16.) Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol,
„ neque ullus æstus: (v. 17.) Quoniam Agnus, qui in medio throni est,
„ reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus
„ omnem lachrymam ab oculis eorum.*

## §. I.

### *Quatuor Angeli tenent Ventos.*

Sigilli sexti Pars altera.

1. VErsamur in ea parte Libri quæ claudebatur Sigillo sexto. Major hîc quàm exactis retrò annis numerus Christianorum præparatur ad Martyrium, vel ad confessionem non multùm imparem martyrio. Toto enim orbe terrarum imminet motus, & laxandi erunt VENTI ac permittendi furere ex 4. ANGULIS TERRÆ, ac procella excitanda omnium hucusque atrocissima inter gentiles, sub Imperatoribus simul bin s Diocletiano & Maximiano: quæ persecutio digna profectò fuit nominatim innui in Apocalypsi & describi per impetum 4. Ventorum undique irruentium ut flando sternant. quando hi duo præcipui hostes Christianorum, immani per orbem conspiratione; totos vi & astu se impenderunt ad exscindendam Religionem Christianam, & ad Christianos terrâ marique extinguendos. Nihil propemodum, aut parum admodum, singulæ persecutiones præcedentes ad hanc furiosissimam: numeratos fuisse in singulos menses decies & septies millenos Martyres, ut narrat Eusebius de solo Diocletiano! non remisisse sed crevisse rabiem persequendi, decennio toto Imperii, per Occidentem atque Orientem.

Tempestas à 4. Ventis;

2. Sed non priùs hæc tàm atrox tempestas, & flatus ventorum, quàm signaculum peculiare & præmunitio electorum Martyrum & Confessorum. nam eum in finem coërcent (quod græcè habetur, κρατοῦντας) ac DE-

DETINENT hos ventos ANGELI QUATUOR: laxaturi: nî sisterentur à potiore ANGELO, misso AB ORIENTE (qui ORIENS est Christus: Zach.3.v.8. Luc.1. v.78.) à quo Angelo SIGNUM *exhibetur* DEI VIVI.

Non laxandis antè quàm signentur servi DEI:

Hic injicit moram illis 4. Angelis, quoadusque præcautum fuerit de cœlo servis DEI prædestinatis, qui signabuntur, nolint proinde promiscuè nocere: & verò nôlle optant, ut Angeli salutares; libenter enim detinent ac differunt flatum id est irruptionem ac turbinem venturum cum *nocumento* TERRÆ, MARIS, ET ARBORUM.

Nominantur hæc tria: quia dispersa erat multitudo innumera seniorum DEI in locis mediterraneis; in maritimis, in arboretis & sylvis, (quas incolebat anachoretarum maxima copia,) seminariis Martyrum & Confessorum, prout mentio est in Conciliis & in Actis illorum temporum. Cùm igitur his omnibus ex locis extrahendi essent & abripiendi cumulatim servi DEI, & ad apostasiam cogendi omni genere artificiorum ac suppliciorum: congruum erat, ut fidelis DEUS, qui salvos illos vellet, præ-signaret eos, armaret, firmarétque adversus persecutionem omnium nominatissimam & periculosissimam.

Et moderatoribus 4. Angelis.

3. Providentia DEI est, quòd ille motus & laxatio ventorum ac procella commissa sit moderanda 4. Angelis Præsidibus 4. cardinum orbis ac proinde primariorum ventorum. hoc enim significant verba, QUIBUS DATUM EST NOCERE: illâ videlicet conditione, lege, & fine qui intenditur divinitus. insinuatur namque his verbis conditio sub qua datum est, & quo limite ac fine datum: & quid eos faciat expectare detinendo ventos; nempè ut signentur contra tempestatem & roborentur electi: ac demum quo fine postea permittere debeant & cujusmodi nocumentum terræ & maris, ut jam jam dicemus. Nam & S. Hieronymus in Dan.c.7. quatuor *Angelicas* intellexit *potestates quibus principalia Regna commissa* inquit *sunt*: & ad hoc significandum adduxit locum Deut.32.v.8.(ex 70.) *juxta illud, quod in Deuteronomio legimus: quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum Angelorum* DEI.

Ad hos Angelos is qui ascendit missus ab ortu Solis: NOLITE, inquit, v.3.&c. QUOADUSQUE SIGNEMUS. quæ est invitatio illorum quatuor ut unà juvent priùs in signandis electis per suos omnes angulos terræ. sic enim habet Arabicus textus: *quoadusque signetis*. nempè istâ restrictione datum vobis est nocere, eâque cautione atque exitu permittere laxationem tempestatis, ut benè sit Signatis, & magno animarum bono quæ præ-muniuntur ad certamen. hac signatione factâ concitetur sanè orbis in Christianos terrâ marique: Christianorum sanguine fundendo simul sæviatur adhuc, simul extinguatur idololatriæ vis: proseminetur illo semine fides Christi per 4. partes orbis, & in contumacia repro-

reproborum probentur propagentúrque electi. proveniat ex his motibus bonum ingens, ô Angeli Signatores & administri simul Justitiæ & consiliorum Dei; quod est Christianæ Religionis dilatatio & profectus, Cœli ac Beatitudinis amplificatio & splendor, ac Beatæ multitudinis accumulatio. Hæc enim verè contigerunt, seminatúsque est & propagatus Christianismus persecutione.

Donec deferbuit illa persecutio, in quatuor jam partibus disseminatâ fide: secutáque est pax, quod est Silentium de quo infra initio Capitis sequentis.

## §. II.

## *Signati.*

Signatura.

1. Figura fuit hujus Consignationis illa apud *Ezechielem* cap.9.v.4. facta in frontibus virorum per signum Thau salutare, quod formam habebat Crucis in antiquis literis Hebraicis. Immò & illa multò antè in *Exodo* cap. 12. v.22. quâ in postibus Hebræorum exiturientium ex Ægypto signatum fuit illud idem signum: juxta S. Hieron. qui sic scribit in Isai. *66. Ponet in eis signum* (v. 19.) *quod in Ezechiele, principio sub Thau literæ Hebraicæ interpretatione monstratur: quo signo qui fuerit impressus, manus percutientis effugiet. Hoc & postes domorum in Ægypto signabantur, quando pereunte Ægypto solus Israël mansit illæsus.* Addit de Achaz, noluisse illum accipere hoc signum Isa. 7.v.12. Prophetam hoc precari, *fac mecum signum in bonum*, psal.85. v.17. & ps.59.v.6. denique hoc nobis Dominum in frontibus nostris posuisse, *ut liberè*, inquit, *diceremus, signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Hæc Hieronymus.

Hoc signum generosæ libertatis impressum electis fertur in fronte, quæ sedes esse solet verecundiæ: & significat παῤῥησίαν & confessionem apertam non erubescentis Evangelium, & in illo crucifixum: quæ cùm sit supernaturalis, affertur de cœlo, ab eo cui nomen est Oriens ex alto; gratiâ illius, & operâ præsentium Angelorum roborante nos in fide & dilectione Christi quæ fortior est morte atque omnibus tormentis.

Imprimat fortius nostræ fronti, ô Lector, sanctus Dei Angelus Orientalis hoc signum! & constanter meminerimus nos consignatos, ut servos Christi: 2. Cor.1.v.21.*qui signavit nos*. Eph.1. v.13.& cap.4.v.30.*signati estis.*

2. Hac occasione præmonstrantur Joanni & recensentur eâdem operâ omnium simul persecutionum Signati: quorum duæ sunt turmæ. Prima est

Turma 12. Tribuum recensitarum.

est eorum qui ex Circumcisione conversi sunt ad Christum: quorum catalogus recensitorum, ex singulis *Tribubus* DUODECIM MILLIA: qui uterque tàm duodenarius quàm millenarius cùm sit numerus plenus in Scripturis, ideò ducto duodenario milliū, seu multiplicato, in duodecim Tribus, prodit summa connumeratorum plenissima, CENTUM QUADRAGINTA QUATUOR MILLIA: quo numero exprimitur series Judæorum tribulium Christi secundùm carnem. fuitque ab horum numeratione incipiendum, quia *salus ex Judæis est*.

Turma Gentiū Signatarum.

Altera turma est ex Gentibus: utiq; etiam Signatorum. nam commune est utrisque signari: . sicut vicissim stolæ, palmæ, canticum communia sunt illis qui ex Judæis.

Discrimen est in numero. quòd ii, qui ex ISRAEL secundùm originem simul carnis, sint numerabiles: cæteri, qui secundùm solam promissionem, sint sicut stellæ Cœli, de quibus dicitur Gen. 13. v. 5. *numera stellas si potes*, quod de *promissa posteritate cœlesti* exponit S. Aug. lib. 16. de civ. cap. 23. Hæc TURBA dicitur innumerabilis homini: QUAM DINUMERARE, inquit, homo NEMO POTERAT (nam DEO non solùm illi sed & capilli eorum numerati sunt.) Ait collectam esse EX OMNIBUS GENTIBUS, & gentium TRIBUBUS (distributione gentium à filiis Noë Gen. 10. v. 32.) ET tribuum POPULIS, ET populorum LINGUIS. Meminit hujus loci S. Cyprianus in lib. de exhort. Mart. cap. 11. *Numerari non possunt Martyres Christiani, testante Apocalypsi & dicente: Post hæc vidi turbam magnam* &c. Concludit aureâ exhortatione ad omnes nos: *Quòd si tantus ostenditur & probatur Christianorum Martyrum populus, nemo difficile vel arduum putet esse Martyrem fieri, quando videat Martyrum populum non posse numerari.*

3. Dignum est ponderatione, quòd in prima Turma, in recensitione duodecim Tribuum signatarum siletur de Tribu Dan, & ejus loco reponitur *Tribus* LEVI. non alio notiore mysterio quàm, ut isto suo silentio Apocalyptico det indicium occultum nascituri Antichristi ex patre de tribu Dan: juxta vaticinium Jacob Gen. 49. v. 17. *Fiat Dan coluber in via, cerustes in semita, mordens ungulas equi ut cadat assensor ejus retrò.* quod esto dixerit Jacob ad literam de Samsone, cui convenit metaphora serpentis & reguli obsidentis vias populantium equitum, prout in Traditionibus Hebraicis in Gen. exponit S. Hieronymus, spirituali tamen eòque præcipuo in sensu prædictum esse de Antichristo sentiunt SS. Patres. Enimverò Patriarcham Jacobum respexisse ad utrumque, ad Samsonem & ad Antichristum eodem oraculo, nil est novum in Prophetis: cœpisse autem à Samsone, & præviso ex eadem tribu Antichristo transîsse atque avertisse se cum protestatione Christi (quē *expectabo*, inquit v. 18.) non hinc orituri. Sic Jacobum introducit Hieronymus loquentem in hæc VERBA, l. c. *Videns ergo tàm fortem Nazaræum tuum* &c. *putavi, ô* DEUS, *ipsum esse Christum Filium tuum: verùm alter*

Cur omissa sit Tribus Dan.

*mihi Salvator mundi & mei generis præstolandus est*. Absolutissimè S. Ambrosius lib. de benedict. Patriarcharum cap. 6. postquàm prælocutus esset de Samsone: *non hunc*, inquit, *Prophetia significat, sed Antichristum, qui futurus est in tribu Dan.* & in psal. 40. *sed alter hic significatur futurus, Antichristus ille qui sedebit in Templo tanquam sit* DEUS &c. ubi de illo explicat Scripturam citatam Gen. 49. v. 17. S. Augustinus lib. 6. in Heptateuchum quæst. 22. (Jacob) *talia dixit de isto Dan, ut de ipsa tribu existimetur exurrecturus Antichristus*. S. Greg. lib. 31. mor. cap. 10. *Antichristi adventus asseritur: & quia Judæa erroris sui laqueis capta pro Christo Antichristum expectat; benè Jacob* (avertens se,) *Salutare tuum expectabo Domine, id est, non sicut infideles Antichristum.* explicat etiam ipse locum Genesis de Antichristo: & inter cætera; *Vngulas quippe equi mordere, est extrema sæculi feriendo contingere.*

Sanè hanc prætermissionem Tribus Dan, inter Signatos hoc loco Apocalypseos, factam esse in detestationem Antichristi gignendi ex Tribu Dan, docent magno consensu SS. Patres. S. Hieron. lib. 1. cont. Jovin. S. Ambros. S. Augustin. & S. Gregor. modò citati. quibus omnibus antiquior S. Irenæus lib. 5. adv. hær. cap. 30. cùm Antichristum dixisset oriturum ex Tribu Dan: *Et propter hoc*, inquit, *non annumeratur Tribus hæc in Apocalypsi cum his quæ salvantur.*

Propter eandem causam *Tribui filiorum Dan*, etsi majori natu quàm Nephthali, neque minori numero quàm cæteræ, tamen (ut habetur Josue 19. v. 40.) *egressa est sors septima*, ultimo videlicet loco: ut de qua Jacob infausta præviderat.

Neque tamen hinc, ex hoc silentio S. Joannis sequitur, neminem signandum salvandúmve de Tribu Dan. sed neque Tribum hanc eo maximè nomine adhæsuram Antichristo quòd hinc originem sit habiturus; siquidem dicemus inferiùs in Tract. 24. fore ut apud Judæos dissimulet Antichristus hanc suam Tribum & procreationem ex incerto patre Danita: cùm eum paritura sit mulier meretrix de Tribu Juda, adeóque gesturus sit se progenitum de femore Judæ, inde enim expectant legitimum Messiam & sceptrum, Gen. 49. v. 10.

Omnino congruè clandestina nativitas indicata silentio est: insuper & infanda.

## §. III.

### *Habitus & præmium Signatorum.*

Signatorum situs:

1. PRævidentur STARE ANTE THRONUM: cujus & loci & situs energiam dat S. Augustinus ser. 11. de Sanctis: *Stant enim modò ante Thronum* DEI, *coronati, qui quondam ante thronum Judicum terrenorum jacebant pœnis*

pœnis astricti. ET IN CONSPECTU AGNI: de quo conspectu idem S. Doctor ibidem; *Stant in conspectu Agni, nullâ ratione illic à contemplanda ejus gloria separandi, à cujus hîc amore nec per supplicia poterant separari.*

Amictus: AMICTI STOLIS ALBIS. *Per stolas albas*, ait S. Aug. *debemus intelligere mercedem Baptismi, præmium Martyrii, mercedem æternorum & gaudium cœlestis patriæ.* ET PALMÆ IN

Palmæ: MANIBUS EORUM. Et has & illas explicat breviter idem S. Aug. *Palmas in manibus habent, quia præmia in operibus.* Et de palmis S. Ambros. ser. 98. de temp. *per palmam dextera Martyris honoratur: præmium enim quoddam est palma Martyri: quæ confitenti linguæ dulcem fructum tribuit, & victrici dexteræ gloriosum præstat ornatum. Et planè palma Martyribus suavis ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum: semper vivens, semper vestita foliis, semper parata victoriæ. Atque ideò non marcescit palma, quia Martyrum victoria non marcescit.*

Clamor: ET CLAMABANT VOCE MAGNA; SALUS DEO NOSTRO QUI SEDET SUPER THRONUM ET AGNO. Etiam hunc clamorem, & quid sit clamor salutis DEO, exponit S. Aug. l. c. *Magnâ voce salutem* DEO *decantant, qui magnâ gratiarum actione recolunt, non, sua, se virtute, sed ipso auxiliante tribulationum impugnantium superasse certamina.*

Doxologia Angelica: 2. Hîc OMNES ANGELI, IN & cum toto CIRCUITU THRONI, qui est SENIORUM ET QUATUOR ANIMALIUM, prociderunt & adoraverunt; cum hac clausula, AMEN: & cum formula sequente quæ continet 7. elogia erga DEUM.

Formula illius. 1. BENEDICTIO: (græcè ἡ εὐλογία) quâ de DEO benè omnia dicantur. Ipsi attribuatur omnis perfectio illimitata: & Ipse dicatur esse in se & ad intra, quæ phrasis est Scholarum Theologicarum, *omne bonum*: sibimet omnia & αὐτάρκης quantumlibet benè de eo dixeris, minùs dixeris quàm est: Eccli. 43. v. 29. *multa dicemus & deficiemus* &c.

2. CLARITAS: illi unde omne lumen est ad Extra & esse creaturarum: sine quo meræ tenebræ & non esse.

3. SAPIENTIA: ei qui est idea & artifex omnium rerum: quoniam *in sapientia* sua fecit illas (psal. 103. v. 24.) eâque disponuntur omnia & ordinantur.

4. GRATIARUM ACTIO omnium largitori beneficiorum.

5. HONOR tanquàm supremo dominatori omnium, & fini universorum ad quem & propter cujus honorem cuncta sint dirigenda. 1. Tim. 1. v. 17. *soli* DEO *honor.*

6. VIRTUS (græcè ἡ δύναμις) quia Ipse est de quo Apostolus 2. Cor. 3. v. 5. *omnis sufficientia nostra ex* DEO *est*, omne posse, & omnes vires nostræ ad operandum, naturaliter, super-naturaliter, sine quo aut cujus gratia & auxilio possumus *nihil*, Joan. 15. v. 5.

7. FORTITUDO (græcè ἡ ἰσχύς:) id est robur ad perseverandum

& perfringendum omnia adversa per quæ pertingitur.

Ita, ut sit Ipse sibi omnia: Ipse Lux aliis: omnia in Ipso: ab Ipso: ad & propter Ipsum: cum Ipso & per Ipsum.

Claudunt formulam: Cuncta hæc pertinere & attribui debere DEO tàm NOSTRO: & IN SÆCULA infinita, de quibus scriptum est psal. 83. v.5. in sæcula SÆCULORUM laudabunt te. AMEN.

Hi Signati unde venerint.

3. UNUS DE SENIORIBUS vellicat Joannem super his Signatis: QUI SUNT ET UNDE VENERUNT? ac desideranti audire, ipse respondet: venisse DE TRIBULATIONE MAGNA (græcè, illâ magnâ,) persecutione animæ & tormentis corporis: lavisse STOLAS SUAS & dealbâsse IN SANGUINE AGNI. quod duplicem habet sensum: primò de illo sanguine Agni, qui pro ipsis prior fusus fuit; in hoc enim & in meritis illius lotæ sunt stolæ eorum; atque ideò dealbatæ, quia in *sanguine Agni novelli, sanguine lacteo*, ait S. Bernardus ser. 1. de Paschate. Alter sensus est, de proprio suo sanguine quem effuderunt. sanguis enim, eorum fusus ex corporibus, ita sanguis est Agni, sicut corpora eorum membra Agni, & Agnus de sémet queritur, Act. 9. v.4. *Saule, Saule, quid me persequeris?* in hoc ergo suo sanguine laverunt stolas, & reddiderunt eas albas ac lucidas: contrà quàm tortoribus visi sunt deformari sanguine, Martyres. quem postremum sensum suggessit S. Augustinus l. c. *Stolas quippe*, inquit, *Martyres in sanguine Agni laverunt, dum membra sua quæ oculis insipientium visa sunt pœnarum squalore fœdari, sic potiùs fuso pro Christo sanguine ab omnibus mundavêre contagiis, insuper & beatâ immortalitatis luce digna reddidêre.*

Et quò.

Hæc ille Senior, undè nam isti venerint: quò autem pervenerint, addit: IDEO, ait, SUNT ANTE THRONUM DEI: ET IN TEMPLO EJUS sancto atque augusto SERVIUNT EI, quod est regnare: DIE AC NOCTE, id est perpetuò, prout S. Augustinus in hunc locum: *Dies quippe*, ait, *& nox non vicissitudinem temporis, propriè; sed perpetuitatem, tropicè, significat: nox enim non erit illìc sed dies una* (dies perpetua, illa una psal. 83. v.11.) *melior in atriis Christi super millia.* Pergit, fore domesticos DEI, qui HABITABIT SUPER ILLOS, tutos enim sub illo: fore, (quod iisdem verbis dixit Isaias cap. 49. v.10.) ut NON ESURIANT NEQUE SITIANT, sine adustione SOLIS aut ÆSTU sint, id est, immunes ab omnibus incommodis vitæ mortalis. QUONIAM REGET ILLOS AGNUS, (græcè ποιμανεῖ in loco pascuæ) ac DEDUCET AD VITÆ FONTES AQUARUM: addit Isaias, *ad fontes aquarum potabit eos*: fontes, de quibus ipse Agnus Joan. 4. v.14. *quòd saliant in vitam æternam.* In illa igitur vitâ fore, ut ABSTERGAT DEUS æternùm OMNEM LACHRYMARUM AB OCULIS: quæ est consolatio ac Beatitudo quam promisit Agnus Matth. 5. v.5.

Ecce tibi fructus perſecutionum: ad Cœlum deductæ ampliſſimæ coloniæ: in terris verò propagatio fidei per totum mundum, dum ſanguis Martyrum, qui ſeminatus eſt, fuit (ut ſupra diximus cum Patribus) ubique ſemen Chriſtianorum. Neque tamen ſoli Martyres ſunt inter Signatos, tametſi eminent inter illos; de quibus dictum fuit cap. 6. v. 11. quòd interficiendi erant: ſed & Confeſſores atque omnes id temporis piè defuncti: etiam hi enim participes ſunt tribulationis, & ſtolarum albarum, quas laviſſe in ſanguine Agni eſt communicâſſe tùm meritis illius, tùm perſecutioni & paſſionibus ejuſdem.

Martyrum denomina- tio fit à potiore.

Qua tanta in turba Signatorum, & cum illa, in circuitu Throni etiam nos: Signati proſternamur, & proni accinamus illam formulam Beatorum, cum ſuis 7. elogiis DEO & Agno: Benedictio, & claritas & ſapientia &c:

# TRACTATUS XI.

## IN CAPUT VIII.

Diximus, in reſeratione ſex Sigillorum, oſtenſa eſſe ea quorum pleraque initio & aliquâ parte ſui cœperant tunc contingere, mundo atque experientiâ teſte: atque ejuſmodi, ut ſint generalia omnium temporum. ob quas duas cauſas ſatis fuit has partes Diphtheræ percurri videndo & enarrari ſolis duobus Capitibus. Deinceps autem Viſio & ſcriptio prolixior eorum, quæ & particularia magis, & inceptura eo tempore quod eſt inter ætatem S. Joannis & reliquum finem mundi: de quibus in apertura ſeptimi Sigilli, per 4. Capita ſequentia.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 8. Verſu 1.) *Et cùm aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt*
*, ſilentium in cœlo, quaſi media hora.* (*v.* 2.) *Et vidi ſeptem Angelos ſtan-*
*, tes in conſpectu Dei: & datæ ſunt illis ſeptem tubæ.* (*v.* 3.) *Et alius An-*
*, gelus venit, & ſtetit ante altare habens thuribilum aureum; & data*
*, ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium ſu-*

„ *per altare aureum quod est ante thronum Dei. (v. 4.) Et ascendit fumus*
„ *incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.*
„ *(v. 5.) Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne alta-*
„ *ris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, &*
„ *terræ motus magnus. (v. 6.) Et septem Angeli, qui habebant septem*
„ *tubas, præparaverunt se, ut tuba canerent. (v. 7.) Et primus Angelus*
„ *tuba cecinit, & facta est grando, & ignis, mista in sanguine, & missum*
„ *est in terram, & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum*
„ *concremata est, & omne fœnum viride combustum est. (v. 8.) Et secun-*
„ *dus Angelus tuba cecinit; & tanquam mons magnus igne ardens mis-*
„ *sus est in mare, & facta est tertia pars maris sanguis. (v. 9.) & mor-*
„ *tua est tertia pars creaturæ eorum quæ habebant animas in mari, & ter-*
„ *tia pars navium interiit. (v. 10.) Et tertius Angelus tuba cecinit: &*
„ *cecidit de cœlo stella magna ardens tanquàm facula; & cecidit in ter-*
„ *tiam partem fluminum, & in fontes aquarum. (v. 11.) Et nomen stel-*
„ *læ dicitur absinthium; & facta est tertia pars aquarum in absinthium:*
„ *& multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt. (v. 12.)*
„ *Et quartus Angelus tuba cecinit: & percussa est tertia pars solis, & tertia*
„ *pars lunæ, & tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum,*
„ *& diei non luceret pars tertia, & noctis similiter. (v. 13.) Et vidi, &*
„ *audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce mag-*
„ *na: Væ, Væ, Væ habitantibus in terra, de cœteris vocibus trium An-*
„ *gelorum, qui erant tuba canituri.*

## §. I.

### *Silentium: & quæ in illo.*

*Septimũ Sigillum.* 1. APerto septimo Sigillo FACTUM EST SILENTIUM & quies à persecutione illa continuata & horrida tot consequenter Imperatorum ethnicorum: simul & ab idololatria, quæ visa est suffocari vel extingui per sanguinem Martyrum. Dicitur hoc Silentium (*Silentiũ.*) IN COELO factum esse, atque à Deo cœli profectum. præterquàm quòd etiam Cœlum Ecclesia militans illo sibi facto gratulata est, magnâ & beatâ cum exultatione suorum Sanctorum in terris de repressa superstitione idolorum, & fortiter expugnato Satana, opitulantibus Angelis sanctis; (In Cœlo.) prout

prout de hoc Silentio canit Ecclesia in publicis precibus: *Factum est silentium in Cœlo, dum Draco committeret bellum, & Michael* (Præses Ecclesiæ, ac domitor idololatriæ) *pugnavit cum eo & fecit victoriam.*

Mediâ horâ. Factum est autem, QUASI MEDIA HORA. græcè ὥρα est tempus: unde S. August. ep. 80. ad Hesychium de S. Joanne in Apoc. *convenientius ille Apostolus creditur horam posuisse pro tempore.* Dicitur autem media: quia intervallo temporis medio inter persecutiones ethnicas præcedentes, & inter nova alia pericula, quæ impendent Ecclesiæ: quorum præcipua per sex primas Tubas denuntiabuntur, præmonentibus Angelis ut caveantur. In græco textu est ἡμιώριον, id est dimidia hora: neque enim diu; nec integrè quies omnis, sed mediâ ex parte.

Incensatio multa. 2. Interea in hoc Silentio, & Ecclesiâ pacata, THURIBULUM ET INCENSA MULTA, in templis Christianorum publicè constructis toto terrarum orbe: ORATIONES SANCTORUM: vigor & flos divini cultus id temporis in omnibus Ecclesiis (nec minus eximius in Asiaticis:) ætas aurea in qua plerique maximi Doctores Ecclesiæ ac plurimi simul, effloruerunt: & plena omnia hymnis ac laudibus eucharisticis pro repressione diaboli, tranquillitate, incremento ac dilatatione Religionis Christianæ. Offert eas preces ANGELUS DEI SUPER ALTARE, *ex thuribulo aureo: ascendente* FUMO odorifero & pretioso CORAM DEO.

Præparatio tubarum. Dum interim hâc obortâ quiete soliciti statim Ecclesiæ ANGELI, illi vigiles Præsides SEPTEM, *stantes in conspectu* DEI (cap. 1. v. 4. & cap. 5. v. 6.) PRÆPARAVERUNT SE ad denuntianda alia gravissima pericula secutura in Ecclesiis cum cæteris, tùm præsertim Asiaticis ad quas sermo & cautio valdè particularis in Apocalypsi.

Quid significet ea præparatio. Præparatio illorum sita est in eo: primùm ut excitent terrestres Angelos Ecclesiarum, Episcopos, ad proclamandum ea quæ sunt prædicta in Evangelio & præcavendum: Athanasios, Hilarios, Basilios, Nazianzenos, Epiphanios, Hieronymos, Chrysostomos, & ex aliis deinceps alios. deinde, ut his adjutores suscitentur Fundatores Ordinum, vitæ cælibis Angelicæ, & prædicationis Evangelicæ: qui circa illa tempora cœperunt ex instituto S. Basilii, Hieronymi & in posterum sequentium. qui Ordines velut *Tuba* insonuerunt per universam Ecclesiam, successione mutuâ, & numero septenario id est universo, usque in diem mundi extremum: & multùm profuerunt præmuniendæ Ecclesiæ servandæque in his turbis. De hujusmodi significatione horum 7. Tubicinum S. Hieronymus suggerit breviter his verbis (commentario in Joëlem cap. 2.) *In Apocalypsi quoque Joannis legimus 7. Angelos accepisse Tubas singulas; quibus per ordinem canentibus facta sunt quæ Scriptura describit. Præcipitur ergo nunc Sacerdotibus & Magistris, ut exaltent quasi Tuba vocem suam ut canant Tubâ in Sion, id est in Ecclesia quæ interpretatur specula atque sublimitas.* Talis hîc est

Et prænuntiatio quo fine.

est præparatio Tubarum; & semper is est finis cur DEUS prænuntiet impendentia mala, ut evitentur: etiam quando talia dicitur per se suósve Angelos immissurus aut permissurus, ut rectè S. Chrysostomus hom. 61. in Matth. *hæc minatus est, ne hæc accidant.* & hom. 10. *plagam minatur; non ut eam in nos inducat, sed ut nos ad se potius adducat.* & alibi: *quare quæ facturus es mala prædicis? ut non faciam quæ prædico.* Et S. Hieron. DEUS *neminem punire desiderans, quod facturus est comminatur.* & patet Jonæ 3. v. 10. *misertus est* DEUS *super malitiam quam locutus erat ut faceret eis, & Non fecit.*

Ignis de Altarii.

3. Postremò, post multa incensa memorabile illud accidit, ut ex suo Thuribulo, DE IGNE ALTARIS *miserit* Angelus IN TERRAM! significans, ex ipso Altari & iis ipsis qui ei deserviunt Ecclesiasticis oritura mala: unde existant TONITRUA eversura pacem Ecclesiasticam: VOCES & lites Episcoporum: FULGURA, excommunicationes contra invicem: ET TERRÆ magnus MOTUS, id est, mutatio Ecclesiarum tremenda; ut jam videbimus.

Et omina.

## §. II.

### *Tubæ 4. primæ.*

7. Tubæ.

IN numero 7. Tubarum respicitur ad SEPTEM TUBAS, *quarum usus in Jubilæo*, qui est annus remissionis pro electis: & ad 7. *buccinas*, cum quarum *clangore circumitur* Jericho civitas & populus reproborum: Jos. 6. v. 4. Ad singulas Tubas prædicuntur mala: & quidem semper auctiora vel incurabiliora usque ad ultimum *Væ*, quod est Tubæ septimæ.

De his malis Apocalypticis, prænotavimus in Prolegomeno §. 2. & 3. non esse grandinem, locustas, tenebras & cæteras plagas vel hujus Capitis vel Capitis 16. intelligendas literaliter. nequaquam ista est phrasis Apocalypseos, neque hæc mens scribentis mysteria Ecclesiastica ad Ecclesias Asiæ. Per plagas IRÆ DEI debent præcipuè intelligi plagæ Ecclesiasticæ: tales quæ referantur ad culpam; quod est objectum iræ divinæ: & universè per tentationem, quæ prædicitur, tàm timendam & ultimam debet intelligi persecutio potissimùm ea quæ fit animabus, & seductio: juxta illud Christi, non admodum aut minus timendum esse (Luc. 12. v. 4.) *ab his qui occidunt corpus.* atque adeò plus timendus est Antichristus suâ imposturâ & prodigiis, ac potestate quæ Draconis est propria, seducendi animas: fingendo se Messiam & adversando extollendóque se super omnem Deitatem. nam iis, quas etiam exercebit, atrocissimis pœnis, quibus coget corpora tanquàm Tyrannus

violentus & Cornu Bestiale; isto, inquam, genere persecutionis etiam primis sæculis, nondum tunc soluto Diabolo, & quidem crudelissimè sævitum fuit.

Quarum est proclamare.

His positis sicut non potest vocari in dubium salvâ fide Catholicâ, quin hic liber sit Apocalypsis, id est, prophetia futurorum, & eorum maximè quæ de confiniis Asiæ, & quæ pertinent ad illas Ecclesias: ita nulla est admittenda dubitatio, quin prædixerit hæreses & schisma. Hæreses primariæ illic duæ sunt: Ariana; & ea quæ biceps à Nestorio & Eutychete. harum enim duarum cæteræ surculi, & cum iis connexæ & hæ duæ pestilentissimè propagatæ. Schisma verò etiam crevit, adultum usque hodie: & illa duo genera hæreseon nondum extincta usque ad nostra tempora. De his futuris, tantum abest, ut existimandum sit Apocalypsin tacuisse ut etiam Tubis duxerit proclamanda: sed phrasi hieroglyphicâ sibi solenni; quam juvante DEO explicemus.

1. Tuba præcavet turbas Arianorum.

1. *Ad primam Tubam* prædicuntur turbæ Arianorum in Ecclesia: quorum integra & frequentia Concilia (intellige, Conciliabula.) Ibi FACTA EST GRANDO, quæ significat obstinationem: ET IGNIS, id est Zelus æmulationis quasi pro DEO: MISTA SANGUINE, id est peccato blasphemiæ: malum MISSUM IN TERRAM, permissum cœlitus.

Hieroglyphicum: combustio mediterranea.

Describitur, per simile grandinis & & incendii terrestris & sanguinis: quorum iste est pro contaminanda terra & inficiendâ contagio; grando pro sternendis arboribus; ignis pro omni viridi depascendo. CONCREMATA est enim inter grandinem & sanguinem zelo illo ac dogmatis eorum TERTIA PARS TERRÆ, ubi civitates & populi: TERTIA PARS ARBORUM, ubi Cœnobitæ & Anachoretæ; etiam ipsi secuti partes Arianorum: FOENUM autem VIRIDE OMNE (græcè πᾶς χόρτος χλωρός, id est, omne germen virens) quod protulerant Ecclesiæ paulò antè in fertili statu, COMBUSTUM EST.

Malum diuturnum & crudele.

Duravit hoc malum non modò sæculis totis; nec non, cum persecutione per Imperatores aliquos Arianos & ejectione Episcoporum orthodoxorum; neque sine varia etiam direptione, vastitate, incendiis terrarum usque in Italiam & extremum Occidentem, per Reges Arianos Gothos, seu Ostrogothos seu Visigothos, est per Vandalos æquè Arianos ad meridiem: verùm etiam usque ad hodierna nostra (dum hæc in Apocalipsyn scribimus) tempora cernitur in suis scintillis. Atque inde ab initio traxit post se alias Hæreses affines: quarum Macedoniana, Eunomiana, & similes blasphemæ contra Sanctissimam TRINITATEM: Dux & incentivum etiam sequentium dissensionum; de quibus jam jam ad Tubam secundam.

Profuit cantus Tubæ.

Veruntamen excitati ad TUBAM

Oecumenici Nicæni aliorumq; Conciliorum laboraverunt in extinguendo incendio Doctores atque Episcopi orthodoxi : & salvârunt duas partes Ecclesiæ, tertiâ parte amissâ.

Secunda Tuba præcinit tumultum inter se Nestorian. & Eutych.

2. *Ad secundam Tubam*, turbæ in Ecclesia novæ : uno eodémque tempore, Nestorianorum simul & Eutychianorum : quorum Auctores doctrinâ conspicui & sublimes authoritate, alter Patriarcha, alter Abbas infulatus, uterque Constantinopolitanus, veluti MONS MAGNUS, EXARSERUNT contra invicem, & præcipites *Missi* turbaverunt MARE Totum Constantinopoleos : ita ut TERTIA PARS illius MARIS FACTA sit SANGUIS duarum sceleratissimarum hæresum inter se pugnantium : & TERTIA PARS eâ peste MORTUA sit ANIMARUM, quæ IN MARI atque in insulis Archipelagi : & oris cæteris longè latéque : ET interierit TERTIA PARS NAVIUM & negotiationis transmarinæ ; illius tàm celebris navigationis & commercii per Formatas seu Communicatorias ut appellitabant, cum Ecclesia matrice orthodoxa. Huc spectat illud S. Augustini in Psal. 142. *Tales montes, jam sæpè diximus vobis, significant magnas quasdam animas sed malas. Non fecerunt hæreses, nisi magni homines, sed quantum MAGNI tantum mali MONTES.*

Hieroglyphicum: ardor montis in maritimis.

Describitur hoc naufragium Ecclesiarum & insularum Asiæ, per simile tempestatis maritimæ. Duravit diutissimè, & durat etiamnum (dum hæc scribimus, inquam) apud Asiaticos, uti adhuc tertia pars eorum qui nomen Christi utcumque retinent, sunt alii Nestoriani, alii Eutychiani : utrique impiissimè rei læsæ Majestatis in Christo seu unius personæ, seu duarum naturarum.

Malum permanens præ omnibus hæresibus.

Contra quos, ad sonum TUBÆ in Conciliis Ephesino & Chalcedonensi, insurrexerunt Patres ac præcones orthodoxi, & servaverunt etiam ibi duas partes Ecclesiarum tunc ab interitu. Neque aliæ Hæreses similes in Asia visæ tàm primariæ & noxiæ, quàm illa Arii ; & hæc Nestorii cum Eutychete; cujus postremi, soboles Monothelitæ.

Profuit cantus Tubæ.

3. *Ad Tertiam Tubam* latè serpens malum & valdè perniciosum Orientalibus, incepit à lapsu DE COELO, quod est Ecclesia, STELLÆ MAGNÆ, Sedis Patriarchalis Constantinopolitanæ, in schisma præ superbia Photii schismatici, appetentis sibi primatum, ac dejecti de Cœlo per Universale Concilium. Quod schisma invidiosè ARDENS, TANQUAM FACULA parva, *incidit* in FONTES AQUARUM, id est in cæteros Patriarchatus & primarios Episcopos, qui etiam ipsi pro Photio celebrârunt sua Concilia : ET IN FLUMINUM, Prædicatorum qui ex illis fontibus suum fluxum recipiunt, PARTEM TERTIAM. Nomen Schismati ABSYNTHIUM : quod vitiavit aquam dulcem uniformis gustus & unionis inter Ecclesias. Adeò ut TERTIA PARS AQUARUM versa sit in amaritudinem ac malignitatem : ET HOMINUM MULTI, qui

Tertia Tuba præsagit imminens Schisma Ecclesiarum.

Hieroglyphycum: Vitiati fontes à lapsu Stellæ.

qui inde potabantur, MORTUI SINT fide sua Schismatica sine operibus & nexu charitatis.

Describitur hæc noxa per corruptionem fontium ex ruina Stellæ. Respicitur etiam ad simile fontium & potus aquarum amarissimi, Exod. 15. v. 23. *Nec poterant bibere aquas de Mara eò quòd essent amaræ.*

Profuit cantus Tubæ.

Quando etiam tunc sonuerunt TUBA, & hominum cæteris aquam dulcem propinârunt Doctores tenaces Catholicæ unitatis. Sed ex partibus fontium & fluminum non fuit exhaustum malum, quin perduraret sapor amaritudinis.

Quarta Tuba denuntiat defectionem horrendam.

4. Donec *Ad quartam Tubam* non solùm corrupta schismate, quod abhinc duobus ferè cœperat sæculis, jam demum apertissimo & communi; verùm etiam prolapsione interim in errores, jamque in pertinacem defensionem falsorum dogmatum, ut solet diuturnum schisma degenerate in hæresin, (Blasphemiam de Spiritu Sancto &c. saltem in modo loquendi sentiendique vulgari) justo Dei judicio PERCUSSA EST caligine atque *obscurata* defecit TERTIA PARS SOLIS qui est Fides seu Doctrina vera Christiana: ET TERTIA PARS LUNÆ, quæ est Ecclesia legitima: ET TERTIA PARS STELLARUM qui sunt Episcopi, *Multi* (ait S. Augustinus de stellis in Ep. 80. ad Hesychium) *qui gratiâ fulgere videbantur* & cæteris præfulgere,

Hieroglyphicon: defectio Solis & siderum.

quomodo enim non multi, cùm unà cum Pacriarcha Constantinopolitano desciverint etiam alii Patriarchatus fundati ab Apostolis, Alexandrinus, & Antiochenus, & qui accesserat Hierosolymitanus: ita ut defectio facta sit lucis seu Veritatis penè omnium Asiaticarum Ecclesiarum, quæ tertia pars fuit, neque ignobilis quidem pars Ecclesiæ universalis: adeò ut NON LUCERET illa PARS TERTIA DIEI, id est Solis; ET NOCTIS id est Lunæ Stellarumque SIMILITER, habitantibus in umbra mortis. *Ecclesia enim est* (inquit l. 1. S. Augustinus) *Sol & Luna & stellæ, cui dictum est* (Cant. 6. v. 9.) *Speciosa ut Luna, electa ut Sol*: quæ non *apparuit* (Vox est S. Augustini) in illa sui parte, id est in particularibus illis Ecclesiis.

In his Tubis servatus est ordo Hieroglyphicorum mundi materialis. Nam post combustos mediterraneos, mersos maritimos, fluviatiles infectos; quæ sunt tres Tubæ præcedentes, hæc quarta calamitas describitur per similitudinem defectionis in sole, stellis, & luce aëris. Durat magna ex parte usque in præsens: inter dehortationes & sonitum continuum TUBÆ, qui in reliqua Ecclesia conservavit lumen, & aliquando in illis aliquid restituit tunc quando cecinit Tuba Concilii Florentini.

Profuit cantus Tubæ.

***

## §. III.

### *Clamor Aquilæ : Væ.*

Aquila.

1. CLangit VOCE MAGNA, Symbolum Imperii, AQUILA Constantinopolitana, Romani Orientalis Imperii Regia, inde à Constantino Magno celeberrimi sacris Christianis & Doctoribus. Pavet, malè ominabunda super impendente omnimoda ruina Religionis & dominationis Christianæ in Oriente! Syriaca versio addit : Aquilam habuisse *in medio caudæ sanguinem* : Omen finis exitialis propter peccata, quæ significantur sanguine in Scripturis.

Vox ejus volantis:

2. *Volat* vox ejus, id est fama ejus, PER MEDIUM COELI; quacumque patet Ecclesia DEI, Orientem inter & Occidentem : malè metuentibus, illi Imperio & Christianæ Imperiali Sedi, omnibus populis ad illam famam. Injiciebant hunc metum & augebant hunc clangorem aquilinum progressus ingentes circumquaque Saracenorum infidelium, auctore ab hinc aliquot sæculis Mahomete Arabe, cujus posteri grassabantur in Oriente; & imminebant Imperio & Christianitati tremendum in modum.

Piget meminisse interpretum quorundam, exponentium Aquilam esse vel Prophetam qui per mediam terram percurrens proclamet sequentes plagas : vel etiam Angelum aquilæ formâ assumptâ pervolantem undique. Quid hoc postremum literale aliud est quàm desperare & deserere interpretationem literæ Apocalypseos?

3. Superest & incumbit *triplex* VÆ triste HABITANTIBUS IN TERRA, præcipuè Asiaticis : quod incutietur ad cantum trium reliquarum Tubarum; de quibus in Capitibus tribus sequentibus. Advertit S. Ambrosius, super hunc locum Apocal. ex lib. 2. de Abraham cap. 7. non illud væ dici hominibus omnibus: distinguit enim inter INHABITATORES terræ, id est homines *terrenæ conversationis*, & inter accolas qui sunt homines *in terris positi quorum conversatio in cœlis est. Ergo*, inquit, *non habitatores, sed accolæ sumus terræ hujus : accola enim temporalis diversorii spem gerit : habitator autem omnem spem atque usum suæ illic substantiæ locare videtur ubi habitandum putaverit.* Quem Ambrosius accolam, S. Petrus *advenam* nominavit & peregrinum qui se abstinent à carnalibus desideriis. 1. Pet. 2. v. 11.

Væ, Væ Væ:

Habitantibus in terra.

Satagat pius Lector eximere se hujusmodi Væ quod dicitur habitatoribus terræ; & illud sibi applicet sancti Ambrosii quod subjunxit post citata verba : *Itaque qui est terræ accola, habitator Cœli est; qui autem habitator terræ, possessor est mortis.*

Et illud Ruperti Abbatis in Apocalypsin hîc: *quibus vel qualibus væ? habitantibus, inquit, in terra: id est, eis quos omninò ne sursum aspiciant detrahit terra, detinet affectio terrena.*

# TRACTATUS XII.

## IN CAPITIS IX.

## TUBAM QUINTAM.

Ventum est ad *quintam Tubam*, quæ annuntiat illud quod est *Primum Væ* de tribus: nam postea secundum væ ad cantum Tubæ sextæ. In quibus duobus væ infertur non soli vastitas illi Aquilæ, sed Asiæ & mundo universo: atque omnium maxima pericula Christianis inhabitatoribus orbis terrarum.

Tuba sexta præminatur abolitionem Imperii Christiani, Constantinopoli.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 9. Vers. 1.) *Et quintus Angelus Tuba cecinit: & vidi stellam*
*, de cælo cecidisse in terram, & data est ei clavis putei abyssi.* (v. 2.) *Et*
*, aperuit puteum abyssi: & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis mag-*
*, næ; & obscuratus est sol & aer de fumo putei:* (v. 3.) *Et de fumo putei*
*, exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, sicut habent pote-*
*, statem scorpiones terræ:* (v. 4.) *Et præceptum est illis ne læderent foenum*
*, terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: Nisi tantum homi-*
*, nes, qui non habent signum Dei in frontibus suis:* (v. 5.) *Et datum est*
*, illis ne occiderent eos; sed ut cruciarent mensibus quinque: & cruciatus*
*, eorum, ut cruciatus scorpii cùm percutit hominem.* (v. 6.) *Et in diebus*
*, illis quærent homines mortem, & non invenient eam: Et desiderabunt*
*, mori, & fugiet mors ab eis.* (v. 7.) *Et similitudines locustarum similes*
*, equis paratis in prælium: & super capita earum tanquam coronæ similes*
*, auro: Et facies earum tanquam facies hominum.* (v. 8.) *Et habebant*
*, capillos sicut capillos mulierum; & dentes earum, sicut dentes leonum*
*, erant:* (v. 9.) *Et habebant loricas sicut loricas ferreas, & vox alarum*

„*earum ſicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum:*
„(*v.* 10.) *Et habebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis*
„*earum: Et poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque; & ha-*
„*bebant ſuper ſe.* (*v.* 11.) *Regem Angelum abyſſi, cui nomen hebraicè*
„*Abaddon, græcè autem Apollyon, latinè habens nomen Exterminans.*
„(*v.* 12.) *Væ unum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ poſt hæc.*

## §. I.

### *Putei reſeratio & fumus.*

Stella.

1. STella quæ DE COELO *ceciderat* in Tuba tertia, videt eſſe *datam clavem* PUTEI ABYSSI: Qui ſi aperiatur, egredietur fumus SICUT FORNACIS MAGNÆ qui obſcuritatem denſiorem minatur ſoli & aëri. STELLA eſt Patriarchatus Conſtantino-politanus cum ſua urbe, quæ, ut vidimus Cap. præcedente v. 10. inciderat in ſchiſma, &, pro eo quòd fuerat in Cœlo collocata, jacebat collapſa in imum terræ, contermina puteo abyſſi. Erat ſecta Saracena *puteus abyſſi*, quem foderat Arabs impoſtor, receptaculum profundum in quo collectæ ſuperſtitiones ac blaſphemiæ progeneratæ ex inferno. Coaluerat (horrendum dictu!) & intumuerat propemodum octo ſæculis, ſed tanquam puteus opertus: qui nondum inundaverat Eccleſias quas Joannes nominavit. Quamobrem in Apocalypſi alia ferè commemoratio illius necdum fuit opus: præterquàm ea quæ præceſſit per medium Cœli (Cap. præced. v. 13.) vociferationis, & impendentis Væ atque horroris diu ac ſæpius à Saracenis incuſſi & appropinquantis. Adhuc FUMUS ejus, qui doctrinam illam ſignificat infernalem, coërcitus intra illam ſuam nationem Saracenorum & Sectam interim attinebatur ne aſcenderet aut ſuperfunderetur Imperio & culmini Chriſtianorum.

Puteus abyſſi.

Adhuc apertus, ne ebulliret.

2. Donec hunc puteum ſibi APERUIT Conſtantinopolis ſchiſmatica & contumax in oblocutione adverſus originem ac perſonam Spiritus ſancti. Nam hujus Divinitate vindice DATA EST EI CLAVIS, id eſt facultas aperiendi permiſſa: poſtquàm Schiſma ſex ſæculorum & errores ſponte aſſumpti præparaverant illam poteſtatem & illum aditum execrandum ex profundo ſuperſtitionum.

Apertura putei.

Diximus *fumum* ſignificare doctrinam ſectæ Saracenæ: is quaſi ex FORNACE MAGNA ſic ex inferno eum afflante fuerat progenitus: & in illo puteo, in illa ſua Secta, concluſus interea tenebatur.

3. Nam ipſe ille quidem puteus intra ſe fumabat jam per ſæcula complura: & in illo agmen locuſtarum, quod natum erat in profundo abyſſi, paſcebatur

Fumus putei.

batur illo suo fumo doctrinæ superstitiosæ. Dudum hic fumus ejus infernalis, impatiens coarctationis & angusti spatii concutiebat terram, erupturiens usque ad & subter Constantinopolim: sed hac adhuc inaccessâ reprimebatur intra statutos terminos, longâ dissimulatione DEI circa illam tantam urbem, & coërcitione putei, hoc est, Sectæ ex abysso collectæ. Quoad sublato repagulo, apeirente obstinatissimo Schismate tot jam sæculorum inveterato unà cum pertinacia in temerariis dogmatis, diffusus est fumus atque intromissus in sedem olim Regiam Imperiis & Religionis Christianæ: cujus omnem reliquam sustulit lucem; & offudit tenebras Soli & aëri illi tantas, ut impediverit accessum & spem omnis illustrationis supernæ.

Obscuratio.

## §. II.

### *Locustæ ex fumo.*

1. SImul cum illo suo FUMO repleverant LOCUSTÆ putei urbem ac ditionem atque Imperium Constantino-politanum, permissæ & emissæ ad potiundum illo & ad Religionem conculcandam: additâ illis POTESTATE *simili* SCORPIONUM. Quæ, & omnia quæ hîc narrantur, manifestè cadunt in irruptionem Turcarum Constantinopolim: quando eâ potitus est Mahometes ejus nominis Imperator primus, eversor Orientalis Imperii anno Christiano 1453. Et, quod est væ primum, transiit urbs & orbis Ecclesiæ Orientalis ad Turcas.

Locustæ.

Hi sunt enim posteri & successores Saracenorum; progenies & indoles Tartarorum ex quibus prodierunt. Plinius lib. 6. nat. hist. cap. 7. meminit *Turcarum* jam tum circa Mæotidem paludem. Multitudine sunt sicut locustæ; virulenti sicut scorpiones.

2. His locustis non est negotium devorandi FOENUM TERRÆ & quod in illa VIRIDE & quidquid pomorum in *arboribus*; prout refertur de locustis in Ægypto, quæ fuerunt figura vel umbra harum, Gen. 10. v. 15. Quasi dicat S. Joannes: non esse de genere locustarum brutarum; sed esse homines, quod apertè (v. 7.) subjicit ex FACIE dignoscendum. Quapropter in hunc versum quartum Apocalypseos, rectè ait Rupertus Abbas Comment. lib. 5. *Perspicuè ostendit quia non per proprietatem sed per similitudinem Locustas de fumo illo exiisse dicit: dum, quod locustæ est facere, hoc illis interdictum esse scribit: locustarum namque est lædere fœnum terræ, & omne viride, omnemque arborem, quemadmodum inter plagas Ægypti scriptum est. Istis autem, ne quid talium, sed tantùm homines læderent: quia videlicet & ipsi homines erant qui hîc Locustæ dicti sunt.* Homines igitur cùm sint, PRÆCEPTUM EST ILLIS TANTUM HOMI-

Potestas data:

HOMINES cruciare, eosque schismaticos quorum superficiem terræ operuerunt; nam hi sunt QUI NON HABENT SIGNUM DEI quod habere deberent à Spiritu sancto legitimum coram DEO & Ecclesia IN FRONTIBUS SUIS. Immò neque hæ locustæ ad interficienda corpora schismaticorum incolarum sunt propriè destinatæ, sed ad *cruciandum*, id est affligendum captivitate & servitute ejuscemodi præ qua *mors* sit *optabilior*, ut dicitur v. 6.

Limitata præcepto;

Atque hoc est primum, quod *præcepto*, id est providentiâ divinâ, hîc dicitur caveri. Accedit illud quoque alterum (nam uno eodémque verbo Apocalypseos dicuntur simul plura) quòd itidem cautum fuit divino eodem consilio & decreto, ne illis etiam in terris absumerent *omne germen* Christianismi, neque *omnem virorem* pietatis erga Christum ac venerationis, neque ut inter *arboreta*, officerent habitationi eremicolarum aut cœnobitarum. Etenim notorium est de Turcis, quòd patiantur fidem & cultum Christi, dummodò semel illas terras sibi subjecerint gladio & habeant subjugatas: Tolerant enim in Græcia, in Natolia seu Asia minore, in Syria, ipsis Hierosolymis templa: monasteria: quatuor Patriarchatus veteres qualescunque: peregrinationes undique visitantium loca sancta & sepulchrum Christi: adeò ut non solùm permittant sed etiam committant custodiæ Christianorum habere illîc hospitia sua & asceteria religiosa. Habet Constantinopolis Galatam seu Peram oppidum, solo disjunctum Sinu, latitudinis triginta passuum: in quo plerique incolæ Christiani, ac præcipuè mercatores. Habet urbs Græcum Patriarcham, cui Monasterii sui ædes nobilis: Græcis cæteris ædes sacræ, etsi obscuriores, septuaginta censentur ab iis qui viderunt: Armenorum septem: Francorum decem circiter. Quem numerum aliis examinandum relinquimus. Quid quod perniciosissimâ simulatione suæ doctrinæ, ac velut incrustatione suæ Scripturæ (hanc enim Arabicum nomen sonat Alcoranus,) nec damnent quidem ita Christianos, quin concedant posse salvari? quos sicubi cogant abnegare Christum, id neque est illis generale; neque per se intentum (eâ violentiâ), id est, non propter abnegationem ipsam, sed ut securè utantur iis in bello, quos Renegatos vocant & omnes applicant ad arma. Denique illud etiam est tertium eorum quæ caventur præcepto, id est, dispositione divinâ: ut cùm servitus & jugum illorum sit intolerabile in schismate his, qui, non signati, destituuntur gratiâ & DEI auxilio supernaturali, veris quidem servis DEI & signatis electis cedant omnia in bonum & ad salutem. Quò spectavit cantus TUBÆ.

Tripliciter.

Profuit cantus Tubæ.

3. Tempus CRUCIATUS definitur MENSIBUS QUINQUE: neque enim temerè in hoc loco nominantur menses. Rupertus quidem Abbas in Apoc. lib. 5. comment. *Quare autem mensium potius quàm annorum nomine vel numero illa servitutis tempora* (Loquitur de Israëlitarum mutatione servitutis) *Designantur? videlicet,*

Cruciatus mensibus quinque.

*delicet, quia in mensibus secundùm Lunam, quos solos Hebræi, de quibus sermo est, noverunt vel computant, mutabilitas crementi vel decrementi est; quæ & stultorum mutabilitatem significat, dicente Scriptura, Stultus ut Luna mutatur.* Et infrà: *Potestas eorum nocere hominibus, mensibus quinque: id est servituti eos subjicere per vices quinque.* Ita ille.

Cruciatus mensibus quinque.

Sed enim multò aliud Mysterium & evidenter aperitur in his mensibus: Et quidem duplici ex capite & sensu. Primò: constat eos Lunati circuitu effici: Et Lunationes esse Turcarum proprias, qui habent Lunam pro insigni, pro tutela, pro ornamento; & incrementa ejus ac decrementa pro superstitioso augurio: urbes ipsæ signantur Lunâ in mappis geographicis, & datur intelligi eas esse in ditione Turcarum. Lunationes autem quinque significant totidem mutationes (Eccl. 27. v. 12. *Ut Luna mutatur*) quæ acciderint in Imperio Turcarum inde à prima regni hujus origine: & est numerus Lunationum quinarius, id est imperfectus in serie numerorum, utpote dimidius denarii qui est numerus perfectus. Computet peritus revolutionum Turcicarum mutationes quæ intervenerunt usque ad nostra tempora: & divinet quid restet ab accompletione quinarii; speretque prope abesse casum illius Jericho. Secundò: meritò Schismatici subjecti sunt Lunæ Mohometicæ: quia elegerunt mutari per schismata: & patiuntur vices stultitiæ sui ipsorum. In quos cadit illa expositio Ruperti in hunc locum (quam ille applicat variæ servituti Israëlitarum.) *Quod ergo dictum est; sed ut cruciarentur mensibus quinque; idem est ac si diceretur: sed ut quinquies in stultitiam mutati in servitutem redigerentur per vices quinque.* Videtur Apocalypsis hoc numero inundationis Locustarum respexisse ad inundationem quasi diluvii Asiatici: nam illa in Genesi obtinuit terram *diebus centum quinquaginta*, qui sunt menses quinque; cap. 7. v. 24.

## §. III.

### *Descriptio Locustarum.*

Jam quod ad Locustas attinet, hæ aptissimè referunt Turcas.

Locusta, animal infestum.

1. Est locustæ materiali apud Italos nomen Cavaleta, quod sonat parvum Equum: eò quòd speciem gerat equi cataphracti, animal loricatum. Habet pinnas pro aculeis: vastat agros ac devorat: inquietum & vagum: agmen earum impudens quod omnia percurrit saltu ac volatu: sordidum quod omnia inquinat quantumvis munda aut regia. Ipsæ cum sint vi-

les & exiguæ, totas provincias depaſcuntur & abliguriunt.

Imperium Turcarum.

2. Sequitur in Apocalypſi deſcriptio Turcici Imperii ad vivum. SIMILES, inquit, EQUIS PARATIS IN PRÆLIUM: ob audaciam armorum & profeſſionem atque ardorem belli in quo ponunt omnia.

SUPER CAPITA EARUM TANQUAM CORONÆ SIMILES AURO. Habent verò, habent capita coronata velut auro: coronam in Syria ubi Damaſcus ſedes eſt Regni: in Palæſtina, ubi Hieroſolymæ: in Africa, Tuneti: in Thracia, Conſtantinopoli: in Aſia minore, Trapezuntii quæ eſt civitas Cappadociæ: ut omittam Reges & Principes tributarios in Bulgaria, Servia, &c.

FACIES EARUM TANQUAM FACIES HOMINUM. Quò manifeſtiſſimè oſtendat non eſſe alios quàm homines: immò & præ ſe ferre ac ſervare certas leges humanitatis ac politiæ, cùm erga exteros, tùm inter ſe præſertim.

HABEBANT CAPILLOS SICUT MULIERUM: Agathias lib. 1. ſcribit fuiſſe *intonſos, ſordidos, implexos, ſqualidos.* Hodieque alunt cirrum aut crinem pendulum ex occipite; mulierum autem appellatione notatur eorum polygamia & mulieroſitas.

DENTES EARUM SICUT DENTES LEONUM. Ea eſt feritas in comminuendo quod ceperint; retinendóque mordicus, tanquàm dentibus: Barbara & arrogans in rapiendo & ſubjugando, tanquàm Leonum. Eſt & dentium leonis, naturalem afferre putorem; infami mancipatu detinere. HABEBANT LORICAS SICUT LORICAS FERREAS. Pectus ac præcordia indurata, bellicoſa, ferrea.

VOX ALARUM EARUM SICUT VOX CURRUUM EQUORUM MULTORUM CURRENTIUM IN BELLUM. Quis neſcit eos pollere multitudine qua ſe effundunt in bellum: ac maximè equitatu valere, ac velut alatorum curruum ſono perſtrepere atque horrendâ cum vociferatione additâ procurrere in aciem?

HABEBANT CAUDAS SIMILES SCORPIONUM, ET ACULEI ERANT IN CAUDIS EARUM: Vulnerant etiam animas, & aculeum infigunt apoſtaſiam: non velut à fronte & apertè, ita ut velint extorres omnes Chriſtianos; ſed fraudulenter; implicando velut caudâ quâ alliciunt, aut pertrahendo captivitate quâ feriunt & premunt. Rupertus Abbas Com. lib. 5. *Scorpius*, inquit, *prius capite blanditur; & poſt caudâ feriens mortifera venena diffundit.* POTESTAS EARUM NOCERE HOMINIBUS: Violenta; & inſidioſa: genio ac formâ compoſitâ (prout hîc deſcribitur) non ex ſolis locuſtis, ſed commixta ex homine, leone, ſcorpio, & equo: præparatione belli ut equorum armatorum; facie, ut hominum; dentibus, ut leonum: caudis & aculeo tenus, ſcorpionum: multitudine, inquietudine, vexatione, ac vaſtatione locuſtarum. MENSIBUS QUINQUE: Circulo Lunari; de quo diximus §. præcedente. || 3. ET

Rex locustarum.

3. ET HABEBANT SUPER SE REGEM &c. Cùm locustæ materiales *Regem non habeant*, ut dicitur Prov. 30. 27. At hæ habent, quia homines sunt. *Regi* NOMEN est *Exterminator*; talem enim se profitetur gladio & sectâ: videlicet, Regnorum Christianorum eversorem per vim & apertum Martem; Religionis autem etiam per insidias caudæ & aculeum captivitatis, morte durioris. Hoc nomen posuit Latinus interpres: nam in autographo Joannis non est nisi nomen Hebræum ABADDON & Græcum APOLLYON: quæ duo nomina in his duobus idiomatis sola ponuntur expressa in Apocalypsi; propterea quòd in his maximè linguis duabus & terris processerit exterminatio. Quam exercendo meritò appellatur ANGELUS ABYSSI: tàm is qui cadit sub aspectum & præest puteo abyssi, ac sceptrum tenet sectæ; quàm is à quo ille regitur & qui præsidet superstitioni, Angelus inferni.

Cur ei nomen Hebraicè & Græcè.

Angelus abyssi.

Hactenus primum Væ, & Exterminationis Orientalis viva repræsentatio.

Aperi, Lector, viscera misericordiæ Christianæ: & compatere terris celeberrimis, olim populo illustri à doctrina & fide, seminario SS. Patrum & Doctorum: obruto nunc ignorantiâ & cæcitate partim adhuc manifestarum hæreseon veterum à Conciliis & antecessoribus illiúsmet populi damnatarum, quas commemoravimus ex Apocalypsi ad Tubam primam & secundam; partim Schismatis Ecclesiastici, ac defectionis in chaos errorum, ad Tubam tertiam & quartam: Jámque ad Tubam quintam vastitate, proculcatione ac jugo intolerando Turcarum & superstitione, quibus succubuit. Sit exemplo cæteris Ecclesiis particularibus, ut ne deserant unitatem ejus Ecclesiæ *in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus* (Aug. Ep. 162. ad Elorium.) & ut exhorreant occasionem schismatis, lernam tantorum malorum. Comedat nos zelus Domus DEI, parietum ejus (heu parietinarum!) Orientalium: commoveat splendor sublatus Orientis, & salus populorum ac reductio à schismate quod fuit illis fons exitii.

# TRACTATUS XIII.

## IN RELIQUA CAPITIS IX.

Tuba ſexta: nuntia Imperii Anti-chriſtiani.

Incipit cantus *ſextæ Tubæ*, & *Væ ſecundum.*

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 9. Verſ. 13.) *Et ſextus Angelus Tubâ cecinit; & audivi vo-*
*„cem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei.*
*„(v.14.) Dicentem ſexto Angelo, qui habebat tubam, Solve quatuor*
*„Angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate. (v.15.) Et ſoluti*
*„ſunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam, & diem, & menſem,*
*„& annum ut occiderent tertiam partem hominum. (v.16.) Et numerus*
*equeſtris exercitus vicies millies dena millia. Et audivi numerum eorum.*
*„(v.17.) Et ita vidi equos in viſione: & qui ſedebant ſuper eos, habe-*
*„bant loricas igneas & hyacinthinas & ſulphureas, & capita equorum*
*„erant tanquam capita leonum: & de ore eorum procedit ignis, & fu-*
*„mus, & ſulphur. (v.18.) Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars ho-*
*„minum, de igne, & de fumo, & ſulphure, quæ procedebant de ore ipſo-*
*„rum. (v.19.) Poteſtas enim equorum in ore eorum eſt, & in caudis eo-*
*„rum, nam caudæ eorum ſimiles ſerpentibus habentes capita: & in his*
*„nocent; (v.20.) Et cæteri homines qui non ſunt occiſi in his plagis, ne-*
*„que pœnitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum, ut non adorarent*
*„dæmonia, & ſimulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, &*
*„lignea, quæ neque videre poſſunt neque audire, neque ambulare. (v. 21.)*
*„Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis ſuis, neque à veneficiis ſuis,*
*„neque à fornicatione ſua, neque à furtis ſuis.*

### §. I.

### *Dæmones ad Euphraten.*

1. MOnitu *ſextæ* TUBÆ promulgatur & cavetur immanis perſecutio imminens Antichriſtiana. Ea prædicitur hoc modo: Jace-

Vox ex altari aureo.

Jacebat ab locustis profanatum diu ANTE OCULOS DEI *altare aureum*, vacuum cultu legitimo, & suo incenso quod Capite octavo v. 3. ostendebantur esse orationes sanctorum: quamobrem illarum loco auditur ex altari contempto VOX minarum & annuntians pœnas DEI videntis. UNA est eadem vox EX QUATUOR CORNIBUS ALTARIS: quæ versus quatuor partes terræ se diffundit ut audiatur per eam totam.

Angeli alligati: qui?

2. Ea vox est ad Angelum tubicinem sextum: SOLVE, inquit, QUATUOR ANGELOS QUI ALLIGATI SUNT IN FLUMINE MAGNO EUPHRATE. Ligantur non nisi mali Angeli: quorum hi 4. Archidæmones, præsides impietatis ac nominatim, Apostasiæ Judaicæ stabiliendæ: alligati fuerunt vi fortioris armati, quando Christus moriens illis injecit vincula, id est restrinxit potentiam nocendi: juxta illud Col. 2. v. 15. *Exspolians principatus & potestates traduxit illos confidenter palàm triumphans illos.* Horum Principum & harum Potestatum (earum quæ præsunt in primis pseudo-Judaismo) carcer ab eo tempore fuit designatus vastum flumen Euphratis, quod perluit Babylonem; quæ est habitatio præcipua perfidorum, ut nunc sunt inter Infideles, Judæorum. Eadem est locus natalis Antichristi, ut infra dicemus; atque in omnibus Scripturis & apud omnes SS. Patres typus est ac sedes Regni Diaboli & manifestè impiorum: intra quos limites continetur eorum voluntas evagandi. At ubi soluti fuerint, væ toti mundo quantumvis piorum, quoniam seductio erit tanta & tàm potens, *ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*, Matth. 24. v. 24. Quod autem solventur, id fit justa DEI vindictâ ad implendam mensuram supplicii Judæorum: DEO permittente ut recipiant Antichristum, qui noluerant Christum: qui est sensus Apostoli 2. Thess. 2. ubi cum diceret v. 9. Adventum Antichristi esse *secundùm operationem Satanæ* &c. *In omni seductione*: reddit causam v. 10. in pœnam gentis Judaicæ: *Eò quòd*, inquit, *Charitatem veritatis* (Christum) *non receperunt, ideo mittet illis DEUS operationem erroris* (Antichristum: neque enim tàm operator quàm operatio ipsa) *ut credant mendacio.* Quæ erit iis ultima pœnarum; seu obstinatis ad damnationem; seu convertendis, ad resipiscentiam. Nam in hac etiam ira sua (Psal. 76. v. 10.) *Non continebit misericordias* suas, ut videbimus suo loco; atque in Caput 20. Apocalypsis v. 7. &c. Ubi plura de alligatione Draconis & solutione.

Cur in Euphrate?

Cur solvendi?

Quatuor:

3. Mirum in modum hi quatuor inhiant solutioni. Propterea QUATUOR, quia in tot se divident partes mundi, quarum nulla erit immunis: PARATI, inquit, IN HORAM ET DIEM ET MENSEM ET ANNUM; qui modus loquendi significat illorum desiderium impatientissimum, quæ numerant primùm horas, dein dies, tum menses atque annos futuræ solutionis & licentiæ. Stant præparati toti & anhelant ad con-

Expectabundi.

conceptum facinus exequendum, quod est *occidere* animâ tenus omnes Christi fideles ejus temporis: & revera TERTIAM PARTEM occident animarum: ut, sicut tertia pars stellarum cesserat Draconi DEUM oppugnanti in Cœlo; sic, operâ Draconis, Antichristo tunc pugnanti pars cedat tertia militantium DEO in Ecclesia. Intendunt & vellent omnes prorsus ad unum necare occisione æternâ: cadit enim in unumquemque ex illis quatuor valentissimis dæmonum illud Job. 40. v. 18. *Habet fiduciam quòd influat Iordanis in os ejus.* Quòd si necem animæ desperaverint procurare ullis impostu-ris, machinabuntur illam per necem corporum & persecutionem tantam, ut vel sic tertiam partem integram mortalium eliminent & vel Cœlo vel ex oculis hominum auferant.

Tertiam hominum partem occisuri.

## §. II.

### *Equitatus.*

Soluti adducunt Equitatum.

1. ET ecce *Equitatus*, qui à solutis Archidæmonibus eum in finem cogitur, propugnatorum Antichristi Regis ac Messiæ; VICIES MILLIES DENA MILLIA (græcè, duæ myriades myriadum, est enim myrias decem millia) id est ducenti milliones. Nemini videatur incredibilis hic numerus: quando Nicolaus Trigautius testis locuples soli regno Chinæ attribuit ducentos quinquaginta milliones animarum; libro de expeditione Sinensi. Multò igitur plures Antichristianæ erunt copiæ, ut erit amplitudo Regni ejus maxima: & ab eo conscriptæ per totum orbem diffundentur ad seducendum ac pertrahendum.

Quorum temporum prophetiam uberiorem reservavit S. Joannes secundæ parti Apocalypseos, ut suo loco proprio: ita tamen ut hîc eam attingat obiter ob sextam Tubam.

Equitatus quis.

2. Hi sunt Equites rufi contra album: impulsore ac directore Diabolo: turmæ Judæorum per totum mundum dispersorum, & quotquot illis se adjungent cum Antichristo Rege Judæorum facturi. Ex his erunt, Rabbinorum multitudo, prætoriæ cohortes in exercitu Gog & Magog. (de quo Cap. 20. v. 7.) ducibus dæmonibus, buccinatores ac Prædicatores Antichristi per totum mundum. Admonet enim S. Augustinus lib. 26. de civ. cap. 10. (Cujus verba citabimus Apoc. 20. Gog & Magog non esse gentem in aliqua certa parte mundi, sed in omnibus gentibus; perinde ut Ecclesia & fideles Christi non ad unum congregandi sunt locum, sed erunt diffusi per omnes gentes. Nihil autem tàm dispersum in mundo quàm Judæi, psal. 58. 12. nihil tàm expectabundum ejus quem nos vocamus Antichristum: nihil tàm effusum

sum ad eum recipiendum & prædicandum.

Et de *numero* quidem EQUESTRIS EXERCITUS Joannes testatur se illum *audisse*: apparuisse autem IN VISIONE Insessores Equorum & Rectores munitos *loricis igneis & hyacinthinis & sulphureis*. Ignitæ erunt, propter zelum quo ardebunt toto pectore contra Christianos, oppressores suos tot sæculis: hyacinthinæ, propter speciem & colorem cœlestem, prætextu divinæ legis restituendæ: sulphureæ, propter promptitudinem accendendi doctrinam infernalem de pseudomessia. His loricis armantur & proteguntur à Diabolis jam solutis.

Equitum cataphractura.

*Equi*, Synagogæ Judæorum, visi sunt *capitibus* TANQUAM LEONUM, præ ferociâ & arrogantiâ quâ insultabunt Christianis. Ac DE ORE Equorum tria hæc, IGNIS ET FUMUS ET SULPHUR: primùm quidem, quia pro se ipsismet hinnient ad Principis mundi promissa terrena, *omne id quod est in mundo*, concupiscentias tres, carnis, honorum, ac divitiarum, quorum abundantiam Doctores Judæi expectari jubent cum adventu sui Messiæ & vi promissionis in Lege revectâ in totum orbem. Deinde, quia contra Christianos spirabunt quidquid habet infernus minarum; concitati ab afflatu ejusdem Principis mundi: videlicet ignem, fumum, & sulphur, quo sint sævituri in eos qui restiterint suo Regi aut Messiæ. Atque AB HIS TRIBUS PLAGIS, ex ore equorum, inquit Joannes, OCCISA EST TERTIA PARS HOMINUM: Per pollicitationes terrenas, & suppliciorum interminationem. Quæ vis *oris* ac POTESTAS nocendi etiam adjuvabitur à CAUDIS eorundem Equorum: erunt enim Antichristi sectatoribus & ministris venenatissimæ SIMILES SERPENTIBUS; qui erit dolus eorum ad pelliciendum: & *in caudis* CAPITA, blandiloqua prædicando suadendoque, adspirantium occultè virus diabolicum.

Equorum capita.

De ore eorum ignis, fumus, & sulphur.

Caudæ similes serpentibus.

Certè cum per hunc Equitatum Magnus Doctor Gregorius intellexerit sui temporis Prædicatores sectarum hæreticarum: multò magis hujus omnium perniciosissimæ & novissimæ sectæ de novo Messia. Et ori quidem ille persuasionem, caudis verò temporalem quam post se trahunt potentiam tribuit: *His igitur*, inquit, *Equis, id est nequissimis prædicatoribus, in ore & caudâ potestas est: quia ipsi quidem perversa, suadendo, prædicant, sed temporalibus potestatibus fulti per ea quæ retrò sunt se exaltant.*

Habentes capita.

## §. III.

### *Obstinatio Impiorum.*

Seductio.

1. ISTorum, ut diximus, partim arte ac deceptione persuasi, partim vi & coactione compulsi, tertia illa pars fidelium à Christo abstracti sunt.

2. Nam

Idololatria.

2. Nam CÆTERI vel ſicubi erunt adhuc idololatræ uſque ad illud ſæculum : vel cultores illius magni *Simulachri*, quod inſtar obtinet omnium aliorum; id eſt, falſi Meſſiæ: vel denique homines profanæ vitæ, quorum Deus *aurum*, *argentum*, *æs*, *lapides & ligna* pretioſa; quæ cupiditas & avaritiâ etiam ipſa eſt ac nominatur *dolorum ſervitus*, Eph. 5. v. 5. & Eph. 3. v. 5. ſponte ſequuntur Diaboli partes.

3. Hi tantum abeſt ut reſipuerint ad agendam pœnitentiam, ut obſtinatiores ſint effecti cùm in ſuo quiſque genere idololatriæ : tùm in aliis vitiis quæ inundabunt terram; *homicidia*, *veneficia*, *luxuria*, *furta*, & omne genus injuſtitiæ, quorum patratores computantur cum idololatris.

Scelera.

Quod attulimus de cultu magni Idoli qui ſit Antichriſtus, præſenſit & recenſuit hanc idololatriam S. Irenæus lib. 5. cap. 25. ubi de Antichriſto ſic ait : *Idola quidem ſeponens ad ſuadendum quòd ipſe ſit DEUS, ſe autem extollens UNUM IDOLUM, habens, in ſemetipſo reliquorum idolorum varium errorem : ut hi qui per multas abominationes adorant Diabolum, per hoc unum Idolum ſerviant ipſi.*

# TRACTATUS XIV.

## IN CAPUT X.

Immoramur iis, quæ pertinent ad TUBAM SEXTAM. Et eſt Summa Capitis, hujus & ſequentis finem imponere Diphtheræ ac Tempori.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 10. Verſu 1.) *Et vidi alium Angelum fortem deſcendentem „ de cælo amictum nube, & iris in capite ejus, Et facies ejus erat ut ſol, & „ pedes ejus tanquàm columnæ ignis.* (v. 2.) *Et habebat in manu ſua li- „ bellum apertum : Et poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum „ autem ſuper terram.* (v. 3.) *Et clamavit voce magna; quemadmodum „ cùm leo rugit : Et cum clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas. „* (v. 4.) *Et cùm locuta fuiſſent ſeptem tonitrua voces ſuas, ego ſcripturus „ eram : & audivi vocem de cælo dicentem mihi : Signa quæ locuta ſunt „ ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere,* (v. 5.) *Et Angelus, quem vidi ſtantem*

" *tem super mare, & super terram, levavit manum suam ad cælum. (v.6.)*
" *Et juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cælum, & ea*
" *quæ in eo sunt, & terram, & ea quæ in ea sunt, & mare, & ea quæ in eo*
" *sunt: Quia tempus non erit amplius: (v.7.) sed in diebus vocis septimi*
" *Angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut*
" *evangelizavit per servos suos Prophetas. (v.8.) Et audivi vocem de*
" *cælo iterum loquentem mecum & dicentem: Vade & accipe librum*
" *apertum de manu Angeli stantis super mare, & super terram. (v.9.)*
" *Et abii ad Angelum, dicens ei, ut daret mihi librum. Et dixit mihi: Ac-*
" *cipe librum & devora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, sed in*
" *ore tuo erit dulce tanquam mel. (v.10.) Et accepi librum de manu An-*
" *geli, & devoravi illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cum*
" *devorassem eum, amaricatus est venter meus: (v. 11.) Et dixit mihi:*
" *Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regi-*
" *bus multis.*

## §. I.

### *Apparitio Angeli.*

Fortis: descendens, in nube.

1. JAm ex Libro Diphtheræ ostensæ solus restat umbilicus: & tempus mundi ante judicium breve. Ad hoc significandum apparet *Angelus fortis*, tali in habitu in quo repræsentat imminentem Judicem: FORTEM enim ad ulciscendum se de inimicis suis: DESCENDENTEM DE COELO, *sic* enim *veniet quemadmodum* visus ascendere, Act.1. v. 11. AMICTUM NUBE, quia in illa veniet Luc.21.v.27.

Iris capitis.

2. IRIS IN CAPITE EJUS: quia memor pacti quod iniit, & promissi quod fecit servis suis quos venit muneraturus. FACIES EJUS UT SOL: transfiguratus enim & clarificatus, ac Judex nunc qui fuerat olim despectus ac judicatus.

Pedes, columnæ ignis.

3. Sicut autem in capite Iris prolectis: ita PEDES sunt TANQUAM COLUMNÆ IGNIS ad conculcandos & ad exurendos reprobos.

## §. II.

### *Libellus in manu.*

Libellulus.

1. DIcitur Angelus, qui illum repræsentat, ostendisse IN MANU SUA LIBELLUM APERTUM; eundem illum, quem antea promulgaverat clausum, cap. 5. v. 2; sciscitatus quisnam mereretur aperire. Ubi illud observatu dignum, quòd cùm in toto illo quinto capite dicatur Liber, hîc jam dicatur *Libellus*: immò in græco textu originali, βιβλαρίδιον id est Libellulus, quo nomine Joannes utitur toto hoc jam in capite, versibus 2. 8. 9. & 10. quater appellans Libellulum. Causa est, quòd ejus Libri qui antea scriptus intus & foris, cùm primùm aperiretur, erat copiosior, brevis admodum adhuc restet lectio.

Materia libelli.

2. Ea est reliquum illud ex diphthera aperta, quod ultimò pertinet ad sextam Tubam: videlicet, status rerum proximè & sub tempus Antichristi: deproperante mundo ad exitium & exitum. sanè libellulus, id est materia brevissimi temporis, extrema pars Diphtheræ: quàm difficilis postea digestionis, tàm devoratu antea facilis.

Et libellus & liber.

3. Latinus quidem interpres postquàm appellâsset Libellum, deinceps utitur nomine LIBRI: quoniam utique ita est Libellulus mole, ut virtute rerum quæ continentur ac pondere sit instar Libri.

## §. III.

### *Reliqua de Angelo & Libro.*

Pedes super mare & terram.

1. SEquitur in Apocalypsi de illo forti Angelo: POSUIT PEDEM SUUM DEXTRUM SUPER MARE, SINISTRUM AUTEM SUPER TERRAM: Utrumque ignitum. Quo significatur, quòd per adventum Domini, ut loquitur S. Petrus ep. 2. cap. 3. v. 12. *elementa ignis ardore tabescent*, & habitatio mortalium, terra & mare, exuretur. Et quia mare in Evangelio solet accipi pro sæculo iniquo, terræ autem bona est promissio quædam, & possessio sancta ut Matth. 5. v. 4.) Ideò potest dici quòd mare pede igneo priùs & fortius prematur; ut maritimorum fiat combustio, terra verò ut excoquatur igni.

Clamat.

Eo igitur situ dum præmonstraret futurum Judicium, CLAMAVIT VOCE MAGNA, QUEMADMODUM CUM LEO RUGIT: illius

illius prænuntius magnæ vocis de qua prophetatum est Amos 3. v. 8. *Leo rugiet, quis non timebit?*

7. Tonitrua: 2. Simulac Angelus clamâsset, LOCUTA SUNT SEPTEM TONITRUA VOCES SUAS. Præsignificatur his tonitruis sententia Tonantis in extremo illo tribunali contra impios: & audiuntur septena; tùm quia universale judicium est, quod significat septenarius; tùm quia universus Ordo impiorum sic ferietur, ut sit contra unumquodque genus vitiosorum suum proprium tonitru Judicis, pro diversitate septem scelerum capitalium.

Obsignata. Sed has voces SCRIPTURUS Joannes inhibetur imperio *vocis* alius DE COELO, σφράγισον; id est *obsigna*, QUÆ LOCUTA SUNT SEPTEM TONITRUA, ET NOLI EA SCRIBERE: secretum est enim quidquid in illa die pro judicio revelabitur, & tunc pro tonitruo audietur ab omnibus.

His gestis, eodem suo manens Angelus in situ pedum super mare & terram, *levat* MANUM (quod simul est comminantis:) ac *jurat* PER VIVENTEM IN SÆCULA, Creatorem *Cœli*, *terræ*, *maris & omnium quæ in iis sunt*, condita in usus humanos: ut primùm COEPERIT audiri TUBA SEPTIMI ANGELI, TEMPUS NON fore AMPLIUS; neque enim Cœlo motum, neque hominibus spatium operandi suam salutem: sed incipiente, inquit, illo sono tubæ CONSUMMABITUR

Juramẽtum de Tuba septima.

MYSTERIUM regni DEI; toto eo quod prædictum fuit in *Evangelio* & in *Prophetis* impleto. Respicitur ad Caput 12. Danielis, v. 7. ubi vir *indutus lineis* similiter jurat *per viventem in æternum*; *quia in tempus & tempora & dimidium temporis*; & addit, *complebuntur universa hæc.*

3. Audierat S. Joannes vocem è Cœlo de signandis tonitruis nec scribendis. Audit ITERUM ex eodem COELO VOCEM, qua jubente *vadit & accipit* DE MANU ANGELI *Librum*, qui modò dicebatur libellus, APERTUM: atque eo exhortante *devorat*. ad eum modum quo Prophetæ Ezechieli porrectus est liber comedendus, simili effectu. Visus est IN S. Joannis, sicut & in S. Ezechielis, ORE Liber dulcis TANQUAM MEL, at in *ventre* deprehensus est *amarus*: quia omnis per se ipsa cognitio futurorum, DEO præsertim revelante, dulcis & sapida est, quamvis adversorum: at res cognita & ruminata creat amaritudinem ruminanti. Devoratio Libri.

Denique citò devorabatur ut libellus: at ruminatus in ventre non secus erit ac Liber; materia integra ITERUM *prophetandi*, simul & eructatu amarissima: nec jam tantummodò de Asia, neque ad illam potissimùm solam, sed de omnibus GENTIBUS & ad illas; ad *populos* omnium *linguarum*, & ad *Reges* quorum toto orbe res agetur.

# TRACTATUS XV.

## IN CAPUT XI.

Materia iterum prophetandi (quod fuerat jussus) congesta perstringitur summatim, pertinens ad Tubam sextam, & finiens in Tuba septima.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 11. Vers. 1.) *Et datus est mihi calamus similis virgæ & dictum* „ *est mihi: surge & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo.* „ (v.2.) *atrium autem, quod est foris templum, ejice foras, & ne metiaris* „ *illud: quoniam datum est gentibus, & Civitatem sanctam calcabunt* „ *mensibus quadraginta duobus:* (v.3.) *& dabo duobus testibus meis, &* „ *prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.* (v.4.) *Hi* „ *sunt duæ Olivæ, & duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes.* „ (v.5.) *Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devo-* „ *rabit inimicos eorum: & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum oc-* „ *cidi.* (v.6.) *Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus pro-* „ *phetiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas convertendi eas in* „ *sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint.* „ (v.7.) *Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de ab-* „ *ysso, faciet adversus eos bellum, & vincet eos, & occidet eos.* (v.8.) *Et* „ *corpora eorum jacebunt in plateis Civitatis magnæ, quæ vocatur spiri-* „ *tualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & dominus eorum crucifixus est.* (v.9.) „ *Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus corpora eo-* „ *rum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non sinent poni in mo-* „ *numentis.* (v.10.) *Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, & ju-* „ *cundabuntur: & munera mittent invicem, quoniam hi duo Prophetæ* „ *cruciaverunt eos, qui habitabant super terram.* (v.11.) *Et post dies* „ *tres & dimidium, spiritus vitæ à Deo intravit in eos: Et steterunt su-* „ *per pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos.* „ (v.12.) *Et audierunt vocem magnam de cælo, dicentem eis: Ascendite* *huc.*

, *huc. Et ascenderunt in cœlum in nube, & viderunt eos inimici eorum.*
, *(v. 13.) Et in illa hora factus est terræ motus magnus, & decima pars*
, *Civitatis cecidit: & occisa sunt in terræ motu nomina hominum septem*
, *millia: & reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo cœli.*
, *(v. 14.) Væ secundùm abiit: & ecce Væ tertium veniet citò. (v. 15.) Et*
, *septimus Angelus tuba cecinit: & factæ sunt voces magnæ in cœlo di-*
, *centes: factum est Regnum hujus mundi, Domini nostri & Christi ejus,*
, *& regnabit in sæcula sæculorum; Amen. (v. 16.) Et viginti quatuor*
, *seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies*
, *suas, & adoraverunt Deum dicentes: (v. 17.) Gratias agimus tibi Do-*
, *mine Deus Omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia ac-*
, *cepisti virtutem tuam magnam, & regnasti. (v. 18.) Et iratæ sunt*
, *Gentes, & advenit ira tua, & tempus mortuorum judicari, & redde-*
, *re mercedem servis tuis Prophetis, & sanctis, & timentibus nomen*
, *tuum pusillis & magnis, & exterminandi eos qui corruperunt terram.*
, *(v. 19.) & apertum est templum Dei in cœlo, & visa est arca testamenti*
, *ejus in templo ejus, & facta sunt fulgura, & voces, & terræ motus, &*
, *grando magna.*

## §. I.

### *Templi angustia, & calcatio sanctæ Civitatis.*

Calamus. 1. DAtur Joanni CALAMUS seu arundo mensoria: hanc definit Ezechiel cap. 40. v. 5. sex cubitorum & palmi: ad quem locum Ezechielis respicitur, in quo Angelus metitur calamo ædificium Templi, ubi S. Hieronymus: *calamus mensuræ in manu ejus, designat gratiam Propheticam.* Dicitur S. Joanni: SURGE à ruminatione Libri, ET METIRE TEMPLUM DEI, ET ALTARE, ET ADORANTES IN EO. (Metiendo Templo.) Dimensio hæc indicat in novissimo temporum fore Templum DEI angustum quod facilè sit illi met metiri: id est, Exercitium Religionis, publicum præsertim, arctius: cultum altaris curtum & sine consueta majestate: veros etiam adoratores paucos: Clerum & populum DEI in probatione constantiæ & in angustia. Nam ATRIUM Gentium, illud vastum, jubetur *non metiri*, sed *ejicere foras*: id est, amplitudinem impiorum; qui aut circum Ecclesiam degunt, at extra illam; aut vitam coram DEO profanam agunt & instar *Gentium.* Meritò dicitur calamus, is qui datus est, SIMILIS esse VIRGÆ: (Similis virgæ.)

quæ significat primò Justitiam visitantis in virga (ps. 88. v. 33.) secundò rectitudinem Dei (ps. 44. v. 7.) virgam directionis, qua omnia metitur: tertiò providentiam, qua omnia moderatur; est enim etiam virga sceptrum in Scripturis (ps. 109. v. 2. Esth. 5. v. 2. &c.

Calcatio civitatis. 2. Audit *calcatum* iri SANCTAM CIVITATEM, Ecclesiam Dei, per Antichristianos, MENSIBUS QUADRAGINTA DUOBUS : quod est spatium trium annorum & dimidii: ut habet communis SS. Patrum traditio, fundata in consensu Danielis cum

Anni 3½. Apocalypsi. Nam & in *prophetia Danielis* cap. 7. v. 25. sic legitur; *usque ad tempus & tempora & dimidium temporis*: & *Apocalypsis* constanter triplici diverso calculo eundem exprimit accuratè numerum : bis quidem *mensium*, qui sunt 42. (hoc cap. 11. v. 3. & Cap. 13. v. 5.) bis item *dierum*, qui sunt 1260. (hîc v. 4. & Cap. 12. v. 6.) ita, ut cuique mensi assignentur dies 30. ex more tàm Hebræorum & Chaldæorum quàm Græcorum. semel verò *temporum* (cap. 12. v. 14.) id est annorum, ipsismet verbis Danielis. In hanc interpretationem de regno Antichristi conspirant omnes SS. Doctores: ut meritò credatur ab ipsis Apostolis esse derivata. Ita enim vetustissimus S. Irenæus lib. 5. cap. 25. *Sanctos Altissimi conteret, & cogitabit demutare tempora & legem: & dabitur in manu ejus usque ad tempus temporum & dimidium tempus, hoc est, triennium & sex menses in quibus veniens regnabit super terram.* & cap. 30. *cùm vastaverit Antichristus hic omnia in hoc mundo, regnans annis tribus & mensibus sex, & sederit in Templo Hierosolymis; tunc veniet Dominus de Cœlis in nubibus.* ita ille. Et S. Hieronymus, is qui teste S. Augustino omnes penè scriptores legerat, in caput Danielis septimum, v. 25. *Et tradetur*, ait, *in manu ejus usque ad tempus & tempora & dimidium temporis. tempus annum significat : tempora juxta Hebraici sermonis proprietatem, nam & ipsi dualem numerum habent, duos annos præfigurant: dimidium autem temporis sex menses.* Et S. Augustinus lib. 20. de Civ. cap. 8. *tribus annis & mensibus sex legitur totis suis suorúmque viribus sæviturus.* Et cap. 23. *tempus quippe & tempora & dimidium temporis, annum esse, & duos & dimidium; ac per hoc tres annos & semissem; etiam numero dierum posterius posito dilucescit: aliquando in Scripturis & numero mensium declaratur.* addit: *sic ergo dicta sunt tempora, tanquàm dicerentur duo tempora.* Hæc Augustinus.

Numeratur enim hîc Antichristi non ætas omnis & quies subdola, sed illud tempus quo is ascendet ad summum potentiæ, ostentabítque se Christum, ac persecutionem instituet omnino omnium quotquot fuerunt apertissimam ac perniciosissimam animabus seducendis. ferè sicut Christi Domini (quem æmulatur Diabolus in omnibus) prædicatio & doctrina solemnis, quâ se gessit pro Messia, duravit annis tribus & dimidio.

3. Quod autem initium hoc numerationis in Apocalypsi fiat à *mensibus* priusquàm per dies & tempora: nec id quidem putamus carere mysterio, de quo — Computus mensiũ.

quo diximus Tractatu 12. §. 2. tùm quia tempus hoc Antichristi concurret connectetúrque cum Luna Mahometana: tùm quia ipsúmmet erit obnoxium variis mutationibus, pro vario ingenio & identidem novis technis ac machinationibus Antichristi; qui mutabit súsque déque res omnes in mundo: *putabit*, ait Daniel cap. 7. v. 25. *quòd possit mutare tempora & leges*. quæ mutationes erunt & atrocitate & numero longè superiores quàm illæ proximè præcedentes in Imperio Turcico sibi interea relicto (id est, nondum possesso per Antichristum:) tametsi breviatæ & multò inferiores duratione, quàm Imperium Turcarum.

## §. II.

### *Duo Testes.*

Testes: AUdit præterea in illa tàm extraordinaria tentatione *daturum* esse fidelem DEUM ut adsint extraordinarii duo Testes, restituri prophetiâ suâ & prædicatione. Vocantur TESTES per antonomasiam: quoniam hi ducent agmen eorum qui dicent testimonium pro vero Christo, voce primùm, dein sanguine.

Duo: Congruum erit, esse omnino DUOS: ob tres causas. primò quia juxta legem Judæorum, ad quos sic extra ordinem mittuntur; *in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum*, Deut. 19. v. 15. quod etiam citat Christus Joan. 8. v. 17. *in lege vestra scriptum est quia duorum hominum testimonium verum est*. Deinde, duo ad eosdem Judæos, qui recipiunt utramque Legem: naturæ, cujus meminit Moyses in tota Genesi; & scriptam, ab eodem Moyse & à Prophetis: & utrobique legunt de illis duobus raptis à DEO. Tertiò, duo ad omnes gentes: ut accedente duplici hoc testimonio ad testimonium Evangelii, ex omni sit statu hominum, ante, in, & post legem, attestatio evidens de Cœlo trium, quod est omnium, de stirpe humana.

Venient AMICTI SACCIS; ut hortatores ad pœnitentiam & ad luctum: is enim passim agi describitur à Scriptura, in saccis: 2. Reg. 3. v. 31. à Davide super funere Abneris; *Accingimini saccis & plangite*. 2. Esd. 9. v. 1. de filiis Israël; *in jejunio & in saccis*. Esther. 4. v. 1. de Mardochæo; *indutus est sacco*. Isa. 37. v. 1. de Ezechia; *obvolutus est sacco*. Baruch. 4. v. 20. *indui autem me sacco*. Daniel cap. 9. v. 3. de semet; *in jejuniis, sacco, & cinere*. Jonæ 3. v. 5. de Ninivitis; *vestiti sunt saccis*. & v. 6. de Rege; *indutus est sacco*. &c. Quantò magis illâ tempestate luctûs Ecclesiæ, & prædicatione pœnitentiæ universalis? Amicti saccis.

In horum duorum Testium tàm celebri prædicatione præfertur calculatio *dierum*: propterea quia nullo non die continuata erit, & cum expectatione Calculus dierum.

tione quotidianâ & præparatione sui suorúmque in dies ad subeundum martyrium.

Duæ olivæ & candelabra.

HI SUNT DUÆ OLIVÆ, fructiferi pacis æternæ (ut est oliva symbolum pacis) quam nuntiant futuram post persecutionem exantlatam: ET DUO CANDELABRA Ecclesiæ in sustinenda luce veræ doctrinæ. Arabica versio sic habet v. 5. *Hi sunt duæ radices olivarum.* Septuaginta interpretes: *rami olearum.* Zacharias propheta cap. 4. v. 11. *duæ olivæ*: & v. 14. *isti sunt duo filii olei*; sic dicti sunt à pinguedine spiritus & gratiæ. vel ut ex Aquila interprete addit S. Hieronymus, *filii splendoris & claritatis*: quia prælucebunt Judæis luce doctrinæ & exempli.

Stant:

IN CONSPECTU inquit Apocalypsis, DOMINI TERRÆ STANTES: quod Zacharias l. c. dixit: *qui assistunt Dominatori universæ terræ.* Dicuntur antequam appareant, *stare*, in magna expectatione suæ Legationis in universam terram, & altâ interim contemplatione in conspectu *Domini terræ*: neque enim adhuc in conspectu Beatifico Domini Cœli; siquidem ita rapuit utrumque à terra dominator Deus, ut ad eam remittantur in fine sæculi.

In conspectu Dominatoris terræ.

Thaumaturgi ambo.

Erunt & patratores miraculorum, cum POTESTATE cœlitùs acceptâ: oppositi potentiæ Antichristi & signis ac prodigiis illius. Atque alter quidem illorum quísnam sit, apertè insinuatur: dum fit mentio (v. 5.) IGNIS exeuntis EX ORE id est ad verbum illius, prout dicitur Eccli. 48. v. 1. *verbum ipsius quasi facula ardebat*; & *devorantis* adversarios; 4. Reg. 1. v. 10. & 12. itémque occlusi Cœli NE PLUAT, 3. Reg. 17. v. 1. quæ est descriptio Eliæ. de illo enim expressè Scriptura, Malach. 4. v. 5. & 6. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus & horribilis: Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Et Eccli. 48. v. 9. *qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum: qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Jacob.* Fuisséque eam apud Judæos traditionem ostendit interrogatio, ex Joanne, Legatorum; illa Hierosolymis, Joan. 1. postquàm confessus esset se non esse Christum: v. 21. *Elias es tu?* Cui etiam assentitur Christus Matth. 17. v. 11. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia*: præcursor Adventus mei secundi, sicut Joannes Baptista est primi.

Quinam illi?

Ex S. Scriptura.

De altero communior est sensus Ecclesiæ & omnino retinendus: fore Enochum. quoniam æquè translatus est ac Elias: sic enim scribitur Gen. 5. v. 24. *Ambulavítque cum* Deo *& non apparuit: quia tulit eum* Deus. Nam quòd Moysi fuerit data potestas de qua hîc fit mentio, CONVERTENDI AQUAS IN SANGUINEM, & *percutiendi* PLAGA pro libitu; non pugnat quin similis potestas danda sit Enocho & Eliæ: ac sufficit ipsum Moysen dedisse testimonium Enocho quòd transtulerit illum Deus (l. c.) de Moyse autem expressum esse in Scriptura quòd obierit diem suum; Deut.

34. v. 5.

34. v. 5. & in ep. S. Judæ: v. 8. Adeò ut nulla restet justa suspicio de Moyse. Multò minus de Joanne Evangelista valet conjectura ex verbis Christi Joan. 21. v. 22. quia eo ipso in loco v. 23. refutatur, dicente Evangelista, non fuisse eum Christi sensum: & aliunde constat eum obiisse Ephesi. Denique Sacra Scriptura clarissimè affert causam translationis Enoch, Eccli. 44. v. 16. *Henoch placuit* Deo, inquit, *& translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.*

Ex Patribus. Accedunt Patres antiqui: Tertullianus lib. de anima, cap. 28. *translatus est Enoch & Elias, nec mors eorum reperta est; dilata scilicet: cæterùm morituri reservantur ut Antichristum sanguine suo extinguant.* & lib. de resurr. carnis (antè finem libri:) *Enoch & Elias de orbe translati, & hoc ipso jam æternitatis candidati.* Auctor Tractatûs de montibus Sina & Sion (inter opera S. Cypriani:) *Henoch translatus est ad confundendum & revincendum Antichristum.* S. Ambrosius in 1. Cor. 4. v. 9. *passuri sunt Enoch & Elias, qui ultimo tempore futuri sunt Apostoli: mitti enim habent ante Christum, ad præparandum populum* Dei *& muniendas omnes Ecclesias ad resistendum Antichristo.* S. Hieronymus ep. 148. ad Marcellam: *de Henoch autem & Elia quos venturos Apocalypsis refert & esse morituros.* S. Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 6. *creduntur redituri ad hanc vitam, &, quod tamdiu dilatum est, morituri.* S. Greg. lib. 9. mor. cap. 3. *Hinc est quòd duo illi prædicatores eximii dilatâ morte subtracti sunt, ut ad prædicationis usum in fine revocentur.* Claudat agmen S. Doctor Angelicus 3. p. q. 49. a. 5. ad 2. *Elias sublevatus est in Cœlum aërium, non autem in Cœlum empyreum qui est locus Sanctorum: & similiter etiam Enoch raptus est in paradisum terrestrem: ubi cum Elia simul creditur vivere usque ad adventum Antichristi.*

Occidêtur à Bestia. 3. Sequitur in revelatione factâ Joanni: fore ut *Bestia* hos duos, à quibus fuerit sermone ac miraculis convicta, *bello* id est latrocinio corporum *vincat*, post expletum prædicationis ipsorum tempus, *& occidat* Hierosolymis. Ipsa est enim *civitas* UBI DOMINUS CRUCIFIXUS EST: quæ vocatur SPIRITUALITER SODOMA ob clamorem impietatis, ET ÆGYPTUS ob persecutionem verorum Israëlitarum id est Christianorum: sedes Regia pseudo-Christi, in qua magnificentissimè instauratâ, & in Templo Dei, illo (per ampliationem; ut loquimur) quod fuit Dei, omnium celebratissimo, residebit ostendens se tanquàm sit Deus 2. Thess. 2. v. 4. In cujus civitatis plateis jacebunt corpora utriusque insepulta, tanquàm sepulchro sint indigni, abjecta feris: tripudiantibus impiis & invicem gratulantibus quòd liberati sint eorum invisâ prædicatione, minis, & miris quæ contemnent ut præstigias.

Hic est interfector duorum Testium & pseudo-Christus Rex, à quo procalcabitur sancta Civitas Ecclesia, ut dixerat v. 3. cujus Imperii sub nomine Bestiæ prima fit hîc & obiter mentio,

non nisi hoc brevissimo verbo ; BESTIA, inquit, QUÆ ASCENDIT DE ABYSSO. Sed huic nomini ac Visioni Bestiæ, hujúsque descriptioni reservatur locus cap. 13. v. 11. & seqq.

Redivivi ascendent.

Ad Extremum prophetatur fore, ut post TRES ET DIMIDIUM DIES hi duo testes & Archimartyres ab illata nece suscitentur divinitus v. 11. SPIRITUS VITÆ, inquit, id est anima vivificans, INTRAVIT IN EOS. simul erigent sese *in* PEDES, & *stabunt* in magna sua constantia Sap. 5. v. 1. cum *timore* cernentium. Protinus, evocati *voce* DE COELO, *ascendent* IN NUBE, palam oculis adversariorum : calumniante Antichristo hanc vocem & ascensum ut præstigiosum. IN ILLA HORA, id est circa idem tempus (quod significat græcum ὥρα,) molietur Antichristus suum ascensum solemnem ; de quo infra Tract. 24. & dejicietur inter fulmina. Fient hæc cum TERRÆMOTU *magno*, concussione animarum inprimis, quo motu *cadet* DECIMA PARS CIVITATIS id est collectionis ac reip. Antichristianæ & labefactabitur Regnum Antichristi. Succumbent in illo insperato tremore salubriter OCCISA (ut dicetur Cap. 20.) gladio spiritus atque igne de Cœlo SEPTEM MILLIA NOMINA HOMINUM: hoc est, nominatissimi quique & illustres ex assectis Antichristi, primoribus Judæorum ac, sicut Saulus olim, incentoribus persecutionis. Unà cum commotione universæ *terræ* rationalis, & *mutatione* reliquorum ad TIMOREM DEI ac reversione à falso suo Messia ad Christum : juxta illud Scripturarum vaticinium, &, ut exclamans cum admiratione Apostolus appellat, mysterium, Rom. 11. v. 26. & seqq. *ut sic omnis Israel salvus fieret!* & addit hoc vaticinatum esse de Judæis Isaiam cap. 59. v. 20. *eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob.* Simile quid accidit repentinum in terræmotu in morte Christi : quando *omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, percutientes pectora sua revertebantur* Luc. 23. v. 48.

Terræmotus.

Valuerunt ad hanc conversionem prodigiosam triennalis prædicatio duorum testium, & post illam in omnium oculis ascensus gloriosus : atque è contrario ille tragicus Antichristi quo illis insultaturus efferetur à dæmonibus. illicò ut pervenerit usque ad summitatem montis inclyti, Dan. 11. v. 45. jussu Christi destituetur omni auxilio, & fulmine percussus, à terra dehiscente absorbebitur ; unà deletis assectis iis qui pertinaces interibunt in sua infidelitate. Tunc enim plenissimè verum erit quod hîc v. 13. dicitur ; RELIQUI IN TIMOREM SUNT MISSI, ET DEDERUNT GLORIAM DEO COELI : quod intenderat Angelus tubicen sextus.

Profuit Cantus Tubæ.

At de his tàm breviter dictis, ac velut devoratis, fusiùs & clariùs in secunda Parte Apocalypseos sequente.

§. III.

## §. III.

### *Tuba septima quod est Væ tertium.*

1. ATque hic est finis Væ secundi; quod erat de Regno Antichristi & per illum seductione: de quo Joannes; VÆ, inquit, SECUNDUM ABIIT: &, quod superest, subjungit; VÆ TERTIUM VENIET CITO, quod erit cantus TUBÆ SEPTIMI ANGELI ad Judicium.

Væ citò. Dum dicit venturum citò: insinuat superfore, post conversionem Judæorum & mortem Antichristi, spatium adhuc temporis DEO soli cognitum: nam *de die illo & hora nemo scit, neque Angeli Cœlorum*, Matth. 24. v. 36. Quo etiam tempore intermedio ante illam ultimam Tubam; dilatato ædificio Ecclesiæ & amplificato ac stabilito simul utroque pariete, Judæorum iterum & Gentium, sensim refrigescet fervor pietatis atque irrepet dissolutio morum & impietas: usque eò, ut quod prædixit Dominus in Evangelio l. c. v. 38. & 39. futuri sint *sicut in diebus Noë comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes* &c. *ita erit*, inquit, *& adventus Filii hominis*. & Luc. 17. v. 28. *sicut factum est in diebus Lot: edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant &c. secundùm hæc erit quâ die Filius hominis revelabitur*. quæ erit ingens oblivio salutis operandæ: quam oblivionem tribuit Christus inopiæ fidei Luc. 18. v. 8. *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* neque enim eam quam quærit (quæ per charitatem operetur Gal. 5. v. 6.) & sine qua nihil est omne quod invenit. ET ECCE, id est ex improviso, inquit Apocalypsis, Væ tertium: *repentina dies illa, tanquàm laqueus*; Luc. 21. v. 34. & 35.

2. Etenim hoc jam tertium Væ sine ulla dubitatione fore diem ultimum mundi & horam Judicii extremi, juratus asseveravit Angelus fortis Cap. præcedente v. 6. & 7. *tempus*, ait, *non erit amplius, sed in diebus vocis septimi Angeli*, CUM COEPERIT tubâ *canere, consummabitur &c.* De quo Tubæ cantu Apostolus 1. Thess. 4. v. 15. *in voce Archangeli & in Tuba* DEI *descendet de Cœlo* Judex: & 1. Cor. 15. v. 52. *in novissima Tuba*; *canet enim tubâ & mortui resurgent*. Tuba ad Judiciũ.

ET FACTÆ SUNT, inquit, VOCES MAGNÆ IN COELO: de quibus Matth. 24. v. 31. *mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis*. Inter has voces magnas ista quam audivit Joannes de Cœlo: FACTUM EST REGNUM HUJUS MUNDI, DOMINI NOSTRI ET CHRISTI EJUS; id est, actum est de Regno Principis mundi ET REGNABIT Christus IN SÆCULA SÆCULORUM: quod est votum & applausus Cœli resonantis; AMEN. Voces in Cœlo.

Et *adoratio* 24. SENIORUM, cum *gratiarum* actione erga *Omnipotentem, qui est & qui erat & qui venturus est*, quòd *acceptâ virtute suâ magnâ regnet.* Et quia inquiunt, sicut antea IRATÆ SUNT GENTES juxta psal. 2. v. 1. quare fremuerunt gentes? ita nunc ADVENIT è contrario IRA TUA & ultio, ET TEMPUS MORTUORUM resurrectionis ac *judicii*, ad *reddendam* MERCEDEM SERVIS TUIS & ad *exterminandos* velut diluvio universali EOS QUI CORRUPERUNT TERRAM. Respicitur enim eâ phrasi ad Gen. cap. 6. v. 11. *corrupta est terra coram* DEO *& repleta est iniquitate.*

Facies Judicis: 3. Simul his vocibus terrentur aures impiorum: simul oculi deliniuntur eorum ad quos dicitur Luc. 21. v. 28. *respicite & levate capita vestra.* Magna & beata tranquillitas electorum in illa trepidatione Universi! APERTUM EST enim, inquit, IN COELO quasi TEMPLUM DEI: & in eo VISA EST sacrosancta Humanitas Christi quasi ARCA TESTAMENTI *ejus*, propitiationi & fœderi suis electis: Inter FULGURA quibus conflagraturus jam jam est orbis; & VOCES quarum exitiales illæ ululantium ad montes & colles præ timore Judicis; & emotionem terræ; & grandinem quâ comminuentur omnia terrena. Enimverò horrendus erit MOTUS reproborum & TERRÆ illis dehiscentis: erítque sententia quæ illos dejiciet ad inferos & conteret, Placida electis: Horrenda reprobis.


GRANDO MAGNA:
qui est finis mundi &

FINIS PRIMÆ PARTIS APOCALYPSEOS.




II. PARS APOCALYPSEOS.
UXOR EJUS PRÆPARAVIT SE. Apoc. 19. v. 7.

# APOCALYPSEOS
## PARS SECUNDA.
Accuratè, breviter, & clarè
EXPLANATA.


Prophe-
tarum ine-
ptum

# APOCALYPSEOS

## PARS SECUNDA.

DUo jussus erat S. Joannes: Apocalypseos cap. 10. in fine: primum, v. 9. *devorare* Libellum, & in ventre memoriæ suæ ruminare quæ in eo scripta supererant; nimirum de Antichristo & de novissimis temporibus *illi* proximis. Alterum, v. 11; devorata eructare ac palam mundo *prophetare:* Et addita fuit particula, *iterum*; qua significabatur, in hac secunda parte Apocalypseos iterare oportere illa quæ ex præcedentibus egent repetitione: tùm de Antichristo ipso: tùm quia perduraverint usque ad Antichristum, & ut constet in quo statu ille inventurus sit Ecclesiam: tùm ut enucleatius inculcentur & distinctiùs præsignentur. Quod cùm alio fiat modo, & variatis quibusdam additísve circumstantiis, & per alia nova hieroglyphyca prædoceantur bis eadem in tanti momenti materia; suam affert copiosam utilitatem, eámque triplicem.

Prophetatur iterùm.

Utilitas prophetiæ iteratæ:

Primò, valet ad majorem confirmationem & persuasionem rei. solenne est enim S. Scripturæ in rebus magnis & arcanis eandem rem præfigurari aut prophetari per plura & diversa emblemata. Exempli causâ, in Visione gemina quæ oblata est Pharaoni septem boum, & septem spicarum, Gen. 41. quam cùm edisseruisset Joseph Patriarcha, subjungit v. 32. *quòd autem vidisti secundò ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est, eò quod fiat sermo* DEI *& velocius impleatur.*

Secundò, quoniam in eâdem re occurrunt plures proprietates vel adjuncta observanda; ita ut una similitudo seu imago proposita non exhauriat totam rei veritatem; valet plurimùm, ad expressiùs atque explicatiùs repræsentandum, plures afferri hujuscemodi comparationes.

quod maximè locum habet in Apocalypsi in qua eadem proponuntur cum additis aliis circumstantiis.

Hujus præsertim. Tertiò, id quod proprium est Apocalypsi: ut ea, quæ dudum & in genere prædixerat, applicet novissimis temporibus, quasi novam prophetiam de omnium ultimis & gravissimis periculis.

Vidit hoc S. Augustinus lib. 20. de Civ. cap. 17. cùm enim dixisset, esse multa in Apocalypsi quæ mentem legentis exerceant, addit: *Maximè, quia sic* EADEM *multis modis* REPETIT, *ut alia atque alia dicere videatur, cùm* ALITER *atque aliter* HÆC IPSA *dicere vestigetur.*

Superest (quod proœmii loco dixerim navo Lectori) ut nos etiam excitemur ad iterùm iterúmque versanda & revolvenda quæ sequuntur: quamvis cognitu grata devoranti, at amara ruminanti ac digerenti. Locum habeat in hac præcipuè relectione Apocalypseos id quod in genere monuit auditores suos S. Augustinus in psal. 141. *admonemus charitatem vestram, ut ea quæ audiendo, tanquàm ventre, memoriâ conditis, rursus revolvendo & cogitando quodammodo ruminetis.* Etenim ex mente S. Scripturæ, quam citavit, breviter dictum esse: *Sapiens ruminat, stultus non ruminat. neque enim propter aliud in Lege munda ea dicta sunt animalia quæ ruminant, immunda quæ non ruminant.*

Series

## Series seu distributio Capitum II$^{dæ}$ Partis.

Sicut divisimus primam partem Apocalypseos in suas Visiones, eò quòd S. Joannes ingeminet ubique vocem illam, *Vidi*: sic hanc secundam partem, eandem ob rationem, dividamus in septem Visiones primarias: quarũ sex hujus sunt mundi aut temporis; súntq; ejusmodi ut suam singulæ materiam exhauriant integrè: id quod sedulò est observandum; & in quo posita est hujus 2$^{dæ}$ Partis, ordinatissima est enim, dispositio & artificium. nempè in eo quòd in unaquaq; Visionum, præterquàm quòd I. & II. invicẽ succedant & connectantur, absolvitur ista materia pervidendo usq; ad finem qui est dies Judicii. quibus accedit VII. Visio Beatitudinis post Judiciũ in æternitate.

Visiones septem, hujus secundæ Partis.

Quòd si quis maluerit plures paucirésve hujus Partis numerare Visiones, dividat prout libuerit: dummodò ne incipiat aliter quàm à Cap. 12. nam cum Tuba septimâ finiri I$^{mam}$ Partem & illius Visiones demonstratissimũ est.

Ergo I. Visio de Ecclesia est militante; per hieroglyphicon Mulieris: & de persecutione Draconis.

Hanc Visionẽ excipit II. de suscitatione duarum Bestiarum contra Ecclesiam & contra patientiam Sanctorum ejus. Hæ duæ Visiones cohærent inter se, & continuãtur videndo usq; ad tempus Judicii. absolvuntur Capitibus tribus; 12. 13. & 14. quorum in primo, de Muliere & Dracone; in altero, de Bestiis; in tertio, de patientia Electorum.

Materia Visionũ: Primæ, antipathia inter Mulierẽ & Draconem. Secundę item inter duas Bestias & servos DEI.

III. est Visio de 7. Angelis habentibus 7. plagas iræ DEI, quã effundunt ex suis phialis: quarũ septima est dies novissimus Judicii. Capitibus 15. & 16.

3. 7. Angeli cum phialis.

IV.

4. Mulier insidens Bestiæ. IV. Visio est de Babylone Civitate, quæ insidet Bestiæ: & de damnatione ac Væ novissimo ejus Civitatis: per hieroglyphicon Mulieris meretricis, Capitibus 17. & 18.

5. Sponsus victor. V. Visio est de præparatione Sponsæ nuptæ: & de ultima victoria Sponsi contra Bestiam & exercitus congregatos: quando Bestia & Pseudopropheta mittuntur in stagnum ignis. Capite 19.

6. Draconis cũ exercitu suo clades. VI. Visio integra de Dracone. quòd abhinc mille annos ligatus: quòd solutus seducat gentes & congreget Gog ac Magog per quatuor oras terræ. Exercitus, qui obsidet Civitatem dilectam, devoratur igne de Cœlo: & Diabolus in illud idem mittitur stagnum in quo Bestia & Pseudopropheta æternùm. Atq; hic est omnium pugnarum finis, dies Judicii. Capite 20.

7. Jerusalem Beata, Sponsa Agni. Coronidis loco additur VII. Visio de Ecclesia triumphante: in schemate Jerusalem Civitatis Beatæ, Sponsæ seu Uxoris Agni. Capitibus 21. & 22.

Capite 22. v. 12. Epilogus qui est prosopopœia JESU. & v. 18. contestatio S. Joannis: imploratio adventus Christi; & gratiæ ejus.

Concinnitas ordinis in Apocalypsi. In hac distributione Apocalypseos nullum ὕστερον πρότερον, seu nullæ inveniuntur hysterologiæ, quas affinxerunt huic Libro: sed est ordo accuratus & admirabiliter concinna dispositio; digna Christo qui est Auctor, Angelis qui administri Visionum, pondere ipso rerum quæ visæ, Joanne cui ostensæ, Ecclesiis ad quas scriptæ. Nam in prima quidem Parte servatur ordo rerum gerendarum: in hac secunda ordo Visionum, quarum unaquæque suam tractet absolvátque materiam.

Et hactenus series secundæ Partis Apocalypseos.

# TRACTATUS XVI.

## IN PARTEM PRIMAM CAPITIS XII.

Assignemus duos Tractatus huic Capiti: & dividamus illud in duas Partes. quarum prima de Muliere parturiente: de Dracone: de raptu filii & prælio connexo. Sequente Capitis parte & Tractatu de alis quæ dantur Mulieri: de volatu à facie serpentis: de flumine post Mulierem, & de nova ira Draconis meditatâ.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 12. Versu 1.) *Et signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite corona stellarum duodecim: (v. 2.) Et in utero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur, ut pariat. (v. 3.) Et visum est aliud signum in cælo: & ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus ejus diademata septem: (v. 4.) & cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram; & draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret. (v. 5.) Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea: & raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus? (v. 6.) Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. (v. 7.) Et factum est prælium magnum in Cælo: Michaël & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli ejus. (v. 8.) Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo. (v. 9.) Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, qui seducit universum orbem: & projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo missi sunt. (v. 10.) Et audivi vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. (v. 11.) Et ipsi*

„ *vicerunt eum propter ſanguinem agni, & propter Verbum Teſtimonii*
„ *ſui, & non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem.* (*v.* 12.) *Propte-*
„ *rea lætamini Cœli, & qui habitatis in eis. Væ terræ, & Mari, quia de-*
„ *ſcendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quod modicum*
„ *tempus habet.* (*v.* 13.) *Et poſtquam vidit draco, quod projectus eſſet in*
„ *terram, perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum.*

## §. I.

### *Mulier parturiens.*

Signum magnũ. 1. SIGNUM MAGNUM; id eſt magnæ ſignificationis hieroglyphicon: à quo hæc ſecunda Pars Apocalypſeos incipit idcircò; quia ſicut in prima Parte omnia dirigebantur ad ſponſum Agnum, ſic omnia hujus IIdæ Partis ad Mulierem Sponſam Agni: à qua exorditur & in quam deſinit ſcriptio hujus Partis.

Exordiũ & Scopus Partis IIdæ.

Mulier. Hæc MULIER eſt Eccleſia: prævidetur IN COELO, quia illic præ-deſtinatur ut ſit uxor Agni: AMICTA SOLE juſtitiæ de quo Malachiæ 4. v. 2. calcat *Lunam* (ſymbolum inconſtantiæ & mutabilitatis) cum omnibus ſublunaribus rebus; puta, divitiis, deliciis, honore terrenis: CAPITE & fronte CORONAM præfert DUODECIM Apoſtolorum, qui ſunt luci-diſſimi ac primæ magnitudinis aſtrorum, id eſt Epiſcoporum, ut expreſsè explicantur Stellæ Apoc. 1. v. 20. ac velut Zodiacus in firmamento Eccleſiaſtico.

Parturit. Ipſa fœcunda à Spiritu S. & PARTURIENS, per Evangelium, prolem Chriſtianam electam. illam prolem ad quam Apoſtolus Gal. 4. v. 26. *quæ ſurſum eſt Jeruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra*: illam prolem de qua ibid. v. 19. *quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*: illam de qua S. Auguſtinus in pſal. 142. (de hac loquens Muliere Apocalyptica quam appellat Civitatem DEI, & de partu ejus) poſtquàm ſe fundaſſet in doctrina Apoſtoli de membris Chriſti & Capite *tanquàm de uno*, ex epiſt. ad Gal. 3. v. 16. ſic concludit: *ſi & nos ſemen Abrahæ, ergo & nos Chriſtus: quomodo unum corpus* (ſumus) *multa membra, ita* (ſumus) *& Chriſtus*; ex 1. Cor. 12. v. 12. *Et, quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*; Gal. 3. v. 27. Et in pſalmum 122. ex eodem Apoſtolo, ibid. cap. 4. v. 7. FILIUS *ſumus*, *quia ſic* MULTI *ſumus*, *ut in illo* UNUS *ſimus*.

Chriſtũ in ſuis membris.

Clamat præ cruciatu. Hanc ſobolem dum *parturit*, CHRISTUM in membris ſuis novis CLAMAT in CRUCIATU & perſecutione, orando ut feliciter pariat. *Parit enim*, ait S. Aug. (in pſal. 126.) *Eccleſia filios conjunx Chriſti*; *& ſi parit, parturit.*

*turit.* Et in Tomo 9. S. Augustini Auctor homiliarum in Apocalypsin hom. 9. *semper enim in cruciatibus parit Ecclesia Christum per membra: semper & Draco quærit devorare nascentem.* de quo jam sequitur.

Signum aliud Draco. 2. Ex adverso Mulieris, & sub ea, VISUM EST ALIUD SIGNUM, infaustæ significationis meteoron, IN COELO aërio, Draco. Nam quòd

InCœlo. Cœlum aërium, id est, regio aëris, revera habitetur à dæmonibus, sententia est Patrum: de qua S. Hieronymus in epistolam ad Ephes. cap. 6. v. 12. *Hæc autem omnium*, ait, *Doctorum opinio est quòd aër iste qui Cœlum & terram medius dividens inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus.* Et fundatur à Patribus in Apostolo, Ephes. 2. v. 2. *est nobis colluctatio contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*; id est, ut S. Hieronymus l. c. exponit, *in eo qui supra nos est aëre, unde & aves quæ volitant per aërem volucres cœli dicuntur esse: nam & in alio loco, de dæmonibus, quòd in aëre isto vagentur, Apostolus ait.* Hæc Hieron. Cui consentit S. Augustinus lib. 11. de Civ. cap. 33. ubi dividit inter duas Angelicas societates: *illam*, inquit, *in Cœlis habitantem*; *istam inde dejectam, in hoc infimo aërio Cœlo tumultuantem.* Et lib. 3. de Trin. cap. 7.

Devoraturus. 3. Draco igitur iste se opposuit Mulieri, & STETIT ANTE eam, UT DEVORARET Christianissimum nascentem & in sua velut infantia tenerum adhuc, atque opinione Draconis imbellem. Sed divinâ protectione secus accidit: editus est enim in lucem partus Mulieris, primitiæ Martyrum & Confessorum; ille MASCULUS, idoneus ad hæreditatem adeundam Regni æterni: & robustus inde ab utero, id est à primordiis Ecclesiæ, ad subjugandum inimicos Christi; cum appromissione regendi OMNES cæteras GENTES, IN VIRGA FERREA qua comminuat omnem potentiam contrariam: quod sicut prædictum est ad Christum, qui est Caput, psalmo 2. v. 9. *reges eas in virga ferrea*, sic & ad Sanctos cohæredes ac membra Christi pertinet, ex ejusdem promissione quam asseruit Apoc. 2. v. 26. & 27. quem in finem RAPTUS EST per medias persecutiones AD DEUM ET AD THRONUM EJUS. Masculum.

Potest dici, quòd hæc Visio æquivaleat 4. simul Sigillis primis Capitis sexti, ubi Eques albus & contra eum persecutiones cernuntur, ante & inter quas procedit Eques, Verbum Agnus, ut vincat. Æquivalere autem, id est rem eandem indicari, manifestum est ex eo: quòd Draco moveat persecutionem; &, qui est ejus effectus, expresse subjiciatur, mentio Martyrum hîc v. 11. perinde ut in Parte prima cap. 6. v. 7. in Sigillo quinto, & cap. 7. in Sigillo sexto.

Diximus Mulierem esse Ecclesiam: cujus quia præcipuum est membrum & excellentissimum Beatissima Virgo Maria, ideò apud SS. Patres (inter quos S. Aug. lib. 4. de Symbolo, cap. 1. & S. Bern. fusè in serm. de Apoc.) encomia hæc attribuuntur Deiparæ. ad quam etiam respexisse censendus est S. Joannes: eò maximè, quòd hujus

partus fuerit quem primariò cupivit Draco devorare, & de qua Gen. 3. v. 15. *inimicitias ponam inter te & mulierem.* Optimè convenit inter Mulierem hanc & illam. Nam quod in exordio mundi de Virgine DEI paræ fuit prædictum & de Semine illius, *Ipsa conteret caput tuum:* hoc idem in exordio Romanæ Ecclesiæ oraculum fuit Apostoli scribentis ad Rom. 16. v. 20. DEUS *autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* Amen.

## §. II.

### *Effigies Draconis.*

Draco magnus: 1. DIcitur 1. DRACO: ut & in aliis Scripturis: quia cùm esset conditus à DEO *principium viarum* DEI, Job. 40. v. 14. *perfectus decore,* Ezech. 28. v.13. &c. rebellione suâ contra Conditorem, mutatus fuit in Draconem, ipse & Angeli ejus. Appellatur cognomento MAGNUS: quia de illo, Job.40. v.12. *stringit caudam suam sicut cedrum*: v. 18. *absorbebit fluvium; & non mirabitur.* cap.41. 24. *non est super terram potestas quæ comparetur ei.* v. 25. *ipse est Rex super universos filios superbiæ.* Hunc adumbravit is cui dicitur à DEO Ezech. 29. v.3. *Ego ad te Pharao Rex Ægypti, Draco magne.*

Rufus: 2. Dicitur 2. RUFUS. hîc maximè in Apocalypsi eâ in effigie: tùm quia incepit ab Equo rufo suas persecutiones contra Ecclesiam à Judæis; ut vidimus in prima Parte: tùm quia posteaquàm ex prioribus periculis per gloriosam fugam erepta fuit protectaque à DEO, jam in hac secunda Parte Apocalypseos omnes simul persecutiones convenient in novissimam rufam iterùm, id est Judaicam, concitatore pseudo-Messia Antichristo: non sine angustiis Mulieris per breve tempus, prout prædicitur v.6.& 14.

Prodit cum suis solennibus *Capitibus* 7. & *Cornibus* 10. quæ sunt insignia Principatus mundi hujus. descripsit sibi enim & designavit in eo 7. Regna ethnica quibus effert se ut Capitibus: & solenne est ei habere suos decem Reges insignitè impios pro instrumentis & Cornibus. Sanè per 10. Reges in Apocalypsi Universitatem Regum (impiorum) intelligi posse sensit Augustinus lib.20. de Civ. cap. 23. ubi loquitur de Antichristo: *quid enim,* inquit, *si numero isto denario Universitas Regum significata est, post quos ille venturus est?* Cui capita & Cornua:

3. Dicitur 3. ille idem Draco, qui caudâ suâ & persuasione secum olim in ruinam *traxit* TERTIAM PARTEM STELLARUM COELI; Angelos (Job.4.v.18.& cap.25.v.5.) illinc deciduos, multò antè quàm staret contra hanc Mulierem. Arcessitur à capite ea narratio: simul & perstringitur Et pro syrmate sunt Stellæ cœli.

tur prophetia hostilitatis quam machinatur; cujus hæc est summa. Sicut in Cœlo empyreo (ad quam pugnam egregiè respicitur, & fit comparatio) in quo conditus fuit, pugnando victus est à S. *Michaële*: ita & in Cœlo mystico, pugnans adversus Ecclesiam Christi vincetur, præside Ecclesiæ Dei eodem S. Michaële; cujus conflictus occasio & initium est ut sequitur.

Adversario S. Michaële.

## §. III.

### *Prælium.*

Præliũ: 1. VIndicabat sibi Satanas principatum mundi, sumptâ denominatione à potiore mundi parte, factus seductor illius per Ethnicismum eousque, & invasor ac domitor generis humani: Cùm ecce ei qui possidebat cum custodia suum atrium in pace, Luc.11, v.21. ingens simultas & odium oritur contra Ecclesiam Christi; illam quæ incipit parturire conversionem Ethnicorum & salutem; illam recens ædificatam Mulierem ex latere novi Adæ obdormientis; illam militantem Cœlo; illam quæ præsidium suum habet in Cœlo, ut hîc docemur, S.Michaëlem & Angelos ejus.

Magnũ: FACTUM EST ergo, inquit, PRÆLIUM utrimque MAGNUM: dum hinc commoventur per Draconem persecutiones magnæ; vis afferendi animas, ac retrahendi, per intentationem corporibus tormentorum omnis generis: at illinc ei resistitur magnâ constantiâ animi ac tolerantiâ corporis.

InCœlo. Dicitur committi hoc prælium IN COELO: tùm quòd de Cœlo adjuvetur Ecclesia: tùm quia ipsa est Cœlum mysticum, ut modò insinuavimus: tùm quia prælium geritur contra Martyres qui præripiunt Cœlum ingenti agmine; utpote qui simul occisi, simul in Beata immortalitate vivuntur & in possessione Cœli.

2. In eo prælio NON præ-VALUERUNT DRACO ET ANGELI EJUS: NEQUE LOCUS INVENTUS EST EORUM AMPLIUS IN COELO. Sicut olim in Empyreo, sic neque in Ecclesia ille eorum locus ampliùs universæ seductioni Gentilium: propterea quòd in Gentibus inceperit oriri Christus & efflorere semen Ecclesiæ, tanto jam initio dato propagandi Christianismum, & agi cœpto triumpho de Satana per animas Martyrum victrices & præmissas ad Beatitudinem. Procul his animabus sanctis (v.9.) PROJECTUS EST DRACO, ET ANGELI EJUS CUM ILLO, velut de sublimi possessione IN TERRAM: id est, ut explicant S.Aug. & alii Patres, in eos qui perstiterint terrena sapere, nec nisi terram spectare ac diligere, cùm fuerit Cœlum ipsis annuntiatum, atque adeò terra

Locus Draconis, terra.

terra nominati & esse, juxta illud S. Augustini tract. 2. in ep. S. Joannis: *talis est quisque, qualis ejus dilectio est; terram diligis! terra eris.*

Locus Martyrum, Cœlum.

Super hac victoria fit applausus utriusque *Cœli*, triumphantis & militantis (v. 10. &c.) voce magnâ gratulantium de *Regno & potestate* CHRISTI, de projici cœpto seductore communi eodemque *accusatore* atque improperatore in faciem DEO Christo sine intermissione: ac de triumpho Christianorum parto per SANGUINEM AGNI, ET per SUUM martyrium seu TESTIMONIUM, USQUE AD odium sanctum animarum suarum in hoc mundo, & ad MORTEM pro fide in DEUM perpessam. Magna materia plausus: quòd postquàm seduxisset Diabolus multis retrò sæculis universum orbem, ostensum sit posse eum vinci ab his qui nolint esse terra: moveátque ille quidem prælia, sed debelletur à cohortibus Martyrum.

Draconis ira.

3. Qui ut vidit se repulsum in terram, ac longè ab animabus raptis ad DEUM & jam cœlestibus incolis, descendere coactum: adhuc contra mortales spirat IRAM MAGNAM & VÆ, quod impendet TERRÆ ET MARI: ideò, quia sperat se posse sarcire damnum, & obtinere saltem cæteros quos inveniet faciétve habitatores in terreno & immersos in mari hujus sæculi. *Væ terræ & mari*, ait Auctor homiliarum suprà citatus, *id est qui Cœlum non estis.*

Tum verò hoc maximè solatur sese ac nititur, quòd etiam post vires diminutas & injecta sibi suísque vincula quibus ligatam sentit potestatem nocendi, *scit* tamen repositum se divinitus *habere* MODICUM TEMPUS libertatis amplioris ac potestatis ultimæ sibi indultæ: certus eâ saltem extremâ suâ caudâ non minùs ex Ecclesia detrahere quàm è cœlo quondam partem Stellarum.

Sed dum illud interim tempus nondum advênit, nequaquam interea cessaturus ab ira, *persequitur* MULIEREM aliis viis: irritatissimus quòd pepererit masculum raptum in Cœlos. Verùntamen dum talia molitur Draco, Mulier curæ est DEO: à quo protegitur & fortitudo ei datur avolandi, prout jam dicetur.

* * *
* *

TRACTA-

# TRACTATUS XVII.

## IN RELIQUA CAPITIS XII.

Visionem inceptam de Muliere, sanctâ & forti, prosequitur Joannes in reliquo Capite. cujus uno in versu 14. multa & involutè dicuntur, ac diligenter evolvenda sunt in proximis duobus §§. de alis Mulieris & volatu: de loco deserto ubi alitur: & de tempore decretorio certorum annorum. Cæteri quatuor Versus Capitis absolventur in §. 3.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Capit. 12. Versus 14.) *Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis, à facie serpentis.* (v. 15.) *Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine.* (v. 16.) *Et adjuvit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo.* (v. 17.) *Et iratus est draco in Mulierem, & abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi.* (v. 18.) *Et stetit super arenam maris.*

## §. I.

### *De alis & volatu Mulieris.*

Extollamus DEUM & demus gloriam ei, quia prophetavit ea quæ impleta sunt: & id quod restat expectemus implendum.

Aquila magna. 1. Manifestum est in Scripturis, Aquilam significare Imperium: & alas dilatationem. Ita Daniel cap. 7. in Visione quatuor Bestiarum, quæ sunt totidem Imperia mundi seu Monarchiæ, de prima quæ fuit Chaldæorum sub Nabuchodonosore v. 4. *alas*, inquit, *ha-*

*bebat ut Aquilæ : aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus.* Ezech. 17. de Rege Babylonis dicitur v. 3. *Aquila grandis, magnarum alarum.* Et de Rege Ægypti, v. 7. *Aquila altera grandis, magnis alis.* Jer. 48. de vastatione Moabitarum per Regem Babylonis, v. 40. *quasi Aquila volabit & extendet alas suas ad Moab.*

2. Ecce quâ formâ prævidit S. Joannes Mulierem Ecclesiam, & in quo statu tranquillitatis in quem effûgit liberata & superior facta persecutione quam & Judæi dudum & Gentes moverunt.

Duæ alæ: DATÆ SUNT, inquit, MULIERI ALÆ DUÆ, AQUILÆ MAGNÆ. Magna Aquila & biceps est Imperium Romanum : cujus ambas alas prædicit Joannes datum iri Ecclesiæ militanti, quam Draco persequitur. Duæ alæ sunt Imperium Occidentale & Orientale : quorum altérius est sedes Vetus Roma, alterius Nova Roma seu Constantinopolis.

Datæ ut volaret: 3. Alæ illæ duæ datæ sunt, ad *volandum* : excelso & felici volatu qui est exaltatio ac propagatio Religionis Christianæ. quæ acceptis alis, sibi datis à DEO ut esset expeditior à persecutione, provolat & penetrat ulterius IN DESERTUM, id est in nationem Gentilium de qua Isaias fusè sub similitudine deserti, cap. 35. v. 1. & 2. *Lætabitur* DESERTA *& invia, & exultabit* SOLITUDO, *& florebit quasi lilium : germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans. gloria,* inquit, *Libani data est ei, decus Carmeli & Saron : ipsi* (Gentiles) *videbunt gloriam Domini* (lucem fidei Christianæ) *& decorem* DEI *nostri.* In desertum :

Hoc illud est desertum, & hæc Solitudo, in quam fugit Mulier id est evasit à persecutione: quando ipsa potius occupavit Gentes & amplexa est sub alis suis. Quippe adventu Mulieris effloruit illa Solitudo : & gloria, quæ fuerat Libani ac decor qui fuerat Carmeli, eò ex Judæa translata sunt cum sceptro ac Majestate Imperii Christiani.

Et dici potest, hanc evasionem æquivalere Silentio illi seu quieti, de qua in prima Parte Apocalypsis initio Capitis octavi.

## §. II.

### *De loco in quo pascitur à facie Serpentis : & ad quæ usque tempora.*

In locũ suum: 1. DIcitur hoc desertum esse LOCUS Mulieri SUUS, in quem debuit evolare. Quoniam is ei proprius locus, assignatus est à Prophetis, jámque præparatus per martyria & prædicationem inceptam : locus Neo-

Neophytarum Gentium, quæ fuerant omnino infideles & desertæ à fide ac desolatæ à DEO.

Ubi alitur.

In eo loco tàm suo & vasto est futura tutior Ecclesia cum his alis: & remotior, tanquàm volatu sublimiore, A FACIE SERPENTIS dejecti in terram. Ubi, quæ DEI est providentia, non tantùm secura præcedentes effûgit persecutiones: sed oportet eam ali & vegetari atque excrescere: depastâ passim superstitione, & idolis demolitis in Oriente & Occidente: quoad humanum genus totum imbutum sit famâ Evangelii; penetraturâ usque ad Indias procul & propediem in novum orbem.

Per tempus &c.

2. Jam quod additur, PER TEMPUS ET TEMPORA ET DIMIDIUM TEMPORIS, hoc præsignificat perseverantiam Mulieris usq; ad extrema tempora, de quibus præpotens & præ omni alio tempore fuit commemoranda protectio futura: & quòd aletur etiam tunc, per illam usque exodum temporum. Absit enim opinio, quasi tunc primùm ei datæ sint alæ, vel ut pro novissimo tantùm trium & dimidii annorum, aut eo fine ut lateat: immò non potest latere Mulier illa (civitas *supra montem*, & lucerna *non sub modio*, Matth. 5. v. 14. & 15.) nec istâ quidem morâ temporis ultimâ & exiguâ: quando namque persecutio futura est toto orbe, quomodo non toto etiam orbe Mulier? & verò aletur patiendo. Quamobrem nequaquam ille est sensus, & causa alarum ista, & usus tàm humilis ac brevis alarum tantarum, utpote aquilæ magnæ, & duarum celebrium: sed est sensus quem jam dicemus.

Expositio integra versus 14.

3. Exprimuntur hoc tàm fœcundo versu 14. & paucis perstringuntur hæc tria: primò, alæ datæ duæ, Orientem versus & Occidentem. Secundò, ad quem locum & in quem terminum volatus ejus: videlicet, quà patet desertum qui est locus Mulieris ut inibi alatur & illum impleat. Tertiò, ad quod usque tempus perseveratura sit, ac perrecturus illam alere DEUS: videlicet, per totum illud spatium temporum, quæ secutura sunt, usque ad novissima & specialiter per hanc Apocalypsin prophetata tria tempora & dimidium, illa tàm brevia quàm ardua: Nec solùm, uti diximus, usque ad illa; sed etiam, uti dicit Apocalypsis, PER illa prorsus, & eventu optato ac victorioso adversus Serpentem.

Et particulæ UT;

Juxta quam expositionem facilè est Lectori significationem pervidere particulæ UT in hoc loco Apocalypseos tùm in hoc Versu 14. quo dicitur: UT VOLARET IN DESERTUM IN LOCUM SUUM UBI ALITUR &c. tùm in v. 6. sup. in quo dicitur Mulier fugisse IN SOLITUDINEM UBI HABEBAT LOCUM PARATUM A DEO, UT IBI PASCANT EAM &c. Nempè τὸ UT habet plenissimum suum significatum: nam præterquàm quòd indicet causam propter quam alatur, significat præterea & præmonstrat eventum futurum, illum memorabilem in novissimo temporum. quasi dicat: Continget tandem, & cum demum exitum habebit opera & effectus ali-

Cui duplex significatum;

moniæ impertitæ: & pastus exhibiti hic erit fructus; etiam in illa postrema persecutione (celebri & brevi trium ac dimidii annorum) perseverare Mulierem, & inveniri vegetam confortatámque spiritu ac numero fortissimo Martyrum, & prævalere. Nam quòd particula UT recipiat hunc sensum in Scripturis, & habeat pro sua germana interpretatione non solùm causam finalem, quem simul sensum hîc retinet; sed eventum futurum: nimium quantum patet in exemplis ei qui vel modicè versatus est in sacris paginis.

Ob quē finem; & quo memorabili eventu.

(Maldonatus in illud S. Lucæ cap. 2. v. 35. UT revelentur &c. *particulam*, inquit, *UT, non causam sed eventum & consequentiam significare, innumeris jam locis ostendimus.*)

Summa sensus est, quam diximus: datæ sunt Mulieri alæ hunc in finem à Deo, ut expedita esset ad pervolandam nationem Gentilium, locum sibi præparatum & præostensum: Eousque & in hunc finem alæ & officium illarum. Ibi in illo loco suo proprio, tantopere sub Judæis deserto & tàm his procul, pascetur & vegetabitur toto illo spatio quo implebuntur tempora nationum & prædicatio ac salus Gentibus: quando superventura sunt illa nominatissima tempus & tempora & dimidium temporis, qui erit periodi rerum exitus, à quo propè tunc aberit consummatio mundi. Dicamus sine omni ænigmate: Ecclesia liberabitur à persecutione Imperatorum, & evehetur in Imperium orbis Romani per Orientem & Occidentem: qui est finis alarum. Curæ autem erit Deo, & proficiet in Gentibus totâ illâ duratione cui præfinitus terminus erit tempus & tempora & dimidium temporis, celeber à persecutione novissima prædictâ, & à reversione Judæorum, & à consummatione vicinâ temporum omnium futurorum: qui est eventus Apocalypseos extremus.

## §. III.

### *De flumine quod post illam expuitur: & de nova ira Draconis.*

1. Ringi Satanas interim, quòd viderit avolantem Mulierem, quæ modo jam dicto effugerit vim & se dilataverit: ipse verò cogatur experiri se debilitatum projectione factâ & serpere super terram, quò non valeat eam deprimere. Ergo frustratur spe devorandi partum ejus dudum, & illam nunc assequendi, expuit instar ceti (sic enim appellatur Isa. 27. v. 1.) EX ORE SUO POST MULIEREM AQUAM; populos hæreticos, & spumam oris Diaboli seductores Hæresiarchas, alios ex aliis, successione TANQUAM FLUMEN, cujus rapiditate ac vi *faciat* retrò TRAHI Mulierem & mergi.

Flumen ex ore Draconis:

Sed enim ADJUVIT TERRA MU-

MULIEREM: quia pleræque Hæreses ex toto catalogo earum quas recensuerunt in primis sæculis Epiphanius, Philastrius, Augustinus (quorum hic enumerat 88.) fuerunt parvæ durationis: nam ut erat brevis vitæ seu Hæresiarcha quisque seu protectores hæresum, mox ut APERUIT tellus OS SUUM sepulturæ istorum, ABSORBUIT ET FLUMEN; adeò ut hæreses ipsæ vel defecerint vel certè potentia earum exaruerit. sicut scitè S. Augustinus in illud psalmi 57.v.8. tanquam aqua decurrens: *Non vos terreant*, ait, *fratres, quidam fluvii qui dicuntur torrentes; decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit: diu stare non possunt. Multæ hæreses jam emortuæ sunt: cucurrerunt in rivis suis quantum potuerunt; decurrerunt: siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur.* Tali sepulturâ absorptæ Hæresi Pelagianæ, quæ nata fuerat ex Nestoriana, posuit Epitaphium S. Prosper inquiens:

Absorbetur à terra.

S. Augustino flumen sunt hæreses: apud quē & apud S. Prosperum absorbentur à terra.

— — — — — — *sepulchrum,*
*Intrat & inferni, carceris ima subit.*

Conatus alius Draconis:

2. Dum hæc non sat ex voto molitur, *irasci* Draco magis magísque in Mulierem: & *abire* ad antiqua consilia: reparare velle Imperium pristinum, & in eo seductionem simul & persecutionem adversus *reliquos* DE SEMINE EJUS: deleturus omne semen Christianorum propediem, & reducturus Infidelitatem æmulam Paganismo veteri, ab illo diversam aut illo etiam potiorem.

3. Eâ intentione, reducendæ in mundum Infidelitatis & Imperii ethnici, figit pedem ad mare: unde ascendere faciet Bestiam, illam è duabus in Apocalypsi priorem.

Statio super littus maris.

STETIT igitur, inquit, SUPRA ARENAM MARIS, quod est littus Ponti & Propontidis: & in illis maris faucibus sibi designavit Sedem novam belli & Imperii; de quo Capite sequente.

Ac proinde secunda Visio (quæ Capitis erit 13. & 14.) velut continuatio est quædam aut connexio primæ Visionis: utpote de persecutione Draconis contra semen Mulieris quam frustra conatus fuit extinguere.

# TRACTATUS XVIII.

## IN PARTEM PRIMAM CAPITIS XIII.

Hoc Caput est de duabus Bestiis: quarum altera non sine causa nominatur *prior* v. 12. De hac in prima parte Capitis, & in hoc Tractatu. Hæc ascendit *de mari*, & est multò prior tempore: altera posterior ascendit *de terra*, & in fine sæculorum conjungit se priori. & sicut olim conveniet inter ambas, ita conjunguntur in unum hoc Caput Apocalypsis.

# VERBA APOCALYPSEOS.

"(Cap. 13. Vers. 1.) *Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem*
" *capita septem, & cornua decem & super cornua ejus decem diademata,*
" *& super capita ejus nomina blasphemiæ.* (v. 2.) *Et bestia quam vidi, si-*
" *milis erat pardo, & pedes ejus sicut pedes ursi, & os ejus sicut os leonis.*
" *Et dedit illi Draco virtutem suam, & potestatem magnam.* (v. 3.) *Et*
" *vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem: & plaga mortis*
" *ejus curata est, & admirata est universa terra post bestiam.* (v. 4.) *Et*
" *adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ: & adoraverunt*
" *bestiam, dicentes: Quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum ea?*
" (v. 5.) *Et datum est ei os loquens magna, & blasphemias: & data est ei*
" *potestas facere menses quadraginta duos.* (v. 6.) *Et aperuit os suum in*
" *blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus,*
" *& eos qui in cœlo habitant.* (v. 7.) *Et est datum illi bellum facere cum*
" *sanctis, & vincere eos; Et data est illi potestas in omnem tribum, &*
" *populum, & linguam, & gentem:* (v. 8.) *Et adoraverunt eam omnes,*
" *qui inhabitant terram: quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ*
" *agni, qui occisus est ab origine mundi.* (v. 9.) *Si quis habet aurem, au-*
" *diat:* (v. 10.) *qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet: qui*
" *in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. hic est patientia, & fides*
" *Sanctorum.*

## §. I.

### *De Bestia priore.*

Impossibile est, ut S. Joannes revelationem scribens motuum futurorum in Ecclesia, & nominatim in Ecclesiis Asiaticis, non meminerit tantæ mutationis ibi factæ, Mahometani Imperii: immò ut non graphicè illud depinxerit. fecit verò, ut apparebit luculenter ex hoc Capite.

S. Augustini sententia de Bestia.

1. Magni faciamus auctoritatem S. Augustini, & libenter audiamus interpretationem ejus quam affert in proposita materia, libro 20. de Civ. cap. 9. ubi ex professo agit de Apocalypsi & tractat de

de hoc Capite 13. Apocalypseos. *Quæ sit porrò*, inquit, *ista* BESTIA, *quamvis sit diligentius inquirendum: non tamen abhorret à recta fide, ut ipsa impia Civitas intelligatur & populus infidelium, contrarius populo fideli & Civitati* DEI. Addit de Imagine ejus, de qua postea videbimus, hæc verba: IMAGO *verò ejus, simulatio ejus mihi videtur, in eis videlicet hominibus qui velut fidem profitentur & infideliter vivunt: fingunt enim se esse quod non sunt, vocanturque non veraci effigie sed fallaci imagine Christiani*. Ita visum est illi tanto Doctori & interpreti cujus explicationem sic veneremur & accipiamus in genere datam: ut meminerimus admonitionis quam inseruit illis verbis; quòd *sit diligentius inquirendum* in particularia seu Bestiæ infidelis, seu Imaginis, id est, Simulationis: & addamus, ad illam ejus expositionem elucidandam, ea quæ verosimiliter fuerat additurus Augustinus si vixisset usque ad nostra sæcula; cùm obierit anno Christi 433. sed ante omnia ponamus fundamentum ex S. Scriptura.

Bestia est Imperium infidelium:

In libris sanctis propheticis nomine Bestiæ significari constat Imperium infidele: ut videre est maximè in Daniele; ad cujus prophetiam peculiariter respicit hîc Apocalypsis: apud quem Bestiæ quatuor significant Imperia totidem ethnica usque ad Christum & Imperium Christianum. Sic enim habet Dan. 7. v. 3. *quatuor Bestiæ grandes ascendebant de mari, diversæ inter se.* Auditque interpretationem v. 17. *Hæ quatuor Bestiæ magnæ 4. sunt Regna* (Imperialia) *quæ consurgent de terra:* & sunt bruta, quia sine cultu veri DEI; ideò Bestiæ. Ergo similiter & in Apocalypsi nostrâ: VIDI, ait, DE MARI BESTIAM ASCENDENTEM, id est Imperium brutum, infidele novum, exortum horribili mutatione quæ facta est Constantinopoli, sede Imperiali celeberrimâ: nempè Mahometanum: cujus Secta est omnis retrò infidelitatis colluvies & erroris Pagani. Vidit illud *ascendisse*: quia ex humili emerserat & excreverat sensim in Saracenum aliquod dominium & Regnum: at processu sæculorum in Imperium Constantino-politanum quod est novæ Romæ sitæ ad mare: cœptum in Mahomete ejus nominis IIdo. qui primus Imperator, anno Christi 1453. Valet hîc annotatio S. Hieronymi in Dan. cap. 7. *Notandum* inquit, *quòd Regnorum feritas, atque crudelitas, Bestiarum nomine demonstretur.*

Novum: Christiano eversо.

Septiceps.

2. Vidit Bestiam habere CAPITA SEPTEM: quia de illo etiam Imperio verum est id quod S. Hieronymus Dan. 7. agnoscebat in Romano Gentili: *in uno*, ait, *Imperio Romanorum* (ethnico) *omnia simul Regna cognoscimus quæ priùs fuerant separata*. Similiter dicamus: in uno Imperio Mahometano sunt omnia simul Imperia infidelium collecta. Quæ sunt numero septem: Assyrium, quod fuit primum; & adhæret sectæ jam & sceptro Mahometano: Chaldæorum seu Babyloniorum, quod secundum: Medorum, quod tertium: Persarum, quod attractis ad se Medis est quartum; nam etiam illud est ejusdem sectæ, sibi jus ad

illud vendicat idem Imperator: Græcorum, quod fuit quintum ordine: Romanorum ethnicum, quod sextum: & jam ipsum Mahometanum, quod septimum. En Imperium Gentile, in quo omnia simul Regna Imperialia, quæ priùs fuerant separata.

Decem cornuũ.

Vidit esse Bestiæ CORNUA DECEM ET SUPER CORNUA EJUS DECEM DIADEMATA. Retineamus interpretationem quam S. Hieronymus vetustissimâ tradit auctoritate pollere, dum sic scribit in Caput citatum Danielis: *Dicamus quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando Regnũ destruendum est Romanorum, decem futuros Reges qui orbem Romanum inter se dividant.* At Orientale Romanum Imperium, & in Asia, penitus est destructum: ita ut vix nomen sit super; sicut superest adhuc nomen Occidentalis Imperii qualecunque: nec dubiũ, quin propiùs absit, quàm olim, Consummatio mundi. Neque difficile est numerare decem Reges ac diademata in quæ divisum sit jam nunc Imperium Orientis, quondam Christiani & Romani: quorum sit subjectio & supremus dominatus penes sceptrum Mahometanum. E. C. Africa, ubi Tunetum sedes Regni: Arabia: Libya, Ægyptus, & pars Æthiopiæ: Mesopotamia: Media: Syria ubi sedes Regni Damascus: Armenia: Asia minor, ubi Imperium Trapezuntinum: Macedonia: unà cum Thracia & vicinis regionibus Europæis: Insulæ Rhodus, Cyprus, & nuper Creta seu Candia. Sed pergat S. Hieronymus cætera, de illa Traditione Doctorum Ecclesiasticorum, quam continuat his verbis: *Et undecimum surrecturum esse Regem parvulum, qui tres Reges de decem Regibus superaturus sit; id est Ægyptiorum Regem, & Africæ* (hoc est, ut alibi ait, Libyæ,) *& Æthiopiæ, quibus interfectis etiam septem alii Reges victori colla submittent.* Ita S. Hieronymus testis antiquæ interpretationis. Nam quæ adjecit de undecimo Rege surrecturo, pertinent ad eam, quam etiam surrecturam subjicit Apocalypsis, Bestiam secundam de qua postea.

Cornuũ significatio in Scriptura.

Cornua igitur Bestiæ Mahometanæ sunt decem Regna seu vasalli Reges, cum suis diadematis illi Monarchiæ & Imperio Mahometano insertis. Dicuntur Cornua: quia his impetit, & in his robur ejus quod more S. Scripturæ dicitur cornu: & speciatim vult S. Hieronymus in Commentario in Zachariam (cap. 1. v. 19.) per cornua in Scriptura significari regna. verba S. Hieron. l. c. sunt hæc: *rectissimè pro Regnis cornua posuit; hanc habente Scripturâ sanctâ consuetudinem, ut regnum semper interpretetur in cornibus: ut est illud; Et exaltavit cornu Christi sui* (1. Reg. 2. v. 10.) *Et in alio loco; Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui* (Luc. 1. v. 69.) *Et* (quod est proprium hujus loci,) *decem cornua in ultimo regnatura idem Daniel propheta testatur* (Dan. 7. v. 24.) *cornua decem ipsius Regni, decem Reges erant.*)

Addit Apocalypsis: ET SUPER CAPITA EJUS NOMINA BLASPHEMIÆ; contra divinitatem Christi, & fidem divinam.

3. Visa

Corpus, pedes, os Bestiæ.

3. Visa est Bestia SIMILIS esse PARDO: ET PEDES EJUS SICUT PEDES URSI, ET OS EJUS SICUT OS LEONIS. Quis neget hæc convenire Mahometano Imperio? cujus Secta est varia ut pardus: habet enim à Judæis Circumcisionem; à Christianis Baptismum, etsi frequentem singulorum; à Paganis alia & diversa. Pedibus refert ursum: quia sacra omnia, immò & profana procalcat. Præfert os leonis, efferum super omnes feras & Regna quotquot fuerunt aut sunt. Præter illa quæ S. Hieron. Dan. 7. considerat in Urso & Pardo: De illo: *ob duritiam*, ait, *& ferocitatem Urso comparatur.* De isto: *Pardo, Bestiæ velocissimæ & ὁρμιτικῇ comparatur quæ præceps fertur ad sanguinem, & saltu in mortem ruit.* Ita Turcæ ex institutione suæ Sectæ ruunt in mortem quæ in bello oppetitur tanquàm beatam.

ET DEDIT, inquit, ILLI DRACO VIRTUTEM SUAM, quantam interim potuit ligatus, ET POTESTATEM MAGNAM Diabolicam: denique affixit ei tota sua stemmata seu insignia quæ vidimus in effigie Draconis Capite præcedente v. 3. Draconis insignia.

## §. II.

### *De Capite quasi occiso: & de potestate novissima Bestiæ.*

1. PErgit Apocalypsis de illa Bestia priore: ET VIDI, ait, UNUM DE CAPITIBUS SUIS QUASI OCCISUM IN MORTEM: ET PLAGA MORTIS EJUS CURATA EST. unde sequitur: ET ADMIRATA EST UNIVERSA TERRA POST BESTIAM. Septem Capita ejus recensuimus in §. præcedente: horum *unum quasi occisum*, id est Imperium urbis Romæ Gentile, quod postquàm crederetur penitus extinctum, revixit in Mahometano: nempè Orientale novæ Romæ; quam occupârunt Mahometani. Hujus tanti Capitis in Bestia, quæ est Imperium infidele, *plaga mortis curata* rapuit universam terram in admirationem quâ prosecuti sunt, & in deditionem qua trahi se passi sunt *post Bestiam*, superbientem nova successione suscitationéque Romani Imperii post Christianismum redivivi in infidelitate: jámque Sede conspicuâ novâ, quam olim fundâsset Imperator Christianus occisor ethnicismi Romanorum imperitantis: atque in undecim sæcula tenuissent Imperatores Romani! Caput unum quasi occisum. Rivivû Constantinopoli.

In his quæ diximus de Bestia, sumúsque dicturi, semper sit ob oculos expositio quam initio hujus §. amplexi sumus ex S. Augustino. Nam hæc quidem Bestia in particulari, de qua agimus in hoc loco, est Imperium Mahome-

hometanum: at Bestiam generatim & hac antiquiorem audiimus à Magno Augustino esse populum infidelium: in cujus sententiam ivimus generalem; testati nos addituros ea quæ sunt particularia & posteriora ætate S. Augustini.

Ubi Sedes Romanorũ Imperatorum.

Cæterùm Orientales eos, qui resederunt Constantinopoli fuisse cognominatos Romanos Imperatores, proditum est omnibus annalibus, & indubitatum: adeò ut anno Christi post nongentesimum octavo & sexagesimo Nicephorus Imperator Orientalis unà cum aula sua fuerit offensus inscriptione literarum & Legatione Ottonis Imperatoris Occidentalis (quod ipse narrat Legatus, Luitprandus Episcopus Cremonensis) tanquàm vili: eò quòd inscripsisset Otto, insuper & Papa qui addiderat epistolam quâ commendabat Ottonem; Nicephoro Imperatori Græcorum: scribere enim debuisse; *Imperatori Romano*: enimverò se insigniri illo titulo, reputaríque Romanos, ac præcipuè; ad quos Româ Constantinus Magnus, palàm Christianorum Imperatorum primus, transtulerit insignia Imperii Romani, & omnem nobilitatem ac militiam, Constantinopolim; Romæ verò tantùm fœcem plebis reliquerit. Ita ille. Immò recentior Solimannus Turcarum Imperator mordicus se Romani Imperii gessit successorem: adeò, ut de illo scribatur in Chronico Turcico ad annum 1566. (per Jo. Rosinum) *sæpiùs dicere solitum, Romæ ac totius Occidentis Imperium ad se pertinere, propterea quòd ipse Imperatoris Constantini, qui Imperium Byzantium transtulit, successor sit.*

ET ADORAVERUNT, inquit Apocalypsis, DRACONEM QUI DEDIT POTESTATEM BESTIÆ, ET ADORAVERUNT BESTIAM; simul dum adoratur Bestia, adoratur Draco, qui, ut etiam dicebatur v. 2. *dedit illi virtutem suam & potestatem*: ac dum hanc exaltant, magnificant & Draconem, dicendo: QUIS SIMILIS BESTIÆ, ET QUIS POTERIT PUGNARE CUM EA!

Novissima potestas danda Bestiæ.

2. ET DATUM EST EI OS LOQUENS MAGNA ET BLASPHEMIAS: ET DATA EST EI POTESTAS FACERE MENSES QUADRAGINTA DUOS &c. Dictum fuerat jam supra v. 1. quòd super Capita Bestiæ sunt nomina blasphemiæ: quid sibi vult igitur quod hîc dicitur esse datum ei os magniloquum & blasphemum: & connectitur cum mensibus quadraginta duobus potestas blasphemandi nomen Dei & Tabernaculum ejus Ecclesiam sanctam & Cœlites: ac faciendi bellum cum sanctis eósque vincendi: & potestas in omnem tribum, populum, linguam, & gentem: & adoraturos eam omnes, qui inhabitant terram, non inscriptos in libro Agni? Quid hoc aliud est quàm prophetia novæ potestatis quæ superaddetur huic Bestiæ? continget enim illam quam esse diximus Imperium & superstitionem infidelium, & ut nunc est Mahometanorum, evehi ad majus culmen infidelitatis ac potentiæ ad tempus quadraginta mensium.

Hoc

Hoc jam eget explicatione; quam accipe: Paganiſmus & Secta quæ nunc eſt Imperii Aſiatici ac Sedem ſuam habet Imperialem Conſtantinopoli, accipiet ſucceſſorem Antichriſtum & uſurpatorem urbis ac ditionum atque Imperii quibus nunc potiuntur Mahometani, tranſibit tota gens ac Secta Turcarum ad Antichriſtum, & retinebitur coram DEO forma Beſtiæ præcedentis, id eſt infidelis populi (prout Beſtiam appellavit S. Auguſtinus:) veruntamen cum augmento infidelitatis novo quod perſuadebunt Antichriſti eloquentia & ſtupenda ſigna: quaſi verò ipſe ſit qui ulterius evehat Imperium Aſiaticum ac magnificentius reddat additione ſui ſceptri & Regni quod ſignificatur per Beſtiam poſteriorem. ita, ut prior Beſtia, Imperium illud infidele, maneat porrò: & accedat conjungatúrque ei Beſtia poſterior, quæ conciliet priori majorem auctoritatem & teſtimonium præbeat illius defectioni juſtæ à Chriſto. Inſuper addet adverſus Chriſtum implacabile odium & execrationes illius nominis: cum noviſſima & omnium retrò efficaciſſima perſecutione Chriſtianorum everſione que orbis Chriſtiani. Atque hoc eſt quod Joannes dixit v. 7. de poteſtate data IN OMNEM TRIBUM ET POPULUM ET LINGUAM ET GENTEM: nempè, de conſenſu eorum qui ſe Imperio ſubjicient Aſiatico & doctrinæ ac teſtimonio Antichriſtiano, quod accumulabit Infidelitatem Beſtiæ prioris ac Majeſtatem atque adorationem.

Menſes 42.

3: Hæc acceſſio & hoc culmen poteſtatis ad Beſtiam priorem, majoríſq; magniloquentiæ, & blaſphemiarum novi odii ac ſeductionis differtur uſque ad tempus continuationis cum poſteriore Beſtia.

Dicitur hæc EI tunc POTESTAS DATA, id eſt præfinita & permiſſa, ita ut ſit circumſcribenda certo ſpatio menſium: *facere*, inquit, quidquid ſuggeret fraus & tyrannis infidelis, *menſes quadraginta duos*, ultra quos non proficiet: hoc eſt tribus & dimidio annis, ut retulimus ſupra in Caput XI. ex communi Traditione. S. Thomas Doctor Angelicus pro figura iſtorum 42. menſium accipit 42. manſiones Iſraëlitarum, de quibus Num. 33. *Sicut*, inquit, *populus Iſraël per* 42. *manſiones pervênit ad terram promiſſionis, & illis manſionibus multa mala prius ſuſtinuit ab hoſtibus: ita Eccleſia per perſecutiones, quas in iſtis* 42. *menſibus ſuſtinebit, perveniet ad terram viventium: omnia enim in figura contigerunt illis.*

Cur autem hoc loco numeretur illud ſpatium temporis per menſes potius quàm aliter, eſt inde quòd S. Joannes locutus fuerit de Imperio Mahometano: conſtat autem quòd Mahometani habeant in veneratione Lunam, quæ deſcribit menſes; ſicut Sol deſcribit annos: ut diximus in prima Parte Apocalypſeos cap. 9. de cruciatu locuſtarum: quo etiam calculo Lunari utetur Antichriſtus Judaizans. Veruntamen, quod etiam monuimus in Caput undecimum Tract. 15. §. 1. abbreviata erit Lunatio Antichriſtiana 42. menſium computi communis: & bre-

& brevior quàm erat quinarius Lunationum Imperii Turcici (cap. 9. v. 5.) qui erat alterius ordinis & secretioris computi.

## §. III.

### *De præmonitione cautelæ.*

1. HIc Apocalypsis factura transitum ad alteram Bestiam, & connexura utramque: patheticè, ut de re gravissima, præmittit admonitionem: SI QUIS, inquit, HABET AUREM, AUDIAT. Præmonet autem audienda hæc duo; *Captivitatem*, & *gladium*. Et captivitas ponitur primo loco: quis enim nesciat Mahometano Imperio proprium esse, quòd abducat in captivitatem Christianos? sinit enim eos, dummodò ut captivos, ut tributarios, & ut sub jugum suum missos, vivere. Gladius verò qui secundo loco ponitur, id est trucidatio Christianorum longè latéque, ut nemini parcatur nisi abneganti fidem in Christum, & illa horrenda persecutio differtur in definitum tempus triennii & anni dimidii: quo tempore in ascensu posterioris simul Bestiæ sæviet non jam captivitas sed gladius Imperii Asiatici quæsiturus ad necem per totum orbem vel animas Christianas vel certè corpora.

De captivitate.

De gladio.

2. Et utrique quidem Bestiæ non futurum impune, prædicit his verbis: QUI IN CAPTIVITATEM DUXERIT, IN CAPTIVITATEM VADET: QUI IN GLADIO OCCIDERIT, OPORTET EUM GLADIO OCCIDI. id est: finis Imperii Turcici, & captivitatis quam inferunt, erit ipsorummet abductio sub Antichristo successore, qui ad se rapiet gentem illam totam, & auferet Sedem Constantinopoli Hierosolymam: finis autem Imperii Antichristiani gladius Domini quo & interficietur ipse & Regnum ejus corruet.

Antichristi propri... ... ...

3. Cui prædictioni additur ad Christianos etiam cautela: ut præmuniant sese ac præparent tùm ad exhibendam patientiam, tùm ad fidem constanter confitendam: HIC EST, inquit, PATIENTIA, ET FIDES SANCTORUM. juxta illud Christi de patientia, Matth. 10. v. 28. *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timere eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* De Confessione autem fidei l. c. v. 32. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in Cœlis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.*

De patientia & fide.

Hanc triplicem præmonitionem is *qui habet aurem* (est enim *fides ex auditu*, Rom. 10. v. 17. ex Isai. 53. v. 1.) *audiat* tempori, & præparet animam suam ad tentationem (Eccli. 2. v. 1.) superventuram orbi Christiano. quasi dicat: Cavete ô Christiani captivitatem potius sub Diabolo: & illum gladium qui persecutores sequetur æternus.

Quid sit habere aurem.

TRA-

# TRACTATUS XIX.

## IN CAPITIS XIII. VERSUM XI.

Cohæret Visioni Bestiæ prædictæ narratio de Bestia posteriore: quæ crescenti atque invalescenti Mahometano Imperio tandem succedet: ipsa Imperium omnium brutissimum & bestialissimum Antichristianum. Loquitur autem de Antichristo prout dicitur propriè eo nomine ac velut substantivo: nam adjectivè & appellativè dicuntur multi: quæ utraque acceptio nominis habetur 1. Joan. 2. v. 18.

Anti-christus propriè dictus.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 13. Vers. 11.) *Et vidi aliam Bestiam ascendentem de terra: & habebat cornua duo similia Agni: & loquebatur sicut Draco.*

Jecimus fundamentum ex Scriptura in Tractatu præcedente, §. 1. quòd per Bestias significetur Imperium infidele, vel Imperator utpote qui repræsentat Imperium: ad eum modum quo in Visione Statuæ ethnicæ grandis, Dan. 2. Regnum Nabuchodonosoris & ipse Nabuchodonosor pro eodem explicatur; ut videre est v. 37. de Capite aureo statuæ seu primo ex illis Regnis. sic igitur, &, Antichristianum Regnum, appellatur Bestia hæc secunda, &, ipse Antichristus, apud SS. Patres.

Alia Bestia ipse, cum suo Imperio.

Dicitur Bestia ALIA: quia diversa est à priore, & illi superventura. Ergo hæc jam posterior Bestia, id est Antichristus cum suo Imperio, ascendet DE TERRA: nam prior Bestia *de mari.* Dicamus de hujus Bestiæ posterioris descriptione, juxta prophetiam hujus versus undecimi; super quo tria erunt dicenda: Primò, ex qua terra ascendat. Secundò, quid commune habeat cum Dracone: siquidem loquetur sicut Draco. Tertiò, quæ sint cornua quæ habiturus est similia Agni.

## §. I.

### *Ex qua terra ascendat.*

**Cùm simus dicturi Antichristum exoriturum in terra Babyloniæ inter Judæos: supponamus illam præcipuè regionem & circumvicinas à Judæis inhabitari.**

Judæi dispersi.

1. Constat eos, ex prophetia psalmi 58. esse *dispersos* per universum mundum: quod eo consilio factum est, ut Christianæ veritatis sint testes vel inviti; dum Codices propheticos; ex quibus probamus Christum, evidenter nobis præferunt. Unde illos sæpè nominat S. Augustinus Christianorum librarios, capsarios, laturarios: *quomodo solent*, inquit, *servi post Dominos, Codices ferre* (adeò) *ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.* in psalmum 56. Vide eundem in psal. 40.58. & alibi.

Quâ divinâ providentiâ.

Cum quo etiam S. Doctore illud rectè perpendimus, fuisse divinæ providentiæ, non solùm *non occîdi eos*; hoc enim habet psalmus: sed neque ita dispergi in alias nationes, ut desinant suis legibus vivere. *Judæi sunt*, ait, (in psal. 85.v.12.) *nec destiterunt esse quod erant; id est, gens ista non ita cessit in jura Romanorum* (aliorúmve à quibus sunt abducti) *ut omiserint formam Judæorum.* Dispersio hæc tàm fuit procul Hierosolymis, ut, teste Eusebio lib.4. histor. Eccl. cap.6. sub Hadriano Imperatore prohibiti sint non modò pedem eò referre, sed *ne vel ex edito loco paternum solum oculis aliquando aspicerent.* De his Christus Luc.21.v.24. *Captivi ducentur in omnes gentes, & Jerusalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora nationum.*

De eadem dispersione Josephus scriptor rerum Judaicarum sub Vespasiano, lib.7. de bello Judaico cap.21. sic scribit: *Judæorum namque gens multùm quidem totius orbis indigenis asseminata est.* & lib. undecimo antiquit. Judaicarum cap. quinto, originem dispersionis repetit à captivitate Babylonica: de qua finiente cum memorâsset Esdram adeptis ab Rege literis libertatis (quas etiam recitat Esdras lib. 1. cap. 17.) convocasse filios Israël *qui apud Babylonem degebant*, atque insuper *exemplar* epistolæ Regiæ misisse *in Mediam, ad omnes suæ gentis homines*, unde excîti multi cum ipso reverterint Jerosolymam: adjungit: *reliqua Israëlitarum multitudo assuetum jam domicilium noluit relinquere.* narrat inhabitasse illîc diversas urbes, Babylonem, Seleuciam, Ctesiphontem, (prout est legere in lib. 18. antiq. Jud. cap. 12.) ac præcipuè Neardam & Nisibim, de quibus initio ejusdem Capitis: *Nearda dicitur urbs Babyloniæ frequens populo & agro fertili, qui tantam multitudinem possit alere;*

Judæorũ præcipua habitatio.

*cincta*

*tincta fluentis Euphratis & firmissimis mœnibus: eidem flumini est & Nisibis apposita.* Hæc Josephus. & S. Hieronymus meminit dispersorum ex Judæis incolarum *in montibus* passim *& urbibus Medorum.* in Ezech. cap. 23. id quod sæpè alibi repetit (in Ezechielis caput 16. & 37. & in Joëlis caput tertium.

Academiæ: Est illius Neardæ multa mentio in Thalmud Babylonico, quod illâ in urbe conflatum est annis circiter quingentis post Christum: & cognominatur urbs, à Rabbinis, fluvius scientiæ ob Academias scientiarum Judaicarum: quarum, non quidem ille flos Academiarum, sed tamen doctrina conservatur etiamnum in Babylonia & vicinis latè regionibus. in quibus se propagant bonâ Regum Babyloniorum veniâ, quam magno pretio emunt: & de quorum indulgentia retinent illîc speciem Reip. & successionem ejus quem vocant suum Principem aut Caput, ex familia, quod putant, Davidis. de quo Origines lib. 4. Periarchon cap. 1. *Dicunt*, inquit, *permanere adhuc Principem ex genere Judæ, istum videlicet qui est gentis eorum Princeps, quem nominant Patriarcham: nec deficere posse de semine ejus qui permaneat usque ad adventum Christi quem sibi ipsi describunt*: quos refutat ibidem Origines ex illo Oseæ 3. v. 4. *dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, sine Principe.* Extant in Jure Civili rescripta Imperatorum Constantini, Theodosii & Valentiniani, quæ meminerant istius Patriarchæ seu Principis. Codice: de Judæis (is est Titulus nonus) l. tertiâ & decimâ septimâ.

Et successio, scilicet, Principum.

Ad Euphratē, infinita millia. Cæterùm Josephus lib. 11. cap. 5. eos qui per Romanas ditiones sunt dispersi, ut qui ex duabus tantùm tribubus fuerunt abducti Hierosolymâ, paucos ait esse comparatè ad eos qui habitant apud Babylonē. *Duæ*, inquit, *tantùm Tribus per Asiam & Europam sub Romano degunt Imperio: decem autem Tribus nunc quoque ultra Euphratem sunt, infinita hominum millia quæ vix est numero comprehendere.*

Ibi patria Antichristi. 2. Atque hæc ideò sint commemorata, ut superstrui possit istâ in regione Babyloniæ nativitas aut educatio Antichristi. Ita habet communis sententia, nasciturum in Babylonia: de qua S. Hieronymus in Danielis caput undecimum: *Nostri autem*, ait, *hæc omnia* (à versu Danielis 21.) *de Antichristo prophetari arbitrantur &c. qui nasciturus est de populo Judæorum & de Babylone venturus.* Et convenit admirabiliter cum illa Visione Zachariæ cap. 5. v. 7. & seqq. *Ecce talentum plumbi portabatur; & ecce Mulier una sedens in medio amphoræ; & dixit, Hæc est impietas. & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas milvi, & levaverunt amphoram inter terram & Cœlum. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me: quò istæ deferunt amphoram. Et dixit ad me: ut ædificetur ei domus in terra Sennaar & stabiliatur & ponatur ibi super basem suam.* Sensus historicus & prophetia est, Judam & Israëlem duas mulieres deferre Impietatem in terram Sennaar (ibi est urbs Babylon, Gen. 11. v. 2.) & ædificare domum

ſuam in confuſione, atque habere illîc baſem habitationis ſuæ uſque ad conſummationem mundi. Audi S. Hieronymum in hunc locum Zachariæ: *Duæ enim Mulieres, quæ egrediuntur, haud dubium quin de terra Judæâ, accipiendæ ſunt decem & duæ tribus.* Ac poſtquàm dixiſſet in alis earum fuiſſe ſpiritum, id eſt poteſtatem Diaboli, adjungit reliqua hujus prophetiæ: *Convenit,* inquit, *iſtis mulieribus Judæ & Iſraëli, quæ propter peccata putentia traditæ ſunt dæmonum poteſtati & ab eis ductæ ſunt in captivitatem. Tuleruntque amphoram ſive menſuram in qua clauſa tenebatur Impieatas, maſſâ plumbi deſuper poſitâ ne poſſit exire; & pondus graviſſimum omnium peccatorum, per aërem inter terram & Cœlum elevantes.* Obſervat interrogationem Prophetæ: *non interrogat quæ ſint iſtæ Mulieres; patebat enim ſpiritui prophetali: nec quid portent; de quo ſuprà fuerat eruditus: ſed quò portent. Qui reſpondit: ut ædificetur ei domus in terra Sennaar: pro quo LXX. tranſtulerunt, in terra Babylonis. Sennaar enim campus eſt Chaldæorum: in quo hi qui moverant ab Oriente pedes ſuos, & in* DEI *ſervitute ſtare non poterant, ædificaverunt turrim ſuperbiæ: unde & civitas ipſa appellata eſt Babylon, id eſt Confuſio. Impietas ergo defertur ab iſtis Mulieribus in Babylonem: ut ibi ædificetur domus ejus, & ſtabiliatur, & ponatur ſuper baſem ſuam, & æternâ ſtatione requieſcat. Verè enim in Babylone* SEDES EST IMPIETATIS, *& juxta hiſtoriam, & juxta myſticos intellectus.*

3. Summa: S. Joannes vidit aſcendentem Beſtiam de terra inter Judæos qui frequentiſſimi in regione atque in conterminis Babyloniæ: immò, præter ſuos ritus ac formam vivendi, retinent illîc Magiſtratus emptitios & diſtinctionem Tribuum.

Naſcetur autem, veriſimiliter, ex matre quæ de tribu erit Juda; ut inde ſibi arroget ſceptrum: & ex occulto patre Danita (fornicario, ut expreſsè inter alios ſentit & bis eodem loco aſſerit S. Damaſcenus, lib. 4. de orth. fide cap. 27.) Quo pacto conciliari arbitramur utramque ſententiam: & eam quæ oriturum docet Babylone; & eam quæ naſciturum de Tribu Dan, de qua pluribus diximus in Caput Apocalypſis ſeptimum: nec non famam ortus ejus de Tribu Juda, quânam veritate illi tribuetur. Ex qua Tribu.

Jam & illud amplius innoteſcit tâm commune SS. Patribus, hauſtum ex Sacra Scriptura: Babyloniam eſſe Civitatem Diaboli, & opponi ſanctæ Jeruſalem DEI, metropolim omnis confuſionis, & habitaculum convenientiſſimũ dæmonum: à qua civitate ſicut inde à Nemrod ſeu Belo cœpta eſt & propagata defectio mundi à veri DEI cultu: ita ab eâdem incipiat ortus Antichriſti, & Regnum ac fama invaleſcat prodigiorum ejus & potentia Meſſiæ. Quæ nimirum conveniunt ad amuſſim Babyloniæ Chaldaicæ, illi quam perluit *Euphrates*, is cujus ſapientiſſimè fit mentio in Apocalypſi ſuper hac materia Cap. 9. v. 14. & cap. 16. v. 12. potiùs quam urbis. nam de ſubverſione antiquæ Babylonis, perinde factâ ut Sodomæ, præceſſerunt & impleta ſunt oracula Prophetarum Iſai. 13. v. 19. Babylonia in Prophetis & PP. famoſa. Cur mẽtio Euphratis in Apoc. Ratio 1. potiùs quàm urbis.

v.19.& seqq. ac Jer. 50. v.39. qui ait, *non inhabitabitur ultra in sempiternum nec extruetur*: & illud ipsum narrat S. Hieronymus. At contiguo in loco aliam constat ædificatam esse Babylonem prope veteris urbis ruinas, quarũ & murorum Semiramidis & hortorum pensilium videre est monumenta. prout legere est apud Ortelium & alios Geographos, qui eam, quæ nunc Babylon aut Bagadat dicitur, prope ruinas antiquæ Babylonis exhibent. Ferè sicut ævo Christiano dirutæ illi Hierosolymæ, ut non relictus sit *lapis super lapidem* Luc.19. v.44. successit alia Hierosolyma hodierna, non eo nunc prorsus in loco ut observat S. Greg. hom. 39. in Evang. Illa autem hodie Babylon habetur; testimonio eorum qui sunt illuc peregrinati, esse amplissima earum, quæ in tota sunt Assyria, & subdita Mahometanis. Quam adhuc urbem, id quod ad Apocalypsin attinet, perfluit Euphrates, & jungit pons lapideus super eum impositus: qui fluvius à Tigri confluente sic augetur, ut navigia majora perferat ad Oceanum Persicum.

Ratio ad distinctionẽ alius urbis cognominis.

Estque prætera fluminis Euphratis illa expressa mentio in Apocalypsi idcircò, ut admoneamur agi de Babylone Chaldaicâ: non item de alia Ægyptia urbe, etiam amplâ, sitâ ad Nilum flumen, quam Arabes Babylonem nuncuparunt, vulgo Cairum quæ huc non pertinet.

## §. II.

### *De relatione ejus ad Draconem: quia loquetur sicut Draco.*

Antichristi genitura.

1. PRæterquam quòd Antichristus ex semine gignatur hominis, utpote verus homo, ut dicitur 2. Thess. 2. v.3. *homo peccati*: Draco tamen qui est Princeps omnium Diabolorum huic fœtui progenerando formandóque suam omnem impendet artem. Existimamus cum magnis Doctoribus fore præter patrem hominem spurcissimum, aut simul & cum illo, incubum matri Archidæmonẽm (neque enim de incubis negari posse sentit Augustinus lib.15. de civ.cap. 13.) Is ut simius sit generationis Christi, superadveniet illi scorto: & quia homo genitor erit occultus, sparget, id quod prædixisse de illo refertur Sancta Hildegardis Prophetissa, natum matre virgine. Certè Rabanus Episcopus pietate doctrinâque celeber in opusculo de Antichristo: *Diabolus*, inquit, *in matrem Antichristi descendet, & totam eam replebit, ut quod natum fuerit, totum sit iniquum & perditum; unde dicitur homo peccati & filius perditionis.*

Indoles.

2. Et verò ille quodammodo plastes, Draco, efformabit hunc partum ab utero, tantâ ei proclivitate insitâ corpo-

corporis & diſpoſitione ad omnia vitia quanta nemini fuit mortalium: & porrò à primo uſu rationis ſuo ſe libero arbitrio dedicantem Diabolo inſtituet hic Magiſter impoſturâ omni magicâ: & aliis præterea ſcientiis; etiam ſacrarum Scripturarum; præcocitate ingenii, memoriæ felicitate, facundia, peritiâ fallendi. *Erit ſapientiâ*, inquit S. Anſelmus in Elucidario, *& eloquentiâ incredibili, & omnes artes & Scripturam naturaliter ſciet.* His & humanis cæteris dotibus ab eodem diabolo, ſupra penè captum hominis, inſtructus diriget ſeſe conſiliis ejuſdem: cui ſe devovit, & illi ſe Diabolus viciſſim. Ita de illo monſtro ſenſerunt SS. Patres: quorum S. Irenæus lib. 5. adv. hær. cap. 29. *in Beſtia*, inquit, *veniente recapitulatio* (frequens eſt hæc Irenæo vox, id eſt coacervatio) *fit univerſæ iniquitatis & omnis doli.* & cap. 25. *omnem ſuſcipiens Diaboli virtutem.* S. Hieron. in Dan. 7. *in quo totus Satanas habitaturus ſit corporaliter.* S. Damaſcenus lib. 4. de fid. c. 27. cùm dixiſſet: *Non ipſe igitur Diabolus fiet homo. abſit enim: ſed naſcetur homo ex fornicatione:* adjungit: *& ſuſcipiet omnem operationem Satanæ: nam præſciens* Deus *irrationabilitatem futuram ejus voluntatis, permittet ut illum inhabitet Diabolus.* Oecumenius in ep. 1. Jo. *homo erit qui Satanam circumferet.* Meritò illum S. Hieronymus ep. 151. ad Algaſiam quæſt. 11. interpretatur ex Apoſtolo *non operatorem, ſed ipſam operationem id eſt fontem erroris.* S. Chryſoſtomus hom. 3. in 2. Theſſ. 2. ipſam *Defectionem* ſeu verbo Apoſtolico ἀποστασίαν. Oracula Sibyllina, lib. 2. ipſum Beliar, id eſt *Belial.* S. Paulus cum articulo emphatico; ille, inquit, homo peccati, ille filius perditionis, ille qui adverſatur: ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας· ὁ ὑιὸς τῆς ἀπωλείας· ὁ ἀντικείμενος· ille iniquus, ὁ ἄνομος, cujus eſt adventus *ſecundùm operationem Satanæ*; κατ᾽ ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ.

Non tamen Draco incarnatur.

3. Atque hæc ſpectant ad expoſitionem ejus quod de Beſtia poſteriore dicit Apocalypſis: LOQUEBATUR SICUT DRACO. Non eo in ſenſu in quem prolapſus fuit S. Hippolytus martyr: fore ipſum Diabolum; qui *prodibit*, inquit, *ſub forma hominis.* Ubi obiter ipſe Hippolytus vindicandus eſt ab alio graviore errore, qui ei tribuitur, fore Diabolum incarnatum; hoc enim diſertè negat, dum ſic ſcribit: *ſed Diabolus licet carnem aſſumat, hac opinione tantùm* (id eſt, opinatione hominum quibus illudet.) *quî enim carnem ferret quam ipſe non condidit ſed oppugnat quotidie? hanc, opinor, dilecti, carnis ſuæ ſubſtantiam aſſumit organi vice.* Quæ opinio ejus refutatur à cæteris Patribus. Cautius S. Ephrem ſer. de Antichriſto vocat illum non inimicum ipſum Diabolum, ſed *perfectè illius Organum*; quod græcè ſignificat inſtrumentum. Et illi coævus S. Cyrillus Hieroſ. catech. 15. *Satanas illo ipſo utetur Organo, ſuâ perſonâ per illum operans.* Planiſſimè S. Auguſtinus lib. 20. de Civ. cap. 19. *Tunc enim ſolvetur Satanas, &* PER *illum* ANTICHRISTUM *in omni ſua virtute* (verba ſunt Pauli 2. Theſſ. 2. v. 9.) *mirabiliter quidem ſed mendaciter operabitur.* Divinè Apocalypſis: non

Quod neq; ſenſit S. Hippolytus.

non Draco ipsa Bestia; sed *loquebatur* SICUT *Draco:* utique qui totam ejus mentem & linguam obsidebit ac reget, & persuasio ac doctrina tota erit Draconis.

Ex quibus etiam modò dictis minus mirum efficitur, simul & aperitur sensus in quo dicitur capite 9. Apoc. v. 14. alligatos fuisse quatuor Archidæmones in flumine Euphrate; & cap. 12. v. 14. in idem flumen Euphraten effundi postliminio phialam iræ sextam & accelerari viam persecutioni: juxta illud Scripturæ; *ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ*, Jer. 1. v. 14. quidni hoc gravissimum malorum universalium habitatoribus terræ? quoniam, ut diximus §. præcedente, ad eos maximè limites Euphratis, quos constat regioni Judææ esse Aquilonares, adstricta est qualiscunq; potissima libertas & velut resp. Judæorum interim: donec temporibus Antichristi solvantur illi dæmones, præsides infidelissimæ sectæ Judæorum, & per 4. terræ partes prævaleat diabolicus pseudo-Judaismus & cura per illum extinguendi Christianismi.

Malum ab Aquilone.

## §. III.

### *De duobus Cornibus, quibus similis erit Agno.*

1. IN *Cornibus* vires ejus eminebunt ejusmodi, quibus simulet Agnum: id quod aptè exprimit vox, SIMILIA; & quæ græcè dicitur, ὅμοια. Primum Cornu erit simulatio Sanctitatis: Erit enim simulatissimis moribus, præsertim à prima ætate, atque initio sui ambitus; de quorum annorum numero nihil constat; usque ad plenam obtentam possessionem nominis Messiæ ac Monarchiam orbis, quam tenebit $3\frac{1}{2}$. annis persecutionis. De hac ejus simulatione morum tradunt SS. Patres: ac fundant tùm in illo Geneseos 49. v. 17. ubi comparatur *colubro* & *cerusti* in via, equitem aggredienti retrò: tùm in Daniele, variis in locis; nam & cap. 7. v. 8. & 20. Cornu *habebat oculos*, id est prudentiam & astutiam: & cap. 8. v. 23. dicitur *Rex impudens facie & intelligens propositiones*, id est, audaciâ præditus & acie ingenii. & v. 25. *dirigetur dolus in manu ejus*. & cap. 11. v. 21. *obtinebit Regnum in fraudulentia*. De primis quidem ejus annis ætatis S. Cyrillus Hierosl. catech. 15. *temperantiam & humanitatem simulabit*. S. Damasc. lib. 4. de fid. orthod. cap. 27. *nascetur igitur ex fornicatione, ceu diximus: & educabitur occultè: & repentè insurget & elevabit se & regnabit. Et in exordiis Regni sui seu potius Tyrannidis simulabit bonitatem*. Quamobrem S. Greg. lib. 31. mor. cap. 17. eum cognominat *Hypocritarum omnium Caput*.

Similitudo sanctitatis.

Alterum Cornu è *duobus* similibus Agni: erit imitatio altera, miraculorum: de quibus 2. Thess. 2. v. 9. *in* OMNI *virtute & signis & prodigiis mendacibus*: iisque propemodum conti-

Similitudo miraculorũ.

nuis, quacunque incesserit: prout S. Gregorius lib.34.mor.cap.15. (in illud Job.41.v.23. *post Leviathan quippe semita lucere perhibetur, quia quaquà transit, admirationem nimiam ex miraculorum suorum claritate derelinquit.* Sed ejusmodi, ut claritas illa sit transfigurantis se in angelum lucis; quod præmonuit Apostolus l. c. qui tàm disertè dixit de signis & prodigiis mendacibus: sic appellatis duplici ex causa: primùm quia falsa erunt miracula secundùm se; nulla enim divina vel supernaturalia. Deinde ex fine propter quem ea faciet; qui est deceptio, & confirmatio felicitatis scilicet divinitùs promissæ: & ob effectum quem obtinebunt ista prodigia; qui est auctoritas Messiæ: quæ erunt mendacissima.

2. His duobus Cornibus exprimet effigiem in se Agni, & attrahet ad se Judæos qui in Babylonia & in vicinis vastis regionibus ad quas se receperunt ab eversa Hierosolyma: eorúmque geret sese Messiam. Protinus penetrante famâ de adventu Messiæ plebs Judæorum dispersa per orbem reliquum à quatuor angulis terræ canet celeusma, & exultabit ad excipiendum suæ gentis expectatum liberatorem ac Regem.

Opitulatio Diaboli. Dum interea suâ hypocrisi, atque auxilio præcipuo Diaboli, dementabit Ismaëlitas & Saracenos, longè latéque Tartaros & Turcas, tanquàm in quibus agnoscat semen Abrahæ & Circumcisionem communem. Neque enim Antichristus *prosperabitur & faciet* hoc *viribus suis*, ut prænotavit Daniel cap.8.v.24. sed Diaboli, cui jam tum jus est in Mahometanos & facultas eos flectendi. Appellabit Regnum Mahometanum præcursorem & armigerum suum contra sectam Christianam: simul territos potentiâ, incantatósque arte & persuasione Sanctitatis ac Prodigiorum suorum aggregabit in unam eandémque Legem suam adversariam Christianismo.

Conciliatis sibi eo artificio Mahometanis, & ingressu in Constantinopolim solenni, quam accipiet vel deditiam vel venerabundam, horum & omnium Orientalium ac per totius mundi plagas concursu Judæorum atque acclamatione succedet in Regnum Orientis; & in eam assurget arrogantiam, ut omne quod suæ Sectæ & suo sceptro adversabitur, quæ jam erit sola Religio Christiana, velit eversum. Quòd si quid tribuendum fabulæ Turcarum, aut saltem juvet audire narrationem antiqui præsagii; *adnotavère Turci* (ait historicus Leunclavius) *scriptum apud se reperiri Sapientum in libris, ac præsertim in eo cui nomen sit Messabih: futurum, ut priùs quàm exeat Degnal Lain, hoc est, Antichristus improbus & edictus, bis Constantinopolis occupetur. Primùm gladio capiendam esse. Deinde Judicii tempore appetente, filios Ishaci, non gladio sed per invocationem divini nominis eam capturos. Priorem vaticinii partem, de occupanda bellicis armis urbe, jam impletam fatentur* (armis primi sui Imperatoris Mahometis) *Alterius occupationis eventum, & quinam illi sint Ishacidæ, qui precibus & hymnis à potituri dicuntur, ipse dies dabit.* Hæc histor. Turc. lib.15. verbotenus

nus Leunclavius. Non est impossibile prædictum fuisse, vel à dæmone, fore ut per Hebræos Isaacidas communi accursu & occursu usque Constantinopolim suo Pseudo-prophetæ, cum hymnis & præstigiis diaboli, aperiretur aditus eam in urbem, & auspicium Imperii Orientalis.

Existimant graves Patres, simulac in altum evectus fuerit Monarchiæ illiusque securus, abjecturum esse larvam humanitatis & omnem exerturum ferociam; quam innuit Daniel cap. 8. v. 24. *supra quàm credi potest*, inquit, *universa vastabit*. Adeò, ut putent in ipsos Judæos etiam fore atrocem: ut scribit S. Ephrem ser. de Antichristo: *non amplius velut pius ac religiosus, neque amplius ut pauperum amator, neque uti hilaris; sicut antea: verùm contrà prorsus, per omnia austerus, durus, iracundus & excandescens, sævus, instabilis, terribilis, inflexibilis ac tenebricosus, odibilis & abominabilis, immitis, improbus, superbus, scelestus, & impudens* &c. S. Jo. Damasc. l. 4. de fid. cap. 27. *Cùm verò Dominator factus fuerit, manifestabit omnem malitiam suam.* S. Cyrill. Hier. cat. 15. *Decipiet Judæos, tanquam is esset Christus ab illis expectatus: deceptos verò deinceps omnis generis inhumanitatis & iniquitatis malis omnes circumscribet: ita ut omnes qui ante illum, improbi & impii fuerant excellat malitia. Mentémque habebit homicidiariam, præfractam, immisericordem, & variam.* & infra: *à principio enim simulabit humanitatem, deinceps verò inhumanitatem ostendet, & maximè erga Sanctos* DEI. Nam quod ad Judæos attinet, certè quidem in illos Judæorum exeret intolerabilem ferociam, qui ad prædicationem duorum Testium deserere volent impostorem & se Christo aggregare. Quin etiam exacerbatus miraculis veris quæ patrabuntur per eosdem duos Testes, ut prædicitur Apoc. 11. v. 6. inhibitâ *pluviâ* & *aquis* conversis *in sanguinem*, & *omni plagâ* qua *percutient, quotiescunq; voluerint terram* Antichristianorum (sicut Moyses & Aaron cum Magis decertârunt Ægyptiis) ferocior insurget erga suósmet qui ad ipsum recurrent; cùmque *non sit impuro illi*, ait S. Ephrem, *quod dare eis possit, ad eos pariter omnes magna cum severitate ac ira responsurus est.*

Ferocia.

3. Ut ut erit; ante hæc omnia, ex oraculo Apocalypseos illis Cornibus repræsentabit se Agnum; & geret *Ducem fœderis*, ut eum appellat Daniel cap. 11. v. 22. hoc est, ut ait S. Hieronymus, *Legis & Testamenti Divini.* Veruntamen cum his Cornibus & simulatione Agni non desinet esse fera Bestia, is qui non solo astu & persuasione, sed vi & armis ad delendum anhelabit nomen Christianum: frendentibus sub suo Imperatore Judæis præ odio in suos oppressores, Christianos, contra quos non sola arma sed & dentes ad vindictam præparabunt. Utetur operâ Regum decem quos adjiciet suo Imperio: tribus eorum oppressis, quorum in locum substituet alios sibi vicarios: cæteris sponte suâ dedititiis & Vasallis: habet hoc Traditio Ecclesiastica vetus ex S. Hieron. in Dan. 7. quem citavimus suprà Tract. 18. §. 1. Horum conspiratione & armis persequetur

Violentia:

quetur Christianismum: auferet per eos Romani Imperii memoriam reliquam, & abolebit omnia vestigia illius, ipsámque urbem Constantinopolim tùm in odium olim Principatus Romani: tùm satagentibus Judæis & exosis jugum ejus urbis; ut est illorum in ea jam nunc frequens habitatio & Synagogæ ampliùs triginta: quid ergo cùm adventaverit tota multitudo Judæorum & Judaizantium? tùm maximè ut Regiam suam stabiliat in urbe Hierosolyma, in qua residebit, sibi & pseudo-Judaismo asserturus soli dominatum orbis terrarum, & successionem in Templo, de qua jam jam sumus dicturi in Tractatu sequente.

# TRACTATUS XX.

## IN RELIQUA CAPITIS XIII. usque ad v.18.

Sequitur de adjunctione Bestiæ posterioris ad priorem, & consensu.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap.13. Vers.12.&c.) *Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus: & fecit terram, & habitantes in ea, adorare bestiam primam cujus curata est plaga mortis.* (v.13.) *Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum.* (v.14.) *Et seducit habitantes in terra, propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, & vixit.* (v.15.) *Et datum est illi, ut daret spiritum imagini bestiæ: & ut loquatur imago bestiæ, & faciat, ut quicunque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur.* (v.16.) *Et faciet omnes pusillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.* (v.17.) *Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus.*

Succedit in potestatem Bestiæ priori.

Anacephalæosis hujus Capitis.

Distinguendum est hoc Caput Apocalypseos accuratè: Primò. In quatuor primis versibus hujus Capitis prophetavit ortum Bestiæ de mari, & ejus progressum; usque ad admirationem quam concitavit,

tavit universæ terræ; & adorationem ejusmodi quæ communis est cum Dracone adoratio infamis & informis. Hanc partem prophetiæ videmus oculis nostris in Imperio Mahometano impleri & perdurare nostro ævo.

Secundò, à versu quinto usque ad undecimum prophetat de eadem Bestia, dandum ei os aliud magniloquum, & blasphemum, ac potestatem 42. mensium ad bellum, ac victoriam contra Sanctos, & potentiam in omnem tribum & gentem. Hæc pars prophetiæ ad eandem quidem pertinet Bestiam, at pro venturis temporibus Antichristianis: inde à v. 5. inquam, usque ad 11. quando ei se conjunget Bestia posterior, à qua prior illa immutabitur in aliam formam & imaginem venerabilem adoratione non jam quasi Draconis sed velut Numinis.

Sic enim Visio porrigitur usque ad postrema Bestiæ visæ & usque ad patientiam Sanctorum.

Tertiò, Versu undecimo producit posteriorem Bestiam de terra, cujus auspiciis hoc geretur, successuram & conjuncturam se illi priori: prout expressè continetur in v. 12. relatio *prioris* ad posteriorem, & connexio inter utramque. Hæc posterior erit Antichristus: qui partim similitudine ut Agnus, partim loquela ut Draco, abutetur præitione Bestiæ prioris ad conflandum suum Regnum: & totum se impendet conjunctioni cum priore, ac reformationi illius in aliam diviniorem speciem aut formam.

Igitur hoc undecimo versu exposito, sequuntur cætera: Dicitur primò usurus Potestate ejus: secundò Imagine quam ei addet venerationis ergò: tertiò Coactione: de quibus tribus ordine: usque ad versum postremum; nam is indiget peculiari Tractatu.

## §. I.

### *De potestate quam faciet prioris Bestiæ.*

Succedet in potestatem Bestiæ prioris.

1. INcidet Antichristus in tempora ultima Imperii Mahometani, quod est Bestia prior. Prima machina, qua utetur, erit Potestas quam invênit penes præcursorem, Bestiam, Imperium Mahometicum; introductum per Draconem, & stabilitum aliquot sæculis, eo consilio, ut sibi Antichristo muniretur via ad potestatem illam continuandam, brevi tempore, augendámque usque in summum apicem Infidelitatis.

Volet ergo POTESTATEM OMNEM illius BESTIÆ sartam tectam: & adorationem ejus eatenus ratam, quatenus ipsa est Imperium infidele: hoc est enim cordi cùm Draconi tùm Antichristo, atque hic apparatus utriusque, & consensus cum Bestia priore: præterquàm quòd ipse Antichri-

tichristus coronidem addet omnis infidelitatis & perfidiæ atque apostasiæ à Deo; quod erit Imperium Antichristi omnium brevissimum & novissimum.

Juvet Lectorem meminisse explicationis generalis quam addit S. Augustinus de Bestia: cui expositioni insistimus, addendo particularia.

Palàm illâ:

2. FACIET Antichristus Potestatem illam IN CONSPECTU EJUS-met Bestiæ PRIORIS: id est (quod dicebamus in Tractatu præcedente §. de Cornibus) in conspectu & approbatione Mahometanorum & Tartarorum ac cæterorum infidelium, quos attrahet ad Judæos, callidissimè incantans: quasi finis ac scopus Mahometani fuerit præcurrere, donec una & eadem Lex sit quæ Judæorum, & una eadémque detestatio ac persecutio adversus Christianos.

3. Denique hanc totam potestatem diriget eum in finem, ut *adoretur* Bestia PRIMA, illa CUJUS CURATA EST PLAGA MORTIS. Quod nihil est aliud quàm, ut universa *terra* ET HABITANTES IN EA (nam quorum est conversatio per Spem & habitatio fixa in Cœlis, cavebunt) subdant sese Imperio ethnico, illi septem Capitum & collectioni omnis ethnicismi; sicut olim Imperium Gentile Romanum collegerat in se omnem summam superstitionis, quod interim extinctum revixit in Mahometano Imperio novæ Gentilisque Romæ.

Utetur ejus Infidelitate.

Breviter: huc spectabit posterior Bestia, ut omnes subjiciantur Imperio & subdantur superstitioni infideli. & quia invenit Mahometanum infidele, illo suum in finem utetur ad se pertracto atque incorporato in unum idémque suum Imperium: occultato & mutato nomine Infidelitatis, ut jam videbimus.

## §. II.

## *De Imagine quam addet priori Bestiæ.*

Imaginē addet sanctam:

1. NEque enim solâ id potestate assequetur: sed *Imagine Bestiæ* prioris: quæ est altera Machina procurandi adorationem multò quàm antea diviniorem. Apponet priori informi Bestiæ alium cœlestem colorem: & artificio hujusmodi ejus effigiem depinget, ut proponatur sub specie & auctoritate Numinis supremi: hæc enim est Imago, sive Simulatio, quam affinget Bestiæ; lineamenta Divinitatis: & hanc IMAGINEM, scilicet sacrosanctam, curabit exponi passim & *adorari* pro Divina. Id est: Imperium & Sectam infidelem septem Capitum (eam quam invênit penes Mahometismum) sic reformabit, ut venerationem addat Testamenti sancti, & reductionem veri Judaismi & existimationem Legis cultúsque divini. Idque efficiet, ut dixi-

diximus, ingeniosissimâ calliditate, allecturus simulatione Numinis & colore simulachri divini: cùm sit reipsa vultus Bestiæ.

Olim S. Augustinus, quem suprà citavimus in Tract. 18. §. 1. per Imaginem Bestiæ vidit intelligi aliquam profitentium fidem & infideliter viventiũ *Simulationem*: quod hic Doctor dixit in genere, voluitque amplius inquiri, hoc nos dicimus speciatim: Imaginem Bestiæ fore Simulationem Judaismi, quam addet Regno infideli quod præcucurrit.

Cum Signis: 2. Fabricam Imaginis comitabuntur SIGNA magna (v. 13.) quæ promovebunt illam venerationem adorationémque Bestiæ & Imaginis ejus. De his Signis diximus Tract. præced. §. 3. tanquàm de altero Cornu Antichristi. Erunt MAGNA in æstimatione hominum, & stupore: cùm alioqui præstentur partim per secretam artem Magicam, partim per præstigias & fascinationem Diabolicam: unde & hîc dicuntur fieri IN CONSPECTU HOMINUM, hoc est, pleraque apparenter coram hominibus: intérque alia commemoratur facturus IGNEM DE COELO DESCENDERE; propterea quòd hoc sit Signum Judaicum quod æstimabant & postulabant, Matth. 16. v. 1. Et subjicit Apocalypsis v. seq. effectum istorum Signorum consecuturum: *seducentur* enim propter illa Signa *inhabitantes terram*, & inducentur ad Imaginis adorationem.

Ecce colorabit Imperium suum tanquàm divinum: cùm sit verè Infidele ac Bestia ipsa prior, ac per additionem facta deterior. Hoc est, inquam, (est enim sæpè dicendum) addi Imaginem Bestiæ priori: simulatione Messiæ conciliari sanctitatem & vendicari cultum suo Imperio tanquàm Divino: cùm sit eadem potestas bruta quæ prioris Bestiæ, sed addita sit veneratio ac Majestas sacra profanáque in altissimum evecta fastigium Majestatis & adorationis.

3. Ad eandem venerationem pertinet, quod sequitur v. 15. ET DATUM EST ILLI à Dracone æmulatore Christi & irrisore: UT DARET SPIRITUM IMAGINI BESTIÆ, non Spiritum sanctum sed diabolicum: ET UT LOQUATUR IMAGO BESTIÆ. Nam illa Simulatio divinissimi Judaismi seu illud *Figmentum* (ut etiam appellat S. Augustinus) ex quo alio Spiritu loquetur, & quæ alia magnalia quàm Satanæ? prædicabit enim adventum admirandi Judæorum Prophetæ, præconia Legis de Cœlo, & Pseudoprophetiam promissionum, quibus plena est litera vetus, felicitatis, opum, honorum, seminis longævi, & omnis abundantiæ ac dominationis mundanæ. Eam prophetiam auspicabitur ipse per semet Antichristus fultam adjunctis prodigiis: agétque *Prophetam* cujus propagabitur vox in omnem terram: non quemcunque, sed illum quem Moyses per antonomasiam eo nomine appellavit promissum Deut. 18. v. 15. & Judæorum turba Joan. 6. v. 14.

Et Spiritu: Locuturam:

Pseudoprophetice. Unde & in Apoc. cap. 19. v. 20. nomen ei datur *Pseudoprophetæ*: non quasi alius

alius sit quispiam ab Antichristo diversus qui hoc nomen gerat, sed ut ibidem additur idem ipse QUI FECIT SIGNA, qui est Antichristus ex 2. Thess. 2. v. 9, Ita, ut idem sit Pseudopropheta quod Pseudo-Messias: sicut Christo idem fuit & Prophetam dici magnum, & Messiam, & DEUM. Impleturus illud Apostoli l.c. v. 4. *qui adversatur & extollitur super omne quod dicitur* DEUS *aut quod colitur, ita ut in Templo* quod à prima origine sua fuerat DEI *sedeat, ostendens se tanquàm sit* DEUS. qui ecce est grandis Spiritus & prædicatio Imaginis Bestialis loquentis.

Copias Typus Antiochus Epiphanes:

## §. III.

### *De Coactione ad Imaginem adorandam.*

1. INter hæc Sede fixâ Hierosolymis, atque Imperii titulo illuc translato, everti patietur Constantinopolim & cæteras Regias Sedes, ut solus obtineat. Jámque duabus præcedentibus machinis, Potestati Bestiæ prioris, & Imagini loquenti (de quibus in duobus §§. præcedentibus) admovebit ultimum Colophonem, tertiam præpotentem Machinam, quæ est Persecutio refractariorum & Coactio vi omni armorum & tormentorum, de qua pergit Apocalypsis v. 16. & 17.

Coget persecutione:

Ea erit primò tàm generalis, ut se extendat ad OMNES æquè PUSILLOS ET MAGNOS, DIVITES ET PAUPERES, LIBEROS ET SERVOS: id est, omnis conditionis homines. Erit secundò tàm sæva, ut cogat accipere singulos CHARACTEREM IN DEXTERA MANU SUA, AUT IN FRONTIBUS SUIS: qui character erit abnegatio Crucis: ut *locus non sit* (inquit S. Ephrem & alii) signo Christianorum quod formatur dexterâ & apprimitur fronti, compellentur Cruci renuntiare per *professionem*, quæ est *nota criminis in fronte*, ait S. Aug. (lib. 20. de Civ. cap. 9.) & per *operationem* qui est character in manu. Adeò severè, NE QUIS POSSIT EMERE AUT VENDERE, nec commercio uti hujus vitæ, NISI QUI HABET CHARACTEREM, AUT NOMEN BESTIÆ, AUT NUMERUM NOMINIS EJUS: id est: nisi hunc afferat *characterem* quo abdicet crucem Christi; aut *nomen* edat & confessionem Pseudo-Messiæ; aut relatus fuerit in *numerum* & in matriculam *nominis ejus*. Erit tertiò facilis ei hæc Persecutio per Judæos orbis jam dominos insolentissimos: de quibus S. Hieronymus in Dan. 11. *nullus enim Judæorum absque Antichristo in toto unquam orbe regnavit.* Quorum animi per tot sæcula efferati suam iram & odium effundent in totum populum Christianum sub quo fuêre dispersi, oppressi, & spreti, jam cùm se viderint exaltatos per suum Messiam; freti

Generali:

Sævâ:

Expeditâ.

ejus potentiâ, simul & sanctitate ac signis; ut divinitus promissi, pertinacissimè expectati, ac tandem dati.

Cujus Typus Antiochus Epiphanes: 2. Non est omittendus hujus Coactionis & Imperii Antichristiani Typus celeber, qui præcessit in Antiocho Epiphane, illo persecutore apud Danielem & in libris Machab: quorum lib. 1. cap. 1. sanciebatur, (v. 52.) *quicunque non fecissent secundùm verbum Regis Antiochi morerentur.* & v. sequente *secundùm omnia verba hæc scripsit omni Regno suo, & præposuit Principes populo qui hæc fieri cogerent.* Similiter atque in hoc loco Apocalypseos v. 15. UT, QUICUNQUE NON ADORAVERINT IMAGINEM BESTIÆ, OCCIDANTUR. &c.

Apertè S. Hieronymus, de toto eo quod Daniel prophetat cap. 11. inde à versu 21. usque ad finem Capitis, ex interpretatione non suâ tantùm sed & ante se interpretum Christianorum: *typum eum*, inquit, *volunt esse Antichristi; & quæ in illo ex parte præcesserint, in Antichristo ex toto esse complenda.* Illúmque addit esse *morem Scripturæ sanctæ.* & E. C. adducto psalmo 71. qui inscribitur Salomoni & impletur denique in Christo; subjungit: *Sicut igitur Salvator habet & Salomonem & cæteros Sanctos in Typum adventus sui: sic & Antichristus pessimum Regem Antiochum, qui Sanctos persecutus est, Templúmque violavit, rectè Typum sui habuisse credendus est.* Brevius ante Hieronymum S. Cyprianus lib. de exhort. *Mart. cap. 11. In Antiocho Antichristus expressus.*

3. Quin & Imaginis adoratio, de qua diximus §. præcedente, id est Judaismi regnantis: & sessio Antichristi in Templo consentiunt cùm inter se, tùm cum eodem Typo, abominatione illâ quam Antiochus posuit in Templo Hierosolymitano; *Jovis Olympii simulachrum*, ait S. Hieronymus, *& Antiochi statuas* (ex lib. 1. Mach. cap. 1. v. 57. & 2. Mach. 6. v. 2.) *quas nunc abominationem desolationis vocat: quæ universa in Typo Antichristi* (Scriptores) *Nostri præcessisse contendunt; qui sessurus est in Templo* DEI *& se facturus ut* DEUM. Est enim Antichristus abominatio, si minus ea de qua Dan. 9. v. 26. & 27. quam citavit Christus Matth. 24. v. 15. at ea de qua Dan. 11. v. 31. quæ est de Antiocho: & ea de qua Dan. 12. v. 11. ubi non tàm de Antiocho quàm de Antichristo prophetatur, & quidem historico ipso in sensu: prout testatur S. Hieronymus quæst. 4. ad Algasiam: *quando abominatio desolationis steterit in loco sancto: quod quidem juxta literam de adventu Antichristi prædicati nulli dubium est.* Immò S. Hilarius (cujus scripta mirificè laudat S. Hieronymus) etiam illam abominationem desolationis stantem in loco sancto, de qua Christus Matth. l. c. interpretatur ex mente Christi esse Antichristum: &, explicans singula ex illis tribus quæ illic dicuntur, sic scribit (canone 25. in Matth.) *De Antichristi enim temporibus ista locutus est. Abominatio ex eo dictus; quòd adversus* DEUM *veniens honorem sibi* DEI *vindicet: Desolationis autem abominatio; quia bellis & cædibus terram cum piaculo desolaturus sit: Atque ob id à Judæis susceptus loco sanctificationis insistet;*

Et Sessionis in Templo:

*ut ubi Sanctorum precibus* Deus *invocabatur, illic ab infidelibus receptus* Dei *honore venerabilis sit.*

Quod autem diximus de Sessione in Templo Dei: de qua S. Augustinus lib. 20. de Civ. cap.19. *Nulli dubium est, eum* (Apostolum 2.Thess.2.) *de Antichristo ista dixisse*: communior est sententia SS. Patrum, fore ut sedeat in Templo Hierosolymitano. ita S. Irenæus lib. 5. cap. 25. de Apostolo: *quoniam Hierosolymis Templum per dispositionem veri* Dei *factum est, Templum illud dixit* Dei. S. Cyrillus Hier. cat.15. *ut ipse in Templo* Dei *sedeat: quale autem Templum dicit? In Templo quod reliquum est Judæorum. si enim tanquàm Christus ad Judæos veniet, à Judæis sanè adorari volet, ut illos maximè decipiat: Studiosissimum se esse ostendet illius Templi, ut ipse de progenie David esse videatur, qui Templum à Salomone olim exstructum ipse sit reædificaturus.* S. Ambrosius in Luc. 21. *abominatio enim,* ait, *desolationis, execrabilis adventus Antichristi est sedens juxta historiam in Templo.* S. Damascenus lib.4. de fid. cap.27. *ita ut in Templo* Dei *sedeat, demonstrans seipsum quòd sit* Deus; *in Templo quidem* Dei, *non nostro, sed veteri Judaico: non enim nobis, sed Judæis veniet.*

Hierosolymitano.

Utique existimatione Messiæ apud illos acquisitâ sumpsit sibi instaurandam splendidissimè & citissimè Hierosolymam cum Templo; collaborantibus non solis Judæis sed & Diabolis: tradidítque Judæis incolendam: quando ipso sedente in Templo Dei complebitur unanimi adoratione illud Christi quod prædixit Joan. 5. v. 43. *si alius venerit in nomine suo* (non legitimè missus) *illum accipietis: alium,* inquit S. Irenæus (lib. 5. cap. 25.) *dicens Antichristum.*

Ibi tunc & Potestas imperandi, & Imago simulata, & Persecutionis coactio, hæ omnes machinæ simul operabuntur totis 42. mensibus.

Quo tempore resistent duo Testes, de quibus in prima Parte Apoc. cap. 11. qui & Potestatem suam divinam opponent Potestati: & veram Dei Legem Imagini confictæ: & tolerantiam atque exhortationem Persecutioni: eâ denique mutatione dexteræ Excelsi & eventu; quem post imposturam & ærumnas trium annorum & dimidii tradunt ex Prophetis & Apostolo SS. Patres omnes de reliqua gente Judæorum. S. Hieron. in psal. 20. *per Eliam & Enoch credituri sunt in finem.* Et S. Aug. lib. 20. de Civ. cap. 28. S. Greg. l. 11. mor. cap. 9. *Elia veniente promittitur ut reducat corda filiorum ad Patres eorum* (Malach.4.v.6.) *quando hoc intelligere de Domino cœperint filii quod prædicaverunt patres.* & hom. 12. in Ezech. *in fine mundi Judæi ad fidem redeunt.*

Adversantibus ei 2. Testibus;

Quibus reservatur reductio Judæorũ.

Cætera de Antichristi exercitu: & genere prælii; partim prædicatione & seductione animarum, partim persecutione corporum: ejusdémque clade & interfectione locus erit tractandi Apoc.19. ubi dicemus, quòd Christiani non se illi opponent prælio materiali; sed præparatione ad Martyrium: nec istud Enoch & Elias agent ut fiat; sed erunt prælii spiritualis Duces.

Hacte-

Hactenus in hoc Capite Historia prophetica de Bestia posteriore: & narratio plena de utraque Bestia. Sequitur Index in tempora hujus prophetiæ; Versus 18.

# TRACTATUS XXI.

## IN CAPITIS XIII. Versum postremum.

Postquam de utraque dixit Bestia, indicat unde possit dignosci tempus quando hæc incipient.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 13. Vers. 18.) *Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est, & numerus ejus sexcenti sexaginta sex.*

### §. I.

### *De illis verbis: Hic sapientia est.*

Sapientia est: Primò scire utriúsnam Bestiæ numerus afferatur è duabus. Secundò, quo consilio is numerus reveletur. Tertiò, cur hujus potiùs Bestiæ quàm alterius.

Numerus est prioris Bestiæ:

1. Etenim duplex Bestia descripta est in hoc Capite: & admirabilis est Apocalypsis, quæ relinquere videtur Lectorem suspensum in medio, utrius Bestiæ sit numerus de quo agit: ejúsne quæ est prior & cujus faciet posterior potestatem, an verò ipsius posterioris. Sed qui revolverit diligenter hoc Caput Apocalypseos, & ponderaverit ea quæ dicuntur de *admiratione* illius quæ est BESTIA PRIMA, & ejus CUJUS CURATA EST PLAGA MORTIS, & QUÆ HABET PLAGAM GLADII ET VIXIT, quódque in illius CONSPECTU (utpotè alterius) facturus sit alius SIGNA, & quod illius sit futura IMAGO & simulatio quæ *loquatur*, & cui ab altera Bestia imperetur cultus seu adoratio: is ex verbis Joannis illud arbitrabitur, sine ulla dubitatione describi numerum primæ Bestiæ.

2. Et hoc eo consilio pernecessario: Fuit is

Necessariò prænuntiandus.

ut agnoscendo primam Bestiam, quæ est Imperium infidele, animadvertant Christiani secuturam esse posteriorem Bestiam quæ est Antichristus cum suo Regno. Maximè, quòd prima Bestia sit longæva: & sit ea ipsa quâ utetur Antichristus & quam traducet in suum Imperium, addito colore Legis Dei ac præsentiâ Messiæ.

3. His enim ad eum modum prophetatis, optabilissimum fuit ut Apocalysis detegeret certo indicio illud tempus primæ Bestiæ: quoniam hac exortâ nulla supererit præstolatio sapientibus, præterquàm ut superadveniat trium & dimidii annorum Bestia Imperium Antichristianum.

Potiùs quàm Posterioris.

HIC, inquit S. Joannes, SAPIENTIA EST: & ad hujus animadversionem nominis & computum numeri provocat: QUI HABET, inquit, INTELLECTUM, COMPUTET NUMERUM BESTIÆ: videlicet primæ; cujus de mari ascensus erit sapientibus in toto orbe terrarum prodromus manifestus advenientis secundæ, & imminentis, ac prævidendæ iis qui habuerint intellectum; nempè Antichristiani Imperii cui præcurret. Nam ipsa secunda Bestia prodet se abundè orbi terrarum suâ additione Imaginis, & suo nomine Messiæ, & concursu ad illum Judæorum, & ædificatione Templi, & exultatione istorum & immanitate persecutionis, cujus solatium erit tempus perbreve, quod non egeat novo indicio.

Quæritur igitur, quis sit numerus prioris Bestiæ: de qua tanta dicta sunt, & cum qua nectuntur cætera breviora.

## §. II.

### *De illis verbis: Computet numerum.*

Computatio est notarum Græcarum:

1. NEmo dubitat quin hæc supputatio debeat esse notarum Græcarum: quia eo idiomate Apocalypsis est scripta: & ipse numerus est per notas Græcas adscriptus. Unde S. Irenæus, contiguus Apostolicorum temporum, scriptum relîquit lib. 5. cap. 30. eos qui S. Joannem viderunt, testimonium perhibere, quòd numerus Bestiæ sit *secundùm Græcorum computationem* (*κατὰ τὴν τῶν Ἑλλήνων ψῆφον*) per literas quibus nomen constabit. Et in eadem Apocalypsi in cap. 7. ubi agitur de numero Signatorum, ea etiam numeratio non exprimitur secus quàm per Græcas notas: dum enim dicitur, centum quadraginta quatuor millia, græcè habetur *ρμδ' χιλιάδες*: & ex omni tribu duodecim millia, græcè habetur *ιβ' χιλιάδες*.

Per Alphabetū Græcū.

2. Mos enim est Græcis per literas sui Alphabeti numerare: sicut etiam in sua lingua Hebræi per suas numerant literas: & Latini per suarum aliquas, videlicet per *M, D, C, L, X, V, I*,

In Græcorum quidem Alphabeto α, quæ est prima illorum litera, significat unitatem: β significat binarium: γ ternarium; δ quatenarium: ε quinarium: signum deinde ς, quod interponitur in medio numerationis inter ε & ζ, senarium: ζ septenarium: η numerum octavum: θ nonum: litera iota (ι) decimum: exin κ vigesimum: λ tricesimum: μ quadragesimum: ν quinquagesimum: ξ sexagesimum: ο septuagesimum: π octogesimum: ϟ vel ς inter π & ρ, nonagesimum: ρ centesimum: tùm deinde σ ducentesimum: τ trecentesimum: υ quadringentesimum: & sic deinceps.

3. *Computetur* ergo numerus, exhortante Apocalypsi: qui si manifestè deprehendatur esse numerus hominis à quo Bestia habeat appellationem, & numerus sit 666. hoc numero invento is *qui* fidem *habet* Apocalypsi & *intellectum*, ne dubitet agnoscere Bestiam.

Ter senarii. Nec vacat, quòd Numerus sit Senarius, qui est figura hujus tantummodò temporis & corruptionis: infaustus, peccato deformatus protoplastorum, & ater, hujus mundi cujus principatum sibi violenter arripuit Diabolus: sicut è contrario nomen Ἰησοῦς apud eosdem Græcos numerum habet 888. qui est Symbolum æternitatis & salutis perpetuæ, pro hac enim obtinenda inscribuntur psalmi quorum titulus est pro octava, hoc est pro æternitate Beata & immortalitate. Juxta expositionem S. Augustini in psal. 11. *pro octava: pro æterno sæculo*, inquit, *quod post hoc tempus, quod septem diebus volvitur, dabitur Sanctis.* At JESUS est ter octonarii.

Jam si habeamus intellectum, ex eo quod prædictum est in Apocalypsi, & ex eo quod ob oculos totius mundi cernitur adimpleri, computemus numerum. debet enim esse NUMERUS BESTIÆ, id est, ut demonstravimus dudum ex Scriptura, infidelis Imperii: debet esse NUMERUS HOMINIS, qui sederit primus in eo Imperio: & debet Græcis literis nec minus nec plus inesse *numeri* quàm 666.

## §. III.

### *De illis verbis: Numerus hominis est: 666.*

Numerus est Mahometani Imperii: 1. HIs positis manifestum est sapienti; quòd Bestia prima, Imperium Mahometanum, primò sit Imperium infidele, atque adeò Bestia: secundò quòd inchoatum ab homine, inter Imperatores ejus gentis primo invasore Orientalis Imperii, cujus nomen græcè Μαομέτις: sic enim Historici Græci nobis hoc nomen reliquêre scriptum (& est apud Græcos Grammaticos formæ seu declinationis ejusdem cujus est nomen proprium viri Πάρις Πάριδος:) tertiò æquè autem manifestum, quòd in Græca lin-

lingua nomen Μαομέτις constituat numerum *666.*

Nam numerus μ est 40. α est unitas: ο est 70. μ iterum 40. ε numerus est quinarius: τ est 300. jota est 10. signa est 200. quod etsi in fine vocabulorum apud Græcos scribatur suo modo, nihil aliud tamen est quàm Sigma; ut novit quisquis vel modicè tinctus est illâ linguâ, & in numero Ιησοῦς supra evidens est.

Jam additio arithmetica horum numerorum, pueris nota est: sicut & numeri ipsi noti sunt pueris qui græcè discunt:

| | |
|---|---|
| M | 40 |
| A | 1 |
| O | 70 |
| M | 40 |
| E | 5 |
| T | 300 |
| I | 10 |
| Σ | 200 |

Summa numeri: omnino *666.* græcè χξς'.

Cui succedet Antichristus.

Hæc est prima Bestia. Transferamus huc verba S. Irenæi lib. 5. cap. 30. *Hunc autem numerum nominis ostendit, ut caveamus venientem scientes quis est.* Est enim Antichristus is qui succedet huic Bestiæ priori: hanc consecratione & colore Imaginis superinducto faciet adorari: huic additâ infidelitate & superstitione multò majore ac speciosiore, rapiet Imperium ad se, & in illo elatus ostendet se gerétque ut Deus.

2. Si quis ex Patribus hunc ipsum numerum tribuere videtur Antichristo, meretur defendi. Primò, quia Patres antiqui non ita distinxerunt inter has Bestias, eò quòd viderint à longè & confusè inter se Bestiam utramque: sed expresse Apocalypsis distinguit: & nos tot decursu annorum propiùs videmus ac discernimus. Secundò. Et ita tamen est ut rectè possit attribui: tempore enim Antichristi erit illámet Bestia ipsiummet Imperium Antichristi unum atque idem, solo novo tectorio incrustatum, ut sæpè diximus.

Proinde & Antichristiani Imperii successuri.

3. In hoc computo procul absumus ab opinione quæ Mahometem illum antiquum, veteratorem, illum tantummodò Arabum Ducem & prædatorem quoad vixit, neque unquam Imperatorem Romanum, dixerit esse Antichristum: vel Sectam ejus Mahometanam: imò nec eam prout nunc est. Oportet enim ut maneat substantia quidem ejus Imperii quatenus est Infidele: sed non est illud Antichristianum, propriè sumendo hanc appellationem Antichristi, ut supra monuimus: non est, inquam; Antichristianum sine pseudo-Messia venturo & quoad infideli Regno fucus addatur ac lenocinium sanctæ Imaginis. Hoc nostris temporibus advenisse non dicimus, sed negamus.

Nihil nobis cũ Mahomete nõ Imperatore.

Placeat Lectori attento expendere quid afferamus. Ecce dicimus primò id quod oculis omnium cernitur hominum: dari Bestiam quæ sit Imperium Mahometanum. Dicimus secundò illam esse Bestiam priorem: & convenire illi numerum nominis hominis; primus enim Imperator nomen habuit

Fundamentũ est in Apocalypsi:

habuit Mahometis qui expugnavit Imperium Constantinopolitanum anno Christi 1453. & retinet in suis successoribus: id quod æquè est evidens & ob oculos. At tertiò distinguimus illam priorem Bestiam à posteriore, neque confundimus: sicut nec S. Joannes confudit sed distinxit, hanc dicimus, cum S. Joanne, secuturam, & fore ALIAM (v.11.) verùm ita, ut, cùm advenerit, potestatem faciat omnem ejusdem prioris Bestiæ; nam revera & coram DEO tàm erit ac plus infidele Regnum ejus, & tàm ac plus multò potens quàm illa Bestia prior: ac fore ut illi addat Imaginem, Simulationem Messiæ & Signorum ejus. hoc enim dicimus facturam esse posteriorem Bestiam, Antichristum cum suo Regno Judaico quod superveniet priori Bestiæ.

Denique si quis voluerit divinare, aliud præterea nomen ejusdem numeri futurum ipsi Antichristo aut Bestiæ secundæ (sicut de Antichristo suspicatus fuit S. Irenæus l. c. esse ei nomen posse TEITAN aut æquivalens quod græcis literis, eundem denotet numerum:) hoc non repugnat iis quæ à nobis sunt dicta. Veruntamen eò discrimine: quòd de Bestia priore jam factum sit; de posteriore expectandum, & videlicet in fine sæculorum. Neque hoc Apocalypsis determinat: nomen autem primæ determinasse operæ pretium potiùs fuit, ac tempori: primò quia, ut paulò ante indicavimus, dies Bestiæ primæ erunt longiores; at Bestiæ secundæ seu Imperii Antichristiani erunt perbreves. Secundò, quia ipse Antichristus est successurus in potestatem illius prioris, utpote cui Ipse addet Imaginem & divinitatem; cùm sit cætera idem Imperium utriusque, id est Infidele & à Dracone institutum. Tertiò, hic enim finis præcipuè spectatur: quia qui Bestiam primam viderint tenêre culmen Imperii, nam hîc est Sapientia, intelligent Præcursorem adesse Antichristi: & qui habet intellectum, cavebit atque in expectatione erit Antichristi, illud Imperium è vestigio haud multis pòst sæculis secuturi.

De Bestia priore.

# TRACTATUS XXII.

## IN CAPUT XIV.

Recensentur Sancti illustriores qui triumphabunt his temporibus. Et respondet hoc Caput primæ Parti Apocalypseos Capiti 7. de recensitione Signatorum: consentit utrobique numerus 144. millium, id est duodecies duodecim millium, numerus selectus.

VERBA

# VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 14. Versu 1. & seqq.) *Et vidi, & ecce Agnus stabat supra*
, *montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes*
, *nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.* (v. 2.) *Et*
, *audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tan-*
, *quam vocem tonitrui magni: & vocem, quam audivi, sicut citharœdo-*
, *rum citharizantium in citharis suis.* (v. 3.) *Et cantabant quasi canti-*
, *cum novum, ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores, & ne-*
, *mo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor mil-*
, *lia, qui empti sunt de terra.* (v. 4.) *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt*
, *coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocunque ie-*
, *rit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno:* (v. 5.) *Et in*
, *ore eorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt ante*
, *thronum Dei.* (v. 6.) *Et vidi alterum Angelum volantem per medium*
, *cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus su-*
, *per terram, & super omnem gentem, & tribum & linguam & populum.*
, (v. 7.) *Dicens magna voce: timete Dominum, & date illi honorem,*
, *quia venit hora Iudicii ejus: & adorate eum, qui fecit cœlum & ter-*
, *ram, mare, & fontes aquarum.* (v 8.) *Et alius Angelus secutus est di-*
, *cens. Cecidit, cecidit Babylon illa magna: quæ à vino iræ fornicationis*
, *suæ potavit omnes gentes.* (v. 9.) *Et tertius Angelus secutus est illos, di-*
, *cens Voce magna: Si quis adoraverit bestiam & imaginem ejus & ac-*
, *ceperit characterem in fronte sua aut in manu sua.* (v. 10.) *Et hic bibet*
, *de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabi-*
, *tur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante con-*
, *spectum agni.* (v. 11.) *Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæ-*
, *cula sæculorum: Nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt be-*
, *stiam & imaginem ejus, & si quis acceperit characterem nominis ejus.*
, (v. 12.) *Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, &*
, *fidem Iesu.* (v. 13.) *Et audivi vocem de cœlo, dicentem mihi: Scribe:*
, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit spiritus, ut*
, *requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.* (v. 14.)
, *Et vidi, & ecce nubem candidam: & super nubem sedentem, similem*
, *filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua*

*falcem*

„ *falcem acutam. (v.15.) Et alius Angelus exivit de templo, clamans vo-*
„ *ce magna ad sedentem super nubem: Mitte falcem tuam, & mete, quia*
„ *venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ. (v.16.) Et misit, qui*
„ *sedebat super nubem, falcem suam in terram, & demessa est terra. (v.17.)*
„ *Et alius Angelus exivit de templo, quod est in cœlo, habens & ipse*
„ *falcem acutam. (v.18.) Et alius Angelus exivit de altari, qui habebat*
„ *potestatem supra ignem: & clamavit voce magna ad eum qui habebat*
„ *falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & Vindemia botros*
„ *vineæ terræ: quoniam maturæ sunt uvæ ejus. (v.19.) Et misit Angelus*
„ *falcem suam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & mi-*
„ *sit in lacum iræ Dei magnum: (v.20.) & calcatus est lacus extra civi-*
„ *tatem, & exivit sanguis de lacu usque ad frænos equorum per stadia*
„ *mille sexcenta.*

## §. I.

### *De aureola Virginum.*

1. ABsolvet S. Joannes in hoc Capite 14. secundam hujus alterius Partis Apocalypticæ Visionem: cujus & præcedentis hic erit ordo & connexio. Primò de Muliere & Dracone, de commisso contra illam prælio, victricibus primitiis Martyrum, de Mulieris exaltatione post raptas easdem primitias: & de flumine quod ex ore Draconis egestum absorbuit terra. Secundò de eo quòd Draco innovaturus prælium cum reliquo semine Mulieris designaverit apud se Bestiam priorem, quæ de mari: & posteriorem aliam Bestiam quæ de terra sit ascensura: quibus duabus Bestiis S. Joannes totum perstrinxit conatum Draconis reliquum usque ad tempus Judicii extremi. In quo antequam finem imponat his duabus Visionibus, describitur Triumphus Sanctorum post persecutionem: quorum prima & illustris portio Virgines.

Connexio Visionum 2. præcedentiũ.

2. Neque enim deerit in omnibus his persecutionibus Ecclesiæ numerus Virginum inprimis. Hic est Chorus eorum quibuscum *stat* AGNUS omnium conjunctissimis SUPRA MONTEM SION, in Beatitudine: quorum IN FRONTIBUS NOMEN EJUS ET PATRIS EJUS. VOX eorum DE COELO TANQUAM AQUARUM MULTARUM, id est ex populis multis selectorum: & vox TANQUAM TONITRUI MAGNI perstringentis nubem ignitam, fomitem concupiscentiæ carnalis: & concentus SICUT CITHAROEDORUM, quorum *cithara* tota compages corporis illibati

Triumphus Virginum.

edit sonoram melodiam: & simul *cantant* QUASI CANTICUM NOVUM ore virgineo: ANTE SEDEM, id est coram DEO; ET ANTE 4. ANIMALIA, id est juxta consilium Evangelicum; & ante SENIORES, tanquàm pars illustrissima status Ecclesiastici. Dicitur *Novum*: tùm quia non ex usu veteris Legis, sed novæ: tùm quia novum ipsum & singulare quod NEMO poterit discere aut DICERE *inquinatus cum muliere*.

Numerabiliũ.

3. Horum numerus est 144. MILLIA: numerabiles enim: Matth. 19. v.11. *non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*. HI (v. 4.) SEQUUNTUR AGNUM in vestigiis ejus omnibus QUOCUNQUE præ-IERIT, qui pascitur inter lilia.

Sequentium Agnum, &c.

*Quid est*, ait in hunc locum S. Augustinus (lib. de sancta Virginitate, cap. 27.) *eum sequi nisi imitari? multa in illo ad imitandum omnibus proponuntur: Virginitas autem carnis non omnibus; non enim habent quid faciant ut virgines sint, in quibus jam factum est ut virgines non sint!* (& cap.28. pergit) *sequantur itaque Agnum cæteri fideles qui virginitatem corporis amiserunt: non quocunque ille ierit, sed quousque ipsi potuerint: possunt autem ubique, præter cùm in decôre virginitatis incedit*. HI, ait Apocalypsis, singulariter EMPTI SUNT pretio magno de terra & de contagio terreno, ut essent æquales Angelis, Luc. 20. v.36. & Matth. 22. v.30. eò quòd glorificaverint DEUM in corporibus suis sicut IN CITHARIS; quæ illum retinent cœlestem sonum in æternitate & recreant cæteros Beatos.

Triumphus Doctorum.

Maximè si non solùm Virgines carne, verùm etiam mente semper quæ nullo doli ambitu (ut S. Ambrosius loquitur ad Virgines) sincerum adulterârit affectum, nullo *mendacio* vel aliâ MACULA noxæ mortalis: &, ut S. Aug. l. c. *illibatæ virginitatis in corpore, inviolatæ veritatis in corde*.

Compellemus non sine suspirio Augustiniano, & gratulemur sequentibus Agnum quocunque ierit. *quò ire putamus* (hæc est apostrophe S. Augustini) *hunc Agnum, quò nemo eum sequi vel audeat vel valeat nisi vos? quò putamus eum ire? in quos saltus aut prata?* (respondet:) *ubi, credo, sunt grandia gaudia, nec gaudia qualia in ipso Regno* DEI *cæteris non virginibus erunt, sed à cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Nam sunt aliis alia, sed* NULLIS TALIA! Hæc Augustinus. Quæ insania prostituisse ita temerè Virginitatem: lenticulâ vendidisse jus primogenituræ: primitias deliciarum cum Agno!

## §. II.

### *De aureola Doctorum: & Martyrum.*

HAbebit inter Sanctos, ut vidimus Choros Virginum præeminentiam suam, de qua Christus Matth. 19. v.12. *qui potest capere, capiat*.

1. Ha-

Triumphus Doctorum.

1. Habeant deinde suam etiam præcellentiam Sancti Doctores & Præpositi, de quorum fulgore Daniel c. 12. v. 3. Horum est dignitas fuisse officio Angelos, id est nuntios Altissimi. Ergo pro his repræsentandis veniant in Apocalypsi & sibi invicem succedant tres Angeli: propterea quòd tria sint munera Præsulum & Doctorum Ecclesiasticorum. primum est annuntiare EVANGELIUM salutis ÆTERNUM: pervolando PER MEDIUM Ecclesiæ, ut fiat in omnem TERRAM ET POPULUM sonus eorum: atque exhortari MAGNA VOCE, cujus hæc sit materia; (v. 7.) *timor*, *honor*, cultus seu *adoratio* Creatoris qui vicinus immineat Judex. Alterum eorum officium & priori connexum est, dehortari ab illecebra *Babylonis* & poculo quod propinat omnibus gentibus, jam jam casuræ. Tertium, & his postremis temporibus apprimè necessarium, animare ad constantiam & ad generosum potiùs martyrium quàm ut admittant cultum *Bestiæ* & *Imaginis*, aut CHARACTEREM; sub interminatione *calicis* IRÆ DEI æternæ ac vindictæ per *Angelos* sanctos & *Agnum* sumendæ, in cruciatu ignis & sulphuris ac tormentorum *fumantium* sine fine sine *requie*, sine intermissione. Hæc omnia Apocalypsis.

Triumphus Martyrum.

2. HIC, inquit, PATIENTIA SANCTORUM EST, & *custodia mandatorum* ac *fides* JESU: quæ est tertia prærogativa Martyrum: de quibus *Vox* DE COELO, digna cedro: SCRIBE, inquit; BEATI MORTUI QUI IN DOMINO, & verò etiam pro Domino, MORIUNTUR: his JAM loquitur Consolator SPIRITUS de *requie* A LABORIBUS, & fructu *operum*; quorum sicut illud fuit maximum (Joan. 15. v. 13.) posuisse animam pro DEO, ita semel impensum *sequitur* gloria operis æterna.

Cæterorúmque beatorũ.

3. Hactenus repræsentatio Sanctorum: & inter illos eorum qui illustriores cum suis aureolis, Virginum, Doctorum, Martyrum. quò etiam reducitur Confessorum chorus: quia & hi in patientia sua possederunt animas suas & in Domino defuncti sunt per beatam mortem. qui est exitus utriusque Visionis & persecutionis continuatæ per Draconem & utramque Bestiam: auxisse & illustrâsse numerum Sanctorum in Cœlo.

## §. III.

### *De messe, & de vindemia terræ.*

1. ESse autem hunc finem præcedentium Visionum patet ex eo quòd productæ sint usque ad Judicium novissimum; de quo sunt cætera Capitis: Primò *vidisse* (v. 14.) SIMILEM FILIO HOMINIS, Regem spectabilem

Filius hominis

cũm falce messoria.

bilem *coronâ aureâ* & SUPER NUBEM; cum potestate quasi FALCE *messoriâ* IN MANU SUA, quam *acuerit* ad demetendam terram. Cui potestati testimonium præbet anteambulo Angelus: & promulgat *venisse horam* præstitutam, & *aruisse messem*, id est, esse tempus summæ maturitatis; Matth. 13. v. 39. *messis verò consummatio sæculi est.* Secundò, vidisse (v. 17.) *alium Angelum* qui ET IPSE habebat FALCEM ACUTAM *vindemiatoriam*: & ad proclamationem similiter alterius Angeli, cui *potestas* erat commissa SUPRA IGNEM in quem mittendi sint reprobi (juxta illud Domini de Angelis, Matth. 13. v. 49. *mittent eos in caminum ignis*;) jubetur vindemiare BOTROS VINEÆ TERRÆ, Isa. 5. v. 7. domus Israël: QUONIAM MATURÆ SUNT UVÆ EJUS.

Angelus cũ falce vindemiatoria.

Messis enim est electorum:

2. Et Messis quidem est salvandorum: quam magis decet attribui Filio hominis ipsimet ad quem pertineat: Vindemia verò reproborum, quæ fiat per Angelos administros, est vindictæ: Matth. l. c. *exibunt Angeli & separabunt malos*, quod dictum est in parabola de semine: in qua illud ipsum discrimen inter Christum & Angelos observat S. Chrysostomus hom. 48. in Matth. *Ad benefaciendum quidem*, ait, *pronus est: à desiderio autem puniendi alienus. nam quando seminat, per seipsum id peragit: supplicia verò per alios infert: mittet enim, inquit, Angelos suos.* Hæc Chrysost. quod maximè convenit huic loco: Nam Messis accipitur ferè in bonam partem: ut Joan. 4. v. 35. ubi *regiones* dicuntur *albæ jam ad messem*: & Matth. 3. v. 12. ac Luc. 3. v. 17. *congregabit triticum in horreum suum.* E contrario Vindemia plerumque sumitur in malam partem à Scriptura: ut psal. 99. v. 13. *& vindemiant eam omnes* (malùm) *qui prætergrediuntur viam.* & Thren. 1. v. 12. *Vindemiavit me ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui.* De utroque etiam Joël; qui æquè distinguit cap. 3. postquàm enim dixisset de Judicio extremo v. 12. *Consurgant & ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu*; discernit messem à vindemia, v. 13. nam de messe, *mittite*, inquit, *falces quoniam maturuit messis*: de vindemia autem; *venite & descendite, plenum est torcular* (sanguine, qui sanguinem tetigit) *exuberant torcularia, quia*, inquit, *multiplicata est malitia eorum.*

Vindemia est malorũ.

3. Quòd autem omnes hi Angeli exire dicantur DE TEMPLO, hîc v. 15. & DE TEMPLO QUOD EST IN COELO, utique in Ecclesia sancta, v. 17. & exire DE ALTARI v. 18. non caret admonitione 1. Pet. 4. v. 17. fore *ut incipiat Judicium à domo* DEI, & ab intimis domus qui sunt Ecclesiastici: & Ezech. 9. v. 6. *à Sanctuario meo incipite.* Væ malis: quia, v. 19. hujus Capitis Apocalyptici, VINDEMIAVIT VINEAM TERRÆ; Ecclesiam quæ illis credita est colenda: ET MISIT botros turgidos sanguine uvæ, viros sanguinum, IN LACUM IRÆ DEI MAGNUM, quod est *torcular vini furoris iræ* DEI, ut dicitur Apoc. 19. v. 15. ET CAL-

De templo & de Altari.

CATUS

CATUS EST LACUS: pressi sunt botri & proculcati, detectâ malitiâ eorum & effusâ EXTRA CIVITATEM sanctam inter reprobos.

Sanguis usque ad frænos. Ibi EXIVIT SANGUIS, qui est reatus scelerum expressus in Judicio, exuberatione copiosissimâ: etenim altitudine cumulatâ, qualis est USQUE AD FRÆNOS EQUORUM calcantis Christi & Equitum victoriosorum alborum; ut habetur Apoc. l. c. v. 14. Amplitudine verò & spatio tanto quantum est PER STADIA MILLE SEXCENTA: græcæ utique mensuræ, quorum stadiorum decem constituunt milliare Italicum

Per stadia 1600. quod sunt mille passus. fuit autem, teste S. Hieronymo ad Dardanum in ep. 129. terræ promissæ tota longitudo, à Dan usque Bersabee, centum sexaginta milliarium, id est stadiorum mille sexcentorum: quo significatur per totam longitudinem Ecclesiæ non defuturum sanguinem reprobum qui exprimatur & extra eam conculcetur; irâ Dei, & abominatione Sanctorum civium, sempiternâ.

Quid si (ut quidam commentantur) etiam lacus iræ Dei magnus, id est *Infernus* (Isai. 14. v. 15.) describatur esse stadiorum mille sexcentorum longitudinis, totidem verò & latitudinis, ac totidem profunditatis? quæ est capacitas secundùm singulas ex his tribus dimensionibus, centum sexaginta milliarium Italicorum, quorum unumquodque est mille passuum. Calcari autem rectè dicitur in Torculari, propter pressuram loci: sicut contrà locus Beatorum, de quo cap. 21. est sine comparatione amplior; quamvis lacus damnatorum superet multitudine.

# TRACTATUS XXIII.

## IN CAPUT XV.

### Incipit Visio, 7. Angelorum cum 7. plagis.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 15. Vers. 1. & seqq.) *Et vidi aliud signum in cælo magnum*
*, & mirabile, Angelos septem, habentes plagas septem novissimas: Quo-*
*, niam in illis consummata est ira Dei.* (v. 2.) *Et vidi tanquam mare vi-*
*, treum mistum igne, & eos, qui vicerunt bestiam, & imaginem ejus, &*
*, numerum nominis ejus, stantes supra mare vitreum, habentes Cytha-*
*, ras Dei:* (v. 3.) *& cantantes canticum Moysi servi Dei, & canticum*
*, agni, dicentes: Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus Om-*

„ *nipotens: justæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum.* (v. 4.) *Quis non*
„ *timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus pius es;*
„ *quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo, quo-*
„ *niam judicia tua manifesta sunt.* (v.5.) *Et post hæc vidi, & ecce aper-*
„ *tum est templum tabernaculi testimonii in cælo.* (v.6.) *Et exierunt*
„ *septem Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo &*
„ *candido, & præcincti circa pectora Zonis aureis.* (v.7.) *Et unum de*
„ *quatuor animalibus, dedit septem Angelis septem phialas aureas, plenas*
„ *iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum.* (v. 8.) *& impletum est*
„ *templum fumo à Majestate Dei, & de virtute ejus: & nemo poterat*
„ *introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem*
„ *Angelorum.*

## §. I.

### *De Signo 7. plagarum in genere.*

1. VIDI, ait, ALIUD SIGNUM IN COELO MAGNUM ET MIRABILE. Quibus verbis satis ostendit esse hanc aliam materiam videndi: quam appellavimus Visionem tertiam: in qua declaratur quis sit futurus novissimus status rerum Ecclesiasticarum circa tempus Antichristi.

Vidit ANGELOS SEPTEM, HABENTES PLAGAS SEPTEM NOVISSIMAS: & addit: QUONIAM IN ILLIS CONSUMMATA EST IRA DEI. Patet esse bonos Angelos: tùm quia *vestiti lino mundo* (v.6.) tùm ex eo quòd *unus* eorum cap. 17. abstulit Joannem in spiritu, & ostendit damnationem Babylonis.

Mirabile! 2. Dicitur primò Visu *mirabile*: nempè Angelos *in Cœlo*, eos qui vident faciem Patris qui in Cœlis est, 7. illos Præsides & Tutores Ecclesiarum (iidem enim qui cap. 8. v. 2. in conspectu DEI cum Tubis: immò & qui inde à cap. 1. v. 4. septem Spiritus in conspectu Throni) præfici debere plagis & eos effundere super suas Ecclesias! quod significat affectum Præsulum & Episcoporum sanctorum in terris, plenum Zelo salutis quo tabescunt in malitia populi obdurati & incorrigibilis; simul & ultione divini honoris læsi, quamobrem agnoscunt justè deseri eum à DEO. Simile quid in Angelis mirabile, de amaritudine & Zelo eorum prævidit Isaias cap. 33. v. 7. *Angeli pacis amarè flebunt.* Signum Angelorum septem.

Additur proinde; fuisse *signum magnum* seu indicium publicæ calamitatis: etenim ideò per *septem Angelos*; quia communis omnibus Ecclesiis

tùm Asiæ, tùm universalis per illas repræsentatæ.

Intentantium plagas:

3. Dicuntur secundò *Plagæ*: quia sunt verbera & vulnera Ecclesiarum coram DEO & Angelis Beatis. Undè datur intelligi non has esse præcipuè plagas quæ sunt corporum, sed quæ animarum: seductionem videlicet atque apostasiam plurimorum: adeò, ut quæ olim persecutio in primis Ecclesiæ sæculis illata corporibus & parturitio erat plerumque Martyrum, comparatè ad hæc tempora non fuerint appellandæ plagæ Ecclesiasticæ, sed victoriæ & palmæ. Quanquam hæ etiam plagæ futuræ sunt in hoc similes illis Ægyptiacis; ad quas hîc respicitur (de quibus nomen plagarum, Exod. 9. v. 14. *mittam omnes plagas meas:*) quòd non lædatur iis sed erudiatur & confirmetur numerus animarum à DEO electarum.

Ecclesiasticas:

Novissimas.

Dicuntur tertiò *novissimæ*: quia circa ultimum tempus Ecclesiæ, Antichristianum. de quo additur: fore ut *in* & cum *illis consummata* sit *ira* DEI: propter proximam consummationem mundi & iræ in Judicio.

## §. II.

### *De stantibus super mare vitreum.*

1. DUm hæc ad plagas fit dispositio juxta divinam providentiam: fit nihilominus è Cœlo præparatio etiam constantiæ pro electis; ut, sicut sunt permissæ ad vindictam impiorum, sint ad salutem proborum. Simulac igitur mentio facta est de plagis, prævidet statim S. Joannes non defuturos qui pertranseant illæsi per has plagas.

Mare vitreum mistum igne.

VIDI, ait, TANQUAM MARE VITREUM: quod in Cap. 4. v. 6. esse diximus Congregationem aquarum, id est populorum, Ecclesiam in terris: vidi quòd MISTUM esset IGNE tentationis qua uritur propter BESTIAM ET IMAGINEM EJUS ET NUMERUM NOMINIS EJUS: ET EOS QUI VICERUNT illam tentationem Bestiæ præ-vidi, ait, habitu in Cœlo Beatorum, qui est hujusmodi:

Victores stantes super illud.

2. *Stabant* SUPER MARE VITREUM: id est ostendebant constantiam suam super omne quod fuit fragile in Ecclesia hujus sæculi: cum *citharis*: & cum *cantu* super operibus & judiciis DEI: eratque harmonia una & eadem utriusque *Cantici*; ejus quod in vetere Testamento MOYSES DEI SERVUS cum Israëlitis trans mare cecinit in figura; & ejus quod in Novo canit AGNUS cum suis qui evadunt trans mare rubrum.

Canticũ Moysis & Agni:

Synopsis cantici.

3. Utrumque est Epinicion, hoc est, Canticum victoriæ: cujus hæc est epitome. Primò canunt MAGNA ET MIRABILIA esse OPERA DEI quæ ipsis fecit pertranseuntibus: & est materia gratiarum actionis. Secundò

*justa* esse JUDICIA & *veras* esse *vias*, sicut præminatus est; per quas laneo veniens pede conterit impios: & est materia venerationis debita *Regi* SÆCULORUM. Unde illud interciniunt intercalare sancti timoris, ex Jeremia cap. 10. v. 7. QUIS NON TIMEBIT TE, *ô Rex gentium*! Tertiò optant *magnificari* NOMEN ejus utroque titulo: tùm QUIA PIUS sit seu clemens, & quidem SOLUS; eo sensu quo Dominus Luc. 18. v. 19. *nemo bonus nisi solus* DEUS; & Apostolus Rom. 16. v. 27. *soli*, ait, *sapienti* DEO *honor*; & 1. Tim. 6. v. 15. *solus potens*; & v. 16. *qui solus habet immortalitatem*: tùm quia justus in *judiciis*; prout *manifestum* erit (ita psallunt) *omnibus gentibus* mox *venturis* & *adoraturis* IN CONSPECTU Judicis.

## §. III.

### *De Templo Tabernaculi.*

1. POST HÆC, id est, post prævisionem & prædestinationem, quæ ante omnia DEO cordi est, eorum qui super mare vitreum stabant triumphaturi ut victores: VIDI, ait (v. 5.) *aperiri* mihi TEMPLUM TABERNACULI TESTIMONII IN COELO. Sensus est: Visus sum introspicere in Cœlo adaperto, quis cultus divinus exhiberetur in interioribus Ecclesiæ; in ea *Templi* parte sacratiore quæ dicitur Sancta, & huic contigua Sancta Sanctorum, inaccessa non initiatis. Ibi perspexi ego Joannes quid gereretur in illo sancto adyto: statum, meritum ac mores Ecclesiasticorum; quibus credita est custodia *Tabernaculi Testimonii*, id est Tabularum Legis Evangelicæ & depositum Sacramentorum.

Taber-naculum apertũ.

Inde cernuntur sancti SEPTEM ANGELI *exire*: & repræsentare quid de illo Sacrario exoriatur. Hi Præsides Angeli, pro eo quòd VESTITI LINO MUNDO ET CANDIDO, ET PRÆCINCTI ZONIS AUREIS protestentur se venisse ad quærendum byssinum candidum quod sunt justificationes sanctorum (Apoc. 19. v. 8.) quibus cuperent fideles in Ecclesiis suis indutos eosdémque præcinctos CIRCA PECTORA Zonis *aureæ* charitatis: inveniunt pro justificationibus iniquitatem, & pro Zona divisionem, hæreses, & schismata! maximè in Asiaticis: adeò ut videantur minari inde (v. 6.) ulteriorem *exitum*, & velle dicere suum illud; *migremus hinc*: de quo S. Hieronymus in Ezech. cap. 47. citat Josephum lib. 2. de bello Judaico cap. 12. *quòd, postquàm crucifixus fuit Dominus, audita sit vox, in adytis Templi, virtutum Cœlestium, Transeamus ex his sedibus.*

Repræsentatio 7. Angelorum:

Quid quòd provocatores iræ & occasio plagarum ipsi plerique sint Sacerdotes ejus temporis! hoc enim etiam

etiam repræſentatur per hoc quod Angeli habentes 7. plagas cernantur prodire ex intimis Templi, & quòd veſtiti lino ſuo mundo quæ veſtis eſt ſacerdotum, Exod. 29. v. 8. Magnum Signum, mirabile (ut dixit v. 1.) & funeſtum: quòd hi auctores fuerint culpæ qui conſecrati erant adytis Tabernaculi ad miniſterium Eccleſiaſticum: & quòd hi fuerint incentores iræ divinæ qui debuerant fieri deprecatores & *in tempore iracundiæ reconciliatio*, Eccli. 44. v. 17!

Et annuntiatio plagarum;

Æquè mirum & triſte: quòd Evangelium (UNUM DE QUATUOR ANIMALIBUS; vice totius Evangelicæ quadrigæ,) eatenus dictum bonus nuntius, converſum ſit in nuntium malum: etenim ipſum eſt quod phialas aureas, illas quæ aſſueverunt odoramentis in Tabernaculo & cultu DEI dedit Angelis plenas non jam incenſi divini ſed IRACUNDIÆ DEI: hanc enim etiam Evangelia continent; & quidem iram quam DEUS *inferet* (verbum eſt Apoſtoli, Rom. 3. v. 5.) quoad *vivet* IN SÆCULA SÆCULORUM.

ex Evangelio.

Poteſt dici unum illud Animalium, quod dat phialas, eſſe illorum primum, quod eſt ſymbolum Evangelii S. Matthæi: hoc enim præ cæteris evangelizat mala ultima (cap. 24.) mentione etiam factâ prophetiæ Danielis, & tribulationem magnam deſcribit: poſt quam ſtatim (v. 29.) conſummatio mundi & Judicium extremum.

In Templo fumus:

3. Irato DEO *impletur* TEMPLUM FUMO, A MAJESTATE DEI (græcè, à gloria) læsâ, ET DE VIRTUTE (græcè potentiâ) EJUS laceſſitâ. ſicut è contrario à placato DEO & in ſignum propitiationis, Exod. 40. v. 32. & 33. *operuit nubes tabernaculum teſtimonii; nec poterat*, præ gloria Domini, *Moyſes ingredi tectum fœderis; nube operiente omnia, & Majeſtate Domini coruſcante quia cuncta nubes operuerat.* & 3. Reg. 8. v. 10. 11. 12. *nebula implevit domum Domini: & non poterant Sacerdotes ſtare & miniſtrare propter nebulam; impleverat enim gloria Domini domum Domini: tunc ait Salomon, Dominus dixit ut habitaret in nebula.* Valdè igitur diverſa ſunt impletum fuiſſe Templum nube; quæ in bonam partem accipitur, conſequenter & nebula & *caligo* (2. Par. 6. v. 1.) quæ idem illud ſignificant quod nubes: aliud verò impletum eſſe fumo, qui in malam partem. Similiter aliud eſt quòd ad modicum tempus *non* poſſit *intrari* propter ſplendorem: aliud quòd inexorabili ſtatuto, DONEC CONSUMMARENTUR SEPTEM PLAGÆ.

uſque ad conſummationẽ plagarum.

Cæterùm ſeu à nube illîc, ſeu hîc à fumo, utrobique ſe prodit *Majeſtas* & gloria DEI, etiam in plagis & irâ.

* * *
* *

# TRACTATUS XXIV.

## IN CAPUT XVI.

Continuatio est Visionis de 7. plagis: nam in Capite præcedente mentio earum fit generatim; hîc in specie enumerantur.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 16. Vers. 1. & seqq.) *Et audivi vocem magnam de templo, „dicentem septem Angelis: Ite & effundite septem phialas iræ Dei in terram: (v. 2.) Et abiit primus, & effudit phialam suam in terram: & factum est vulnus sævum & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ; & in eos, qui adoraverunt imaginem ejus. (v. 3.) Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui: & omnis anima vivens mortua est in mari. (v. 4.) Et tertius effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarum, & factus est sanguis. (v. 5.) Et audivi Angelum quartum dicentem: justus es Domine, qui es, & qui eras sanctus, qui hæc judicasti. (v. 6.) Quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt. (v. 7.) Et audivi alterum ab altari dicentem: Etiam Domine Deus Omnipotens, vera & justa judicia tua. (v. 8.) Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem & datum est illi æstu affligere homines & igni: (v. 9.) Et æstuaverunt homines æstu magno, & blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam ut darent illi gloriam. (v. 10.) Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ, & factum est regnum ejus tenebrosum, & commanducaverunt linguas suas præ dolore: (v. 11.) Et blasphemaverunt Deum cœli, præ doloribus & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. (v. 12.) Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten: Et siccavit aquam ejus, ut præpararetur Via Regibus ab ortu solis. (v. 13.) Et vidi de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum.*

" *narum.* (v.14.) *Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, &*
" *procedunt ad Reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem ma-*
" *gnum Omnipotentis Dei.* (v.15.) *Ecce venio sicut fur. Beatus qui vi-*
" *gilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpi-*
" *tudinem ejus.* (v.16.) *Et congregabit illos in locum, qui vocatur He-*
" *braice Armageddon.* (v.17.) *Et septimus Angelus effudit phialam suam*
" *in aërem & exivit vox magna de templo à throno, dicens: Factum est.*
" (v.18.) *Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus*
" *factus est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super*
" *terram, talis terræ-motus, sic magnus.* (v. 19.) *Et facta est Civitas*
" *magna in tres partes: & Civitates Gentium ceciderunt, & Babylon*
" *magna venit in memoriam ante Deum dare illi calicem vini indigna-*
" *tionis iræ ejus.* (v.20.) *Et omnis insula fugit, & montes non sunt in-*
" *venti.* (v.21.) *Et grando magna sicut talentum descendit de cælo in*
" *homines: & blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandi-*
" *nis: quoniam magna facta est vehementer.*

## §. I.

### *De voce audita è Templo.*

1. AD VOCEM MAGNAM DE TEMPLO editam, *effunduntur phialæ* suo ordine à SEPTEM ANGELIS. Etenim sicut in prima Parte Apocalypseos iidem 7. Præsides Angeli accipiebant Tubas quibus præmonerent ad cautelam: ita in hac Secunda Parte, postquàm malitia jam obstinata fuit ac remedium desperatum, accipiunt quas effundant Plagas ad vindictam. Súntque ex intentione quidem Angelorum Præsidum sicut illîc Tubæ, ita hîc Plagæ, salutares & in correctionem electorum.

Intentio 7. Angelorum.

Sic enim se res habet: Æquivalet in plerisque hæc Visio hujus Secundæ Partis illi Primæ: & altera alteram elucidat: quod sine dubio vidit S. Augustinus quem in procemio secundæ Partis Apocalypseos citavimus, dum ait, in Apocalypsi *eadem repeti*, nec esse *alia* quæ dicuntur, sed *aliter*. Et in præsente materia evidens erit expendenti diligenter Lectori, atque inter se conferenti Tubas cum Plagis. Hoc discrimine (præterquàm quòd perpauca quædam adjuncta variantur;) quòd illa quæ ibi fuerunt nuntiata de inchoatione & parturitione mali, hîc dicantur de statu radicatiore eorundem aut simillimorum malorum in futuris no-

quæ nu-

per Tubæ: jam plagæ:

vissimis temporibus Antichristianis: ita ut quod ibi cœptum fuit geri, cernatur hîc inveteratum aut consummatum. quod discrimen (& relatio seu respectus usque ad Antichristum) est notatu dignum & proprium hujus secundæ Partis.

Effusæ: 2. Hinc est quòd in prima Parte Apocalypseos vocentur Tubæ, cùm hæc mala inciperent: ad excitandos vigiles Ecclesiæ. in hac verò Secunda Parte Apocalypseos jam vocantur Plagæ; quia invaluerunt: & quidem dicuntur *effundi*; quia usque ad novissimum malorum ac temporum. Hinc etiam est quòd in narratione de Tubis non fiat mentio nominis Bestiæ: at hoc Capite 16. de Plagis, statim v.2. de prima plaga dicitur: FACTUM EST VULNUS SÆVUM ET PESSIMUM IN HOMINES QUI HABEBANT CHARACTEREM BESTIÆ, ET IN EOS QUI ADORAVERUNT IMAGINEM EJUS. & v. 10. QUINTUS ANGELUS EFFUDIT PHIALAM SUAM SUPER SEDEM BESTIÆ. Ex quibus apparet, quòd ea quæ in hac secunda Parte Apocalypseos videntur, spectent ad tempora usque novissimæ persecutionis Antichristianæ, quò diriguntur. Durabit enim schisma & Sedes prioris Bestiæ, Imperium infidele Orientale usque ad Antichristum: & erit dispositio opportuna defectioni ad eundem. Quamobrem hoc Cap. 16. v.2. & 10. citato, perinde est ac si dicatur: perseverabunt Schismatici usque in finem, & multi Schismaticorum deficient ad Bestiam ultimis temporibus atque ad venientem Antichristum seu pseudo-Judaismum, desertâ penitus fide Christiana: quod est sævum vulnus. Atque ob eandem causam non est mentio Stellæ in phiala tertia; sicut facta est in Tuba tertia ubi canebatur initium Schismaticis, quod in phiala habetur pro diuturna plaga.

3. Nimirum hæc materia valdè fuit inculcanda & iterum prophetanda; non sine amaritudine ventris ructantis: prout S. Joannes est jussus proximè finem Tubæ sextæ & Diphtheræ, cap.10.v.10.& 11.

Ex phialis Templi. Utrobique autem indicatur cœpisse à Templo malum: dum & illîc dicitur Angelus implêsse thuribulum de igne *Altaris* & misisse in terram (cap. 8. v.5.) & hîc è *Templo* (v. 1.) egressa esse vox de phialis effundendis in terram. Illîc de *Thuribulo* quod ex instrumento placationis assumitur inter utensilia comburendi ac nocendi: hîc de *Phialis* quæ serviant ad effundendam iram à DEO, pro eo quod fuerint odoramentorum ad DEUM cap.5. v. 8.

* * *
* *

§. II.

# §. II.

## *De effusione sex primarum phialarum.*

Plagæ ultimorũ temporum.

1. HOc posito, Summa seu epitome Plagarum & hujusmodi: quæ prædicitur futura in temporibus istis ultimis.

Plaga 1. perseverantia mali quod prænuntiatum fuerat per Tubã primam.

Erunt primò reliquiæ Arianorum, & aliæ Hæreses ex eadem propagine: uti est hodieque Soncinianorum, & cæteræ cognatæ Arianis. Quod est VULNUS *in* eos HOMINES QUI HABEBANT CHARACTEREM BESTIÆ ET ADORAVERUNT IMAGINEM EJUS: id est, qui censi sunt inter æquè infideles, & pares Ethnicis Matth. 18. v. 17. Atque hoc maximè vulnus & prima plaga in populis est mediteraneis.

Plaga 2. longa continuatio mali de quo 2. Tuba.

Erunt secundò Nestoriani & Eutychiani, quibus conspersus est Oriens passim: & maximè in populis qui adiacent ad MARE, ubi Nestorius & Eutyches infecerunt oras maritimas tanquàm *sanguine* mortifero, qui *omni animæ* Christianæ inde se sustentanti & *viventi* causam præbuit *mortis*. nec non aliæ alibi mortiferæ doctrinæ, de quibus Apostolus 1. Cor. 11. v. 19. *oportet & hæreses esse*: quarum fax duæ istæ in Oriente, Arianismus & Nestorianismus.

Plaga 3. obduratio in malo de quo Tuba 3.

Erit tertiò, horrendum illud Schisma & diuturnum illorum populorum, quorum FLUMINA integra ET cumprimis ipsi auctores schismatis, olim limpidissimi FONTES versi fuerunt in *sanguinem*. De quibus *Angelus* AQUARUM, is est particularis custos istorum populorum exclamat: JUSTUS ES DOMINE, QUI ES ET QUI ERAS SANCTUS, QUI HÆC JUDICASTI: id est: Tu qui & præsens es atque intueris horum schisma, & eras atque intuebaris quando patres eorum illud cœperunt, non sine Conciliabulis sanguinolentis ac persecutione orthodoxorum, & cæde contra *prophetantium* seu docentium; & verò cum occisione myriadis animarum; cujus hi occisionis participes permanent: ecce Tu sanctus *& absque ulla iniquitate*, *justus & rectus*, Deut. 32. v. 4. & 5. *peccaverunt* tibi: qui merito suo EIS DEDISTI BIBERE de sanguinibus: & pro aqua doctrinæ salubris haurire de schismate quod fecerunt ipsi & patres ipsorum: DIGNI ENIM SUNT.

*Alter* huic consentiens Angelus AB ALTARI approbat JUDICIA DEI: quoniam, ut identidem exprobrat Apocalypsis, omnis hæc lerna Schismatis ac malorum sumpsit suam originem à Templo & ab ipso Altari: cujus ministri suam retinuerunt pertinaciam, & ab illis fluxerunt hæc mala in cæterum vulgus.

Plaga 4. inveteratio ma-

Erit quartò, quæ illud Schisma insecuta fuit defectio Ecclesiarum Asiaticarum à doctrina orthodoxa: *Sole* ve-

li de quo Tuba 4. titatis non iis, ut olim, benignè lucente: sed, quæ est intemperies hominum ipsorum, affligente *æstuantes* invidiâ, & urente eos excommunione cum qua perseverant in *blasphemiis* sui erroris.

Hactenus Plagæ 4. quæ respondent 4. Tubis Capitis 8. quæ fuerant de terra, de mari, de fontibus, & Sole.

Plaga 5. prolongatio mali de quo Tuba 5. Erit quinta Plaga SUPER SEDEM BESTIÆ: & REGNUM BESTIÆ TENEBROSUM: quæ plaga respondet Tubæ quintæ, de puteo abyssi & fumo ex quo Locustæ cum sua potestate cruciandi, suâ bellandi libidine, suo Rege & Regno: quod est primum Væ de tribus in Capite 9. factum est enim Imperium Constantinopolitanum ex Christiano Sedes Bestiæ: cui subditæ animæ quid aliud quàm COMMANDUCAVERUNT LINGUAS SUAS PRÆ DOLORE? illas linguas, quibus loquebantur orthodoxè, commordendo & expuendo in Cœlum: dum adhuc in VULNERIBUS & cruciatibus SUIS BLASPHEMAVERUNT DEUM COELI, in impœnitentia sua! v. 11. sedente interim assiduè Bestia & potiente Imperio suo.

Plaga 6. Antichristus de quo Tuba 6. Erit sexta plaga, cujus phiala effunditur in EUPHRATEN: & concurrit cum sexta Tuba Capitis noni, quod fuit Væ secundùm. Ibi ad Euphratem solvitur Draco cum tribus suis antesignanis Diabolis: quæ solutio significat suam iis majorem relinqui libertatem & licentiam nocendi. Ibi

Solutio Archidæmonũ per hos dæmones subornatio & institutio plenissima Pseudoprophetiæ ad omnem seductionem facti: cui os eloquens ut Draconi, & præparatio Imperii re ipsa ejusdem quod Bestiæ. Dicitur *exiccatio* Euphratis eò spectâsse, UT PRÆPARARETUR VIA REGIBUS & accursui ex partibus *Orientalibus*: ad operam suam locandam Antichristo, transituro ab Euphrate, magnâ cum famâ festinantis in Palæstinam & reducturi Judæos: quorum & suo nomine capturus sit possessionem habitationis avitæ ac sceptri: cum assertione debellationis hostium omnium ac triumphi quem acturus de Christianis. — Siccatio Euphratis: via Pseudoprophetæ.

Sic olim, ut est in historiis, Cyro & Dario Medo siccatus fuit idem Euphrates; ut præpararetur via illis & aditus ad Babylonem, cujus invasio contigit Dan. 5. v. 31.

2. Ad hanc propagandam famam mittunt DE ORE *Draco* & de ore simul suo *Bestia & Pseudopropheta* TRES SPIRITUS IMMUNDOS: loquaces quaquaversum IN MODUM RANARUM; coaxantium doctrinam & pollicitationem haustam ex cloaca Principis hujus mundi: ex qua persuadent & exaggerant Superbiam vitæ, quæ est coaxatio propria ejus spiritus qui ex ORE DRACONIS: voluptatem brutam qui est spiritus BESTIÆ: & opes ac regnum terrenum, quod est promissio PSEUDOPROPHETÆ. Sed hæc ita, ut ista eorum doctrina per se fœda aut vana vestiatur aliâ specie sanctiore, extoletur facundiâ plus quàm humanâ, & prodigiis protegatur. — Loquacitas immunda: Firmata prodigiis.

SUNT ENIM, inquit, SPIRITUS

TUS DÆMONIORUM FACIENTES SIGNA per suos satellites: Hi operâ & spiritu istorum trium dæmoniorum, cum hac eloquentia obstreperâ & his promissis simul & hac editione Signorum PROCEDUNT celeritate diabolicâ, missi circumquaq; AD REGES TOTIUS TERRÆ: quos adnitentur pertrahere in unam & eandem sententiam & fœdus cum Antichristo; ac, nî persuaserint, cogere minis & armis præparatis; ad persequendam undique Ecclesiam jussu Antichristi Monarchæ totius mundi.

Convocatio exercituũ:

Et horum quidem hæc erit omnium simul intentio: convocatio mutua & consensus ad oppugnandum DEUM Christianorum per universam terram: at ex intentione DEI, cujus providentia *attingit à fine* impiorum *ad finem* suum divinum *fortiter*, nihil hoc erit aliud quàm CONGREGARE ILLOS IN PRÆLIUM & ad exitum reproborum universale, qui erit interitus pertinacium, AD DIEM OMNIPOTENTIS MAGNUM: & ad LOCUM vindictæ divinæ.

In loco Armageddon.

Cui loco prophetat Apocalypsis dandam (ut mos est Scripturæ in assignandis ab eventu nominibus locorum) appellationem ἀρμαγεδδών. Quod cùm sit nomen *Hebræum* origine, componitur ex voce *Horma* quod est anathema, ut explicatur Num. 21. v. 3. & Judic. 1. v. 17. & ex verbo *gadad* quod dicitur de congregatione militari: ita ut hæc sit inscriptio loci illius & hoc vaticinium: *anathema collectioni rebellium*, siquidem in illo *die magno* DEI, & illo *in loco* judicabuntur Antichristus & simul quotquot conspiraverunt ad militandum contra DEUM & Ecclesiam ejus.

Consensus plagarum & Tubarũ.

3. Atque hæc est series plagæ sextæ, seu phialæ effusæ in Euphraten: cui ad amussim omnia respondent in sexta Tuba Capite 9. v. 14. & seqq. solutio Archidæmonum 4. alligatorum in flumine Euphrate: exercitus undique congregatorum (cum suis Regibus:) equi & de ore equorum illa tria spirituum immundorum, ignis, fumus, & sulphur, quibus tertia pars hominum interiit. Ubi de numero equestri, de armatura equorum & caudis capitatis: quæ est paucorum quorundam adjunctorum varietas in significatione hieroglyphica ejusdem rei.

Habes, Lector, epitomen; & comparationem, atque consensum Tubarum cum plagis: & sicut post illas Tubas prophetatur septima, sic post has plagas septima; quæ utraque est Judicii extremi.

Denique dixerat S. Joannes de die magno Omnipotentis DEI: quâ occasione interponitur admonitio ad Timorem sanctum: ECCE VENIO SICUT FUR: BEATUS QUI VIGILAT tanquàm ad lucem illius diei; ET qui CUSTODIT VESTIMENTA SUA, gratiam acceptam in baptismo; NE NUDUS AMBULET sed *honestè* (Rom. 13. v. 13.) *sicut in die* Domini advenientis, ET ne VIDEANT TURPITUDINEM EJUS. Nam & in Capite 9. in fine Tubæ sextæ declamavit contra impœnitentiam; v. 20. & 21.

§. III.

## §. III.

### *De Phiala septima.*

Plaga 7. eadem quæ Tuba 7.

1. SIcut in prima Parte, septima Tuba erat Judicii: ita septima *phiala* iræ: quæ proinde (v.17.) effunditur IN AEREM, unde apparebit Judex. ET EXIVIT, inquit, VOX MAGNA DE TEMPLO A THRONO DICENS: FACTUM EST: quo verbo intelligitur consummatio mundi. Súntque eædem ipsæ voces quæ in septima Tuba cap.11.v.15.fuerunt auditæ in Cœlo, *Factum est.* & sicut illic v.19.commemorata sunt fulgura & voces & terræmotus: ita planè hoc loco sequitur. ET FACTA SUNT, inquit, FULGURA, ET VOCES, ET TONITRUA, ET TERRÆMOTUS: aliáque illa de quibus Christus Luc.21.v.25.& seqq. *Erunt Signa in Sole & Luna & stellis, & in terris pressura* &c. *arescentibus hominibus præ timore & expectatione* &c. *& tunc videbunt*, ait, *Filium hominis venientem in nube.* De *terræmotu* autem illo dicitur, esse diversus ab omnibus retrò qui contigerunt: talis enim hic novissimus mundi, QUALIS, inquit, NUNQUAM FUIT EX QUO HOMINES FUERUNT SUPER TERRAM.

Signa consummationis

Tres partes fidelium.

2. ET FACTA EST CIVITAS MAGNA IN TRES PARTES: non ista magna in malam partem, Cap. 11.v.8. quæ spiritualiter Sodoma, cujus dicitur tertia pars concidisse terræmotu præcedente in ascensu duorum Testium, de quo ante 7. Tubam ibid. v.13. & occisa fuisse 7. millia: neque alia tota impia; nam de Civitatibus Gentium sequitur: sed illa magna simpliciter & coram Deo, cujus magnitudo ad laudem; Ecclesia seu congregatio fidelium omnium inde ab initio mundi. Hæc enim in die Judicii videtur in tres sui partes: quarum una pars erit confessorum & judicantium cum Christo & cum 24. Senioribus, juxta Scripturam & SS. Patres: altera judicandorum ad dexteram: tertia hœdorum ad sinistram. Has tres partes Civitatis Jerusalem agnoscit S. Augustinus in psalmum 121. ubi postquàm allegâsset dictum Christi Matth.19. v. 28. *judicantes* 12. *tribus Israël*, conforme Isaiæ cap.3. v.14. sic scribit: *Veniet enim in Judicium cum Senioribus populi, ait Esaias. alii sunt ergo, qui cum illo judicabunt, alii qui ab illo judicabuntur.* & hos subdividit in duas partes; *ad dextram* & *ad sinistram.*

CIVITATES autem seu cætus GENTIUM, infidelium, CECIDERUNT, inquit, Apocalypsis, omnes ruinâ eâdem æternâ: ubi nominatissima inter illas BABYLON, seductrix & Imperium infidele, recipiet vicem *calicis* sui quem propinabat: inebrianda *vino* IRÆ DEI.

3. Erit dicere: OMNIS INSULA FU-

FUGIT, ET MONTES NON SUNT INVENTI: quia mare, in quo insulæ; & terra, in qua montes; aliáque *elementa calore solventur* 2. Pet. 3. v. 10.

ET GRANDO MAGNA *sicut Talentum descendit de Cœlo* IN HOMINES. Grando illa est obstinatio suprema reproborum animarum: plaga est quæ DESCENDIT DE COELO per justam subtractionem ulterioris temporis pœnitendi hominibus obstinatis quotquot noluerunt tempori converti ad DEUM. & est SICUT TALENTUM plumbi (Zach. 5. v. 7.) pondus irremissibilis iniquitatis. Unde sequitur: ET BLASPHEMAVERUNT DEUM HOMINES PROPTER PLAGAM GRANDINIS: id est: erunt tunc æternæ damnandorum blasphemiæ, propter hanc septimam & magnam vehementer plagam grandinis, indurationem & impœnitentiam in spatio mortali quod præteriit.

Blasphemia propter grādinem.

Hactenus hujus secundæ Partis Apocalypseos Visio tertia: vi cujus S. Joannes pervidit consequenter totum id quod est de plagis: adeóque porrexit se Visio in hac etiam materia, perinde ut priores & aliæ proximè sequentes in suis materiis, usque in finem qui est Judicium.

# TRACTATUS XXV.

## IN PRIMAM PARTEM CAPITIS XVII.

Ostensis 7. plagis, finitâque hac Visione, unus Angelorum qui habuerant 7. phialas, ostendit Statum & novissima Mulieris, meretricis omnium Regum, sedentis super aquas multas. Species ejus describitur Capite 17. damnatio verò ejus, seu Væ, Capite 18. quæ est Visio quarta in hac Parte Apocalypseos: & de nova materia, itidem pervidendâ usque ad finem.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 17. Vers. 1. & seqq.) *Et venit unus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, & locutus est mecum, dicens: Veni, ostendam tibi, damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas;* (*v.* 2.) *cum qua fornicati sunt Reges terræ, & inebriati sunt, qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus.* (*v.* 3.) *Et abstulit me in*

, *ſpiritu in deſertum. Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam cocci-*
, *neam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cor-*
, *nua decem.* (*v.* 4.) *Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, &*
, *inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum au-*
, *reum in manu ſua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis*
, *ejus:* (*v.* 5.) *Et in fronte ejus nomen ſcriptum: Myſterium: Babylon*
, *magna, mater fornicationum, & abominationum terræ:* (*v.* 6.) *Et*
, *vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Mar-*
, *tyrum Ieſu, & miratus ſum cum vidiſſem illam admiratione*
, *magna.*

## §. I.

### *De Muliere Civitate infideli.*

Babylon myſtica. 1. DE hac *Muliere* S. Joanni magnopere admiranti revelat Angelus, quòd ſit (v. 18.) CIVITAS MAGNA, quæ per MYSTERIUM id eſt in ſenſu ſpirituali appelletur ac ſit BABYLON, quæ *inſideat* ac velut incquitet *Beſtiæ*, & *habeat* REGNUM SUPER REGES TERRÆ. Bis admonet Angelus *Myſterii*, v. 5. & v. 7. & hîc maximè verum eſt quod ex S. Hieronymo (ep. 103. ad Paulinum) attulimus in Prolegomeno: in verbis multiplicem latere intelligentiam. Age, nemini poteſt eſſe dubium, quin ſignificatio Mulieris Babylonis cadat myſticè; primò ſuper urbem Romanam antiquam. Secundò ſuper Novam, ut nunc eſt, quæ eſt Conſtantinopolis. Addo neminem etiam iturum inficias, quòd in his duabus repræſentetur, id quod eſt tertium, tota magna Civitas quæ eſt Congregatio reproborum omnium,

Iſta multiplex intelligentia unà cum illa ſua connexione atque ordine, quem proferemus, admirabilem oſtendet energiam Apocalypſeos in hoc Capite: & conciliabit ſententias Patrum de hac Civitate, ſubordinatas invicem & aptiſſimè inter ſe nexas.

Roma vetus ethnica. 2. De prima id eſt de antiqua Roma ethnica dixit S. Hieronymus (ep. ad Algaſiam quæſt. 11.) *ſecundùm Apocalypſin Joannis in fronte purpuratæ Meretricis ſcriptum eſt nomen blaſphemiæ, id eſt, Romæ æternæ.* Nam de Roma jam Chriſtiana idem S. Hieronymus aliter multò lib. 2. contra Jovin. *ſcriptam in fronte blaſphemiam, Chriſti confeſſione, deleſti urbs Apoſtoli voce laudata.* Et S. Auguſtinus lib. 18. de civ. cap. 22. *Condita eſt Roma, velut altera Babylon.* Et S. Petrus, ep. 1. in fine: *Salutat vos Eccleſia quæ eſt in Babylone coëlecta*: id eſt; ea quæ in urbe eſt Roma, particeps divinæ electionis veſtræ.

Ubi

Ubi valdè distinguendum est, etiam tempore Apostolorum, inter urbem Romam & inter Ecclesiam Romanam: Urbs enim erat Babylon: sed Romanæ Ecclesiæ fides, electio, & laus annuntiabatur in universo mundo.

Roma Nova apostatrix

De secunda id est Nova Roma, dum hæc scribimus, est videre oculis Civitatem: quæ cùm fuerit sancta & desponsa Christo, facta est spiritualiter Babylon, meretrix, & mater fornicationum, hoc est superstitionum; insidens Bestiæ, id est Imperio infideli. Non potuit in prophetia de rebus Ecclesiasticis qui est liber Apocalypseos, tacere de urbe Constantinopoli, & defectione execranda Imperii Romani Orientalis à Christiano ad ethnicum, quod est sectæ Mahometanæ.

Universa civitas reproba.

De tertia est SS. Patrum appellatio mystica Babylonis: qui hanc Mulierem Civitatem esse dicunt collectionem omnium impiorum; utpote qui censentur omnes subdi Bestiæ, à qua portatur tota Civitas mulier. Sic enim S. Augustinus in psal. 26. enarr. 2. *Est quædam Civitas quæ Babylonia dicitur: Civitas ista societas est omnium impiorum ab Oriente usque in Occidentem: ipsa habet Regnum terrenum.* dicit nos fuisse cives in ea natos: *Hæc prima fuit mater nostra, in hac nati sumus.* & addit: *Cognovimus aliam matrem Hierusalem cœlestem, quæ est sancta Ecclesia; cujus portio peregrinatur in terra: reliquimus Babyloniam.* Et S. Prosper discipulus S. Augustini (in dimidio temporis cap. 7.) *nec eam uno in loco existimes Civitatem, quæ tota est sparsa in orbe.* Nempè sic una Congregatio seu Civitas Diaboli: sicut una est opposita Civitas DEI, toto interim orbe civibus sparsis, Hierusalem sancta, sponsa Agni.

Mysteriū triforme.

3. His ita constitutis meritò ingeminatur, MYSTERIUM esse quod cernitur: cujus hæc est summa; eáque ordinatissima: habuit S. Joannes, in revelatione hujus Capitis, ob oculos suos duas urbes particulares, eodem simul obtutu mentis, Romam veterem & Romam novam: quarum utraque, altera post alteram insederit Bestiæ; obnoxios pari damnationi: & illas duas vidit esse partem unius tertiæ Civitatis magnæ mysticæ.

## §. II.

### *De meretrice hîc prophetatâ.*

1. REvocet in memoriam attentus Lector; quòd, ut diximus in Cap. 12. steterit Draco super littus maris; &, iratus super crescente Christianismo & idolis dirutis, conceperit ideam Sedis & Regni infidelis novi: dejecturus inde Christianum Imperium, in Oriente inprimis; & sensim licentiâ majore acceptâ (nam adhuc ligatæ potestatis erat) funditus deleturus nomen omne Imperii Christiani. Ergo quemadmodum olim habuerat

Civitas insidens Bestiæ:

Draco Civitatem Romanam insidentem Bestiæ, id est, imperitantem & tyrannizantem adversus Christianos; usque eò Gentilem, ut S. Leo postea illius Urbis sed Christianæ Antistes dixerit de ea (ser. in festo SS. Petri & Pauli) *omnium Gentium serviebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse Religionem quia nullam respuebat falsitatem*: Ita, illâ sibi urbe & Gentilismo ejus erepto, figuravit mente Civitatem novam, insessuram Bestiæ iterum, æmulam antiquæ & quæ illam infidelitate referat aut propediem superet.

Hæc est urbs Constantino-polis, ex Christiana infidelis: & hic est sensus primarius ac prophetia, ut in Apocalypsi, præcipuè revelatu digna illis Ecclesiis. De hac urbe prævidetur in hoc Capite: & acutissimè super eâ discurritur in hunc modum, quem dicam.

Gemina veteris Romanæ:

2. Introducitur Urbs Constantinopolis (pro eo statu in quo reposita est à Turcis) in schemate antiquæ & Gentilis Romæ, cui tunc nomen Babylon adhuc superstite S. Joanne: sedentis super Bestiam, id est super Imperium infidele & adversarium Christianis.

De qua Bestia seu Imperio Gentili S. Joannes v. 8. & 11. ERAT, inquit, ET NON EST: *Erat* in urbe Roma adhuc ethnicâ ævo S. Joannis: *& non est* quia spiritu prævideo abolitam ea in urbe: at ASCENSUM EST, inquit, DE ABYSSO, emersura iterum è mari in eodem schemate; in quo sedebit alia urbs gemina Romanæ priori, immò ipso etiam nomine altera Roma & Imperatrix, ac deserto Christianismo adultera, prout Prophetæ appellitant lapsum ad Ethnicismum, & fornicaria cum Regibus terræ.

3. Nihil accuratius hoc vaticinandi modo Apocalyptico. Dum enim hæc prædicit Joannes, simul habet oculis imaginationis præsentem antiquam Romam, ex qua fuerat relegatus in Patmum, adhuc Gentilem, Imperatoriam, & persecutricem Christianorum: simul habet ante oculos propheticos istam Novam Romam; quæ postquàm illa vetus fuerit abolita penitus & mutata in Christianam ipsa & Imperium ejus, exurget è mari; Civitas quam Diabolus denique evellet à Christo, suffossam dudum per cuniculos schismatis & erroribus irretitam. Fiet Sedes Bestiæ, qualem Draco sibi figuraverat animo: & mutabitur ex Roma Nova Christiana in Romam antiquam Infidelitate, Imperio, Nomine.

Et Urbis & Imperii.

## §. III.

### *De iis quæ adscribuntur Civitati meretrici.*

Septicollis.

1. SItus Civitatis describitur evidenter, dum dicitur: SEPTEM MONTES esse SUPER QUOS MULIER SEDET. Nam & Constanti-

ſtantino-polis habet ſeptem montes, ſuper quos ſita eſt: ut videre licet apud Geographos peritos & audire ab advenis. Produco Geographum Gallum, exactum & brevem, qui in deſcriptione urbis Conſtantinopolis, poſtquàm narraſſet à Turcis appellari Stamboul, hæc addit de opportunitate loci:

„ La ſituation eſt la plus auantageuſe qu'on peut ſouhaiter pour le Siege d'vn grand Empire *Elle a ſept montaignes auſſi bien que Rome*: & elle commande aux deux mers Blanche & Noire: avec vn Port tel, qu'on ne peut rien s'imaginer de plus agreable. Conſtantin, & les autres Empereurs depuis luy, l'ont enrichie de ce que l'Italie avoit de plus beau, nommant la nouvelle Rome.

Quæ Latinè ſic verbotenus redduntur: Situs urbis eſt multò præcellentiſſimus qui exoptari poſſit pro Sede magni Imperii. Urbs eſt ſeptem montium æquè ac Roma: duorum marium Domina, Albi & Nigri: cum ejuſmodi portu, nihil ut poſſit illo cogitari acceptius. Conſtantinus & hunc ſecuti Imperatores illam ditârunt omni eo quod habuit Italia pulchrum, & appellârunt Novam Romam.

Sedes Imperatorum: 2. Hic eſt Conſtantinus Magnus, Imperatorum publicè Chriſtianorum primus: qui oppidum tunc neglectum dictum Bizantium (divinitùs edoctus ut eum locum præeligeret, prout refert Sozomenus lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 2.) reſtituit, auxit, ampliſſimis muris circumdedit (quibus poſtea novis communivit Theodoſius junior per Præfectum

Etnomine Romæ: Cyrum:) nuncupaſque NovamRomam Conſtantinopolitanam lege ſanxit: quæ Lex inciſa in columna lapidea & palàm apud Prætorium propè Conſtantini ſtatuam equeſtrem propoſita fuit. Urbs diviſa eſt ſub eodem Conſtantino, perinde ut antiqua Roma, in quatuordecim regiones. Triangula eſt: ſeptem omnino Collium & accuratè: quoniam ſinguli dividuntur ab invicem per valles alternas ac ſpatioſas: omnes conſpicui navigantibus Sinum maritimum. Collem primum efficit urbis angulus Orientalis, inchoans promontorium Boſphorium: & porrigitur in Ortum Solſtitialem ad claudendum Sinum: Secundus & tertius recedunt interiùs verſus meridiem: reliqui eminent in Septentrionem: ita ſenſim & ordine locati, ut alter alterius non auferat aſpectum, quin uno eodémque intuitu collium omnium ſit videre duo latera: cùm ſit primus aliquanto humilior ſecundò, & hic tertio, cæteri vel editiores paulò quàm tertius vel humiliores. Incolæ tùm ex omnibus collibus habent peramœnum proſpectum, tùm multò amœniſſimum Imperator qui in primo colle habitat laxiſſimè (fuítque in eodem illo, veterum quoque Byzantiorum Acropolis:) palatium illius partim eſt in clivo, partim in planitie ejuſdem collis: in qua etiam ſita ſunt Templum, quod olim divinæ Sophiæ, & Hippodromus: illud viſendum hodieque parietibus marmore incruſtatis, & concameratione octo columnarum, opere pereleganti atque artificioſo: iſte latitudine unius ſtadii, longitudine amplius duorum.

Secundus Collis est altus mille passus communes: & celeber Columnâ Purpurea (ex Porphyrite lapide;) illâ quondam, in cujus apice statua Eudoxiæ Augustæ argentea, & circa eam saltatorum & histrionum spectacula; quæ fuit occasio S. Chrysostomo concionis, cujus est initium, rursus Herodias insanit, rursus saltat; atque exilii. In aliis Collibus est videre Mausolea diversorum Imperatorum: ut in tertio sepulchrum, ædes, & xenodochia Solimanni: in quarto, Mausoleum Mahometis primi Imperatoris, ejus qui cepit Constantinopolim; unà cum ampla æde Mahometana, Xenodochiis, ac Thermis: in quinto colle Mausoleum & xenodochia Selimi. In sexto Templum illud fuit, quod nomine Dei genetricis adversus Nestorium extruxerat Pulcheria Imperatrix, & instauraverat Justinianus, nobilitatum complurium scriptis, cui nomen Blachernæum & Triclinium ejusdem nominis. In septimo Columna olim Arcadii. Hic collis septimus tertiam partem urbis continet: sex cæteri duas alias partes.

Ecce Constantinopolim septicollem, seu Civitatem super 7. Montes: de qua dicimus Apocalypsin prophetasse.

Meretrix.

3. Cætera quoque, quæ in hoc Capite dicuntur de Civitate, conveniunt illi urbi. ut: quòd MERETRIX MAGNA, Christo infida: quòd *sedeat* SUPER AQUAS MULTAS, id est super populos quibus imperat, Europæ, Asiæ, Africæ, v. 1. quòd cum ea defecerint à Christo REGES regionum, illius vasalli; quòd INEBRIATI ac dementati, QUI INHABITANT TERRAM, DE VINO PROSTITUTIONIS EJUS. v. 2. quòd eam viderit Joannes IN SPIRITU, eò quod solo spiritu prævideri posset nondum orta: quódque IN DESERTO eam viderit, nempè quia fidem Christi deseruerit, & vicissim à Christo deserta sit juxta illud Matth. 23. v. 38. *relinquetur vobis domus vestra deserta*: quòd pro *Sede* habeat Bestiale Imperium Paganum. v. 3. quòd CIRCUMDATA PURPURA ET COCCINO, ET INAURATA AURO ET LAPIDE PRETIOSO ET MARGARITIS quæ fert Oriens: quòd POCULUM AUREUM IN MANU, delitiæ & pompa quibus invitat. v. 4.

Prævisa spiritu: Desertrix.

Cum poculo aureo:

De poculo, cur dicatur aureum; S. Ambrosius lib. de Elia & jejunio, cap. 15. *auro*, inquit, *sejactet & pretio*. & mox: *quærit illecebram, ut specie saltem pretiosâ ad bibendum aliquos possit illicere*. Et S. Greg. lib. 34. mor. cap. 13. *auri nomine nitor gloriæ temporalis exprimitur, sicut per Prophetam dicitur* (Jer. 51. v. 7.) *Calix aureus Babylon, quæ calix aureus dicitur, quia dum pulchra esse temporalia ostentat, stultas mentes in sua concupiscentia deebriat*. Et altius repetens exemplum: *Hoc*, ait, *aureo calice prima, sponte suâ, Eva deebriata est*.

Sequitur, id quod illi apertissimè convenit civitati, professione suæ doctrinæ esse meram & MAGNAM BABYLONEM, id est confusionem erro-

Babylon magna: mater superstitionum,

errorum: ac publicam, ut in fronte, MATREM superstitionum. v.5. quas propagavit in variis terris: ipsa intra muros suos pro iis exercendis aperuit ædes superbas ter centum ac plures, omnes plumbo tectas & columnis ac marmore præfulgidas (heu!) ex spoliis Christianorum Templorum, quorum numero sexcenta vel evertit vel commutavit in cultum abominandum.

Temulenta sanguine.

Postremò, quòd SANGUINE Christiano EBRIA v. 6. verum est non de solis bellis, quibus insatiabiliter hausit sanguinem Christianorum; sed & suppliciis Martyrum, ut legere est in Martyrologio Romano. etsi enim Turcæ potiùs & apertiùs bella profiteantur & captivitatem, tamen vel ex sævitia & odio Religionis, vel ex occasione, aut ob multitudinem captivorum quos abducere ulterius non libebat quamvis in medio itinere atque inermium, quanta millia contrucidaverunt! Multò autem maximè tunc inebriabitur Constantinopolis effuso sanguine, quando Antichristus eâ potiri incipiet initio statim sui Regni, & exscindet reliquias Christianorum primùm in toto Oriente, quod erit tempus MARTYRUM JESU: deinde aut simul per suos administros (dispersas gentes Magog) grassabitur reliquum totum in orbem: dum illicò ac plenissimè Monarcha mundi effectus, excisâ per suos vasallos etiam ipsâ Constantinopoli, transferet sedem Regni sui Hierosolymam.

Principium Monarchiæ Antichristi.

Atque hæc de Civitate Constantinopoli. de qua versu 7. EGO DICAM TIBI SACRAMENTUM MULIERIS. & v. 18. MULIER QUAM VIDISTI EST CIVITAS MAGNA &c. De hac enim prædicit, & hanc primariò spectat Apocalypsis hujus Capitis: ex quo reliqua, quia referuntur ad Bestiam cui Mulier insidet, exponemus in Tractatu sequente.

# TRACTATUS XXVI.

## IN RELIQUA CAPITIS XVII.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 17. Vers. 7. & seqq.) *Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi Sacramentutum Mulieris, & bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem, & cornua decem.* (*v.* 8.) *Bestia, quam vidisti, fuit, & non est, & ascensura est de abysso, & in interitum ibit, & mirabuntur inhabitantes terram* (*quorum non sunt scripta nomina*

*in libro vitæ à constitutione mundi) videntes bestiam, quæ erat, & non est. Et hic est sensus, qui habet sapientiam, septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, & Reges septem sunt. (v.10.) Quinque ceciderunt, unus est, & alius nondum venit: & cùm venerit, oportet illum breve tempus manere. (v.11.) Et bestia, quæ erat, & non est, & ipsa octava est: & de septem est, & in interitum vadit. (v.12.) Et decem cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt, qui Regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam Reges una hora accipient post bestiam. (v.13.) Hi unum consilium habent, & virtutem & potestatem suam bestiæ tradent. (v.14.) Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos: quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum, & qui cum illo sunt, vocati, electi, & fideles. (v.15.) Et dixit mihi: Aquæ, quas vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ. (v.16.) Et decem cornua, quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam, & desolatam facient illam & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipsam igni concremabunt. (v.17.) Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant quod placitum est illi: ut dent Regnum suum bestiæ donec consummentur verba Dei. (v.18.) Et mulier, quam vidisti est Civitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ.*

## §. I.

### *De Capitibus Bestiæ super quam Civitas meretrix.*

1. PAtet ex Græco, ad Bestiam pertinere quæ de Capitibus 7. & Cornibus 10. dicuntur. sic enim habet: μυστήριον τοῦ θηρίου τοῦ ἔχοντος τὰς ἑπτὰ κεφαλὰς καὶ τὰ δέκα κέρατα.

Sæpè diximus nomine *Bestiæ* in sacris Scripturis significari Imperium, non quodlibet sed Gentile. Verba illa, Fuit & non est, etiam explanavimus Tract. præcedente, §.2. FUIT, cum antiqua Roma ei insideret: ET NON EST, quia extinctus est Gentilissimus pro ea differentia temporis (vox est Scholarum) de qua ego Angelus prophetizo; jámque urbem Romam præmonstro Christianam & sanctam: sed ASCENSURA EST illa Bestia DE ABYSSO iterum, ET IN INTERITUM IBIT, postquàm in eundem involverit multos qui eam admirati fuerint indigenæ terrenis affixi, QUORUM NON SUNT inSCRIPTA NOMINA IN LIBRO VITÆ prædestinatorum (Eph.1.v.6.) ante *mundi constitutionem*.

Fuit, & non est.

Ascensura iterum.

Cujus finis interitus.

2. Pro-

Bestia septiceps:

2. Prosequitur Angelus expositionem Bestiæ, secundum SENSUS & (v.9.) SAPIENTIÆ utrimque. SEPTEM enim CAPITA BESTIÆ duplicem habent, inquit, significationem: quarum prima, SEPTEM MONTES SUPER QUOS MULIER SEDET: quod sicut de antiqua Roma verum esse sic de Constantinopoli, quam ei geminam describit, æquè sitâ in 7. montibus, dictum est Tractatu præcedente, §. 3. opportunitate situs etiam majore & aptiore ad Imperium terræ, marium, orbis. Montes 7.

Altera est significatio septem Capitum in Bestia: REGES SEPTEM SUNT, Gentiles unà cum suis Imperiis Gentilibus: Reges seu Imperia 7.

Quorum Regum QUINQUE CECIDERUNT:

Assyrius:
Chaldæus seu Babylonius:
Medus:
Persa:
Græcus:

UNUS EST, dum hæc Joannes scribit:
videlicet Romanus Gentilis:

ET ALIUS NONDUM VENIT: Mahometanus. ET CUM VENERIT, OPORTET ILLUM aliquamdiu, aliquot sæculis, MANERE; quod experimur: donec succedat Antichristus.

Ipsa octavum:

3. Pergit Apocalypsis: ET BESTIA, quod ERAT Imperium infidele, ET NON EST amplius sed iterum erit, nimirum Novæ infidelis Romæ: ET IPSA OCTAVA EST; eadem *ipsa* in designatione, est Regnum Antichristianum quod est octavum Monarchiarum infidelium. ET DE SEPTEM EST; quia de omnibus simul possidet, & imperat omnibus: cùm sit septiceps, habeátque Imperia simul & aggregationem cunctorum septem Regnorum ac Regum: Et de 7.

Assyriæ:
Chaldææ:
Mediæ:
Persiæ:
Græciæ:
Ditionum olim subjectarum Romæ veteri:
Constantino-poleos.

ET IN INTERITUM VADIT (jam secundò hoc dicitur: v.8. & 11.) cùm excidii temporalis tùm spiritualis & æterni. quamobrem DAMNATIONEM ejus TIBI VENI *ostendere*: quæ verba erant Angeli v.1.

Hæc de Bestiæ Capitibus.

## §. II.

## *De Cornibus Bestiæ, à quibus vastabitur Civitas.*

Reges simul 10.

1. ET DECEM, inquit, CORNUA, QUÆ VIDISTI, DECEM REGES SUNT: QUI REGNUM NONDUM ACCEPERUNT: alii enim ab iis qui retrò; neque ipsi Christiani: SED instrumenta infidelis Bestiæ, & POTESTATEM TANQUAM REGES UNA HORA, id est eodem tempore, ACCIPIENT POST BESTIAM quæ eos attrahet *post se.* Non ergo tunc absolutè Reges, sed TANQUAM Reges: vasalli Turcis, ac deinde Antichristo, Præfecti Provinciarum seu vi domiti seu sponte subjecti.

Cornua Bestiæ:

Horum Regum ut Cornuum meminit etiam Daniel cap. 7. in Bestia quarta, illa quam esse viderat Imperium Gentile ultimum, ante Christianismum qui erat finis desideriorum Danielis. Adhuc autem vidit nasci malum novissimum ex illa Bestia: illo ejus Capite, quod Joannes dixit accepisse dudum plagam mortis, redivivo; id est eâ parte quæ Romani fuerat Imperii: ex qua repullulavit Gentilismus. De hujus novissimis Propheta Daniel v. 8. & 9. *Considerabam cornua* (illa *decem, quæ* ut dicit v. 20. *habebat in Capite:*) *& ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum: & tria de cornibus primis evulsa sunt à facie ejus.* addit de Cornu illo parvulo: & repetit v. 20. *habebat oculos, & os loquens grandia, &* (ex parvulo) *majus erat cæteris. Aspiciebam, & ecce Cornu illud faciebat bellum adversus sanctos, & prævalebat eis: donec venit Antiquus dierum & judicium dedit sanctis Excelsi, & tempus advênit, & Regnum obtinuerunt Sancti.*

In medio eorũ undecimũ cornu, Antichristus oriturus.

De hujus vaticinii expositione ex sententia communi suæ ætatis S. Hieronymus pronuntiat (in Dan. l. c.) cujus verba citavimus ex parte in Tract. 18. §. 1. *decem futuros Reges qui orbem Romanum inter se dividant: & undecimum surrecturum esse Regem parvulum, qui tres Reges de decem Regibus superaturus sit, id est Ægyptiorum Regem & Africæ & Æthiopiæ, quibus interfectis etiam septem alii Reges victori colla submittent.* Juxta hanc ergo traditionem Scriptorum Ecclesiasticorum, hi decem Reges, Cornua illa Bestiæ, nata in Capite illius, Orientale Romanum Imperium dividunt inter se ac possident: donec successor, undecimum Cornu in medio eorum, surgat Rex initio parvulus, Antichristus: qui repente super illos potentior, & omnibus major, funditus Romani vestigia Imperii & nomen illius auferet mutabitque in suum Antichristianum & Hiero-solymitanum.

Discerpunt Imperium Romanum.

Ex traditione Ecclesiastica.

2. HI Reges UNUM CONSILIUM HABENT, utpote infideles,

Pugnabunt cũ Agno.

les, Christianæ Ecclesiæ perniciosum: ET VIRTUTEM (græcè δύναμιν) ET POTESTATEM SUAM BESTIÆ TRADENT: id est, contribuent sua consilia & vires; uniti quippe ac subditi Imperio Constantinopolitano, & mox successori ac supergressori omnium Antichristo. Hi erunt Cornua & robur Bestiæ: & ex omni loco mundi, in quem erunt ab Antichristo dispertiti, op-PUGNABUNT Ecclesiam, quod est pugnare CUM AGNO, ultimùm. Etenim AGNUS VINCET ILLOS; DOMINUS DOMINORUM, ET REX REGUM, quem titulum gerit in femore suo, Apoc. 19. v. 16. ipse victor per se ET per eos QUI CUM ILLO SUNT; VOCATI ab ipso, ut multi; ELECTI ut pauci; ET FIDELES, ut permansuri cum illo in tentationibus usque ad finem.

Ipsimet evertent civitatē:

3. Expositionem adjungit Aquarum, cujus frequens usus in Apocalypsi AQUÆ, QUAS VIDISTI UBI MERETRIX SEDET, POPULI SUNT IN GENTES ET LINGUÆ. Sed illa ejus Sedes destruetur ab ipsis aquis: futurum est enim mirabili judicio DEI, de quo Prov. 21. v. 1. *sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini*: ut Reguli horum populorum, DECEM CORNUA Bestiæ, alienatione ab illa Civitate & *odio* in eam concepto DESOLATAM FACIANT Constantino-polim, exspolient NUDAM, devorent, & *concrement* IGNI ut solo æquetur: nutu videlicet Antichristi, hoc agentis ut transferatur inde Imperium & Sedes in urbem Hiero-solymitanam ab se magnificentissimè instauratam cum Templo & amplificatam, ut prædiximus suprà.

Dispositione secretâ divinâ.

Hæc autem omnia DEUS moderabitur, inquit: cujus est inclinare (secretò) CORDA horum Regum ad finem ipsi PLACITUM, divinum, quamvis occultum: permittendo ut REGNUM SUUM omne DENT BESTIÆ, ita ut sit unum Imperium infidele & Antichristianum: DONEC CONSUMMENTUR VERBA DEI & prædictio ejus infallibilis, & donec proximè absit consummatio mundi.

## §. III.

### *De Idea: & de Figurato illius vastitatis.*

Summa:

1. HÆc sunt illa duo, quæ præter Constantino-polim ipsam diximus fuisse ob oculos S. Joanni super eâ vaticinanti: & hîc operæ pretium est repeti; postquàm egimus de Cornibus quæ prophetantur ditutura illā urbem. Omnino tria igitur sunt obversata menti S. Joannis in destructione, quam vidit, hujus Civitatis:

Vaticinium est de Nova Roma:

2. Ex his tribus primum est Constantinopolis ipsa; de qua prophetat, id est, de urbe, incolis, & Imperio eò loci:

loci: cui prædicitur clades, tanquàm vindicta quæ divinitus sumetur de Meretrice Apostaticâ.

Idea vaticinantis est vetus Roma:

Secundum est Roma vetus ethnica: hæc enim instar est Ideæ, secundùm quam concipit & in cujus schemate introducit Constantinopolim ut illi geminam tùm crimine tùm supplicio. Nam & vetus Roma fuit Babylon mater omnis idololatriæ & propagatrix per orbem terrarum: & divinitùs accidit tunc ut inclinaretur cor Regum ad eam perdendam. Præterquàm enim quòd redacta est in cineres, inde à Nerone, ab ipsis ethnicis Imperatoribus: scimus extinctum esse sensim cum habitatoribus gentilibus Imperium ethnicum mutatúmque ut nihil ejus supersit. Adeò ut illa carmina Sibyllarum, quæ circumferuntur, impleta sint in vetere, prout tunc erat, idololatrica Roma, cujus recordatio nuda est super. Quæ quidem oracula mihi videntur altiore digna interpretatione.

Lib. 8. Orac. Sibyll.

*O erectâ cervice Roma.*
*Flectes cervicem prima:* (quidni sub Christo?)
*Terra allidêris:* (humiliaberis)
*Ignis te totam absumet:* (quem Christus venit mittere)
*Et tunc eris deserta:* (ab omni cultore idolorum)
*Ac si nunquam fuisses.*
*Et tu triumphus eris mundo & opprobrium omnium.*

De Imperio Romano:

Hæc vera sunt de Roma ethnica. Taceo quòd etiam postea sit urbs incensa per variarum nationum Reges qui eam oderant: Deo illos impellente, ut legimus de Alarico, ad devastationem urbis: Gothos, Vandalos, Herulos, Hunnos, Longobardos &c. perinde ac si de muris & saxis Deus sumpserit vindictam idololatriæ commissæ illîc antea & dilatatæ per orbem terrarum.

Jam hinc elucet, inquam, esse miram Oeconomiam Apocalypseos in hoc loco, & multiplicis intelligentiæ plenam: quòd S. Joannes prophetaverit de Roma nova futura cum similitudine atque ad Ideam antiquæ Romæ: nec non figuraverit animo id quod sequitur.

Præfiguratum, est civitas æterna reproba.

Tertium enim & postremum illorum trium est hoc: Dum hæc Joannes de duabus urbibus, habet simul ante oculos Collectionem omnium reproborum: qui est cætus seu civitas de qua SS. Patres citati in §. 1. Tractatus præcedentis. Hujus enim figura Meretricis Civitatis fuit illa tàm vetus Romana quàm Nova, utraque reproba: & harum duarum incendium, quod de Sodoma & finitimis civitatibus dixit S. Judas v. 71. fuit *exemplum ignis* seu incendii *æterni*, vastitatisque omnium ultimò prophetandæ, quam hîc egregiè præfigurat divinus Scriptor.

Explicatio Apostoli, 2. ad Thess. 2.

De urbe Romana, ut nunc est

3. Is cùm tanta scripserit de Civitate; & de Bestia cui insidet, Imperio infideli: nihil de Roma nostra dixit apostaturâ; quæ nonnullorum fuit re-

centio-

nihil cõstat ex Apoc.

centiorum interpretum suspicio, nullo nixa fundamento sacræ Scripturæ. Quam suspicionem apage de urbe immuni ab infidelitate atque ab Imperio infideli, de Cathedra Apostolica, & Principatu Ecclesiæ sanctæ.

De qua tamen urbe & de Imperio Christiano non repugnamus fore, ut ab Antichristo ejúsve instrumentis (cornibus Bestiæ) etiam illa, & omnis appellatio deleatur Romani Imperii, cujus sola memoria erit reliqua non Imperium ipsum.

De Imperio Romano:

Nam de hoc quidem, id est de Imperio Romano vetus est opinio SS. Patrum, & potissima explicatio verborum Apostoli 2. Thess. 2. v. 7. non appariturum Antichristum, donec omne Romanum Imperium auferatur è medio; quidnî etiam Occidentale omne omnino? S. Augustinus relinquit explicationem dubiam illius loci Apostolici, lib. 20. de Civ. cap. 19. ubi sic scribit: *Quid est, jam enim mysterium iniquitatis operatur; Tantùm qui modò tenet teneat, donec de medio fiat; & tunc revelabitur ille iniquus! Ego prorsus, quid dixerit, me fateor ignorare.* Et paulò post propendet in communiorem sententiam: *Illud tamen quod ait Apostolus, Tantùm qui modò tenet teneat, donec de medio fiat; non absurdè de ipso Romano Imperio creditur dictum: tanquàm dictum sit; Tantùm qui modò imperat, imperet: donec de medio fiat, id est de medio tollatur. Et tunc revelabitur iniquus; quem significari Antichristum, nullus ambigit.*

Explicatio Apostoli, 2. ad Thess. 2.

Ad hanc igitur explicationem & opinionem de omni tandem Imperio Romano desolando, & penitus abolendâ electione aut successione Imperii Romani, & tunc revelando Antichristo, consequitur conjectura verisimilis admodum de hodierna urbe ipsa Româ: facile erit Judæis Antichristianis ad apparitionem sui Monarchæ cupidissimè hanc etiam urbem, in odium Christianæ fidei & primatus Apostolici evertere. Quando fortitudo Martyrum eminebit, & Antistes urbis inter eos postremus quos recensuisse fertur S. Malachias Episcopus (ille S. Bernardo familiaris) reget Ecclesiam Romanam in tribulatione, temporibus Antichristi. de quo Malachia piè id creditur: ita tamen ut dicatur plures ei non fuisse ostensos, non autem negetur successuros fortassis: ut etiam tunc maneant incerta dies & hora vel annus interitus mundi. Erit autem aliud prorsus, urbem Romanam everti propter nomen Christi: aliud everti aut perire Ecclesiam; contra quam non prævalebunt omnes portæ inferi.

Quod verò Apostolus præmisit: *Mysterium jam operatur iniquitatis:* græcè, μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται, habet hunc sensum: Antichristus, ille *filius perditionis* jam non est, sed futurus est (v. 6.) *in suo tempore, & tunc* (v. 8.) *revelabitur*: *mysterium* verò *iniquitatis* ejus agitur (etiam ipsis temporibus Apostoli: per deceptiones pseudoapostolorum & persecutiones tyrannorum) in operantibus *jam* nunc & præeuntibus illi iniquo, qui erit *Caput* omnium persecutorum, immò *iniquorum omnium*, ut Antichristum ap-

pellat S. Gregorius lib. 15. mor. cap. 36. & S. Thomas 3. p. q. 8. a. 8. docet esse appellandum *Caput omnium malorum propter malitiæ perfectionem*: additque, quod facit ad intelligentiam Apostoli: *omnes alii mali qui præcesserunt sunt quasi quædam figura Antichristi, secundùm illud 2. ad Thess. 2. mysterium jam operatur iniquitatis*. Addamus ex S. Augustino l. c. *non ad Christum, sed (omnes) ad illum novissimum Antichristum pertinebunt.*

# TRACTATUS XXVII.

## IN CAPUT XVIII.

Continuatio est Visionis de Civitate infideli: Descriptio interitus ejus.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 18. Versu 1. & seqq.) *Et post hæc vidi alium Angelum de-*
*, scendentem de cælo, habentem potestatem magnam, & terra illumina-*
*, ta est à gloria ejus.* (v. 2.) *Et exclamavit in fortitudine dicens: Ceci-*
*, dit, cecidit Babylon magna: & facta est habitatio dæmoniorum, & cu-*
*, stodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ*
*, & odibilis.* (v. 3.) *Quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes*
*, gentes: & Reges terræ cum illa fornicati sunt, & mercatores terræ de*
*, virtute deliciarum ejus divites facti sunt.* (v. 4.) *Et audivi aliam vo-*
*, cem de cælo dicentem: Exite de illa populus meus, ut ne participes sitis*
*, delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.* (v. 5.) *Quoniam per-*
*, venerunt peccata ejus usque ad cælum, & recordatus est Dominus ini-*
*, quitatum ejus.* (v. 6.) *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis: & du-*
*, plicate duplicia secundum opera ejus: in poculo, quo miscuit, miscete illi*
*, duplum.* (v. 7.) *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit; tantum*
*, date illi tormentum & luctum: quia in corde suo dicit: sedeo Regina: &*
*, vidua non sum: & luctum non videbo.* (v 8.) *Ideo in una die venient*
*, plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis*
*, est Deus, quia judicabit illam.* (v. 9.) *Et flebunt & plangent se super*
*, illam Reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in deliciis vixerunt,*

*cum*

, *cum viderint fumum incendii ejus: (v. 10.) longè ſtantes propter ti-*
, *morem tormentorum ejus, dicentes: Væ, væ Civitas illa magna Baby-*
, *lon civitas illa fortis: quoniam una hora venit judicium tuum. (v. 11.)*
, *Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt ſuper illam, quoniam merces*
, *eorum nemo emet amplius; (v. 12.) Merces auri & argenti, & lapides*
, *pretioſi & margaritæ, & byſſi, & purpuræ, & ſerici, & cocci (& omne*
, *lignum thyinnum, & omnia vaſa eboris, & omnia vaſa de lapide pre-*
, *tioſo, & æramento, & ferro, & marmore; (v. 13.) & cinnamomum) &*
, *ordoramentorum, & unguenti, & thuris, & vini, & olei, & ſimilæ*
, *& tritici, & jumentorum, & ovium, & equorum, & rhedarum, &*
, *mancipiorum, & animarum hominum. (v. 14.) Et poma deſiderii ani-*
, *mæ tuæ diſceſſerunt à te, & omnia pinguia & præclara perierunt à te, &*
, *amplius illa jam non invenient. (v. 15.) Mercatores horum, qui divites*
, *facti ſunt, ab ea longè ſtabunt propter timorem tormentorum ejus, flen-*
, *tes ac lugentes, (v. 16.) & dicentes: Væ, væ civitas illa magna, quæ ami-*
, *cta erat byſſo, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pre-*
, *tioſo, & margaritis: (v. 17.) Quoniam una hora deſtitutæ ſunt tantæ*
, *divitiæ. Et omnis Gubernator, & omnis qui in lacum navigat, & nau-*
, *tæ, & qui in mari operantur, longè ſteterunt. (v. 18.) Et clamaverunt*
, *videntes locum incendii ejus, dicentes: Quæ ſimilis Civitati huic ma-*
, *gnæ? (v. 19.) Et miſerunt pulverem ſuper capita ſua, & clamaverunt*
, *flentes & lugentes, dicentes: Væ, væ Civitas illa magna, in qua divites*
, *facti ſunt omnes, qui habebant naves in mari, de pretiis ejus: quoniam*
, *una hora deſolata eſt. (v. 20.) Exulta ſuper eam cœlum, & ſancti Apo-*
, *ſtoli, & Prophetæ, quoniam judicavit Deus, judicium veſtrum de illa.*
, *(v. 21.) Et ſuſtulit unus Angelus fortis lapidem quaſi molarem ma-*
, *gnum, & miſit in mare dicens, Hoc impetu mittetur Babylon Civitas*
, *illa magna, & ultra jam non invenietur. (v. 22.) Et vox citharœdorum,*
, *& muſicorum, & tibia canentium, & tuba non audietur in te amplius:*
, *& omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius, & vox mo-*
, *læ non audietur in te amplius: (v. 23.) Et lux lucernæ non lucebit in te*
, *amplius: & vox ſponſi & ſponſæ non audietur adhuc in te: quia merca-*
, *tores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes*
, *gentes. (v. 24.) Et in ea ſanguis Prophetarum & ſanctorum inventus*
, *eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra.*

§. I.

## §. I.

### *Prophetia de lapſu Babylonis.*

1. POST HÆC, id eſt, poſtquàm implêſſet illa Civitas menſuram ſcelerum ſuorum: VIDI, inquit, ALIUM ab his ſeptem, *Angelum*, DESCENDENTEM DE COELO: qui repræſentabat POTESTATEM ipſius DEI MAGNAM, tùm ad ulciſcendam ſe de hac Civitate damnandâ, tùm ad *illuminandum* populum ſuum ut ex illa exeat & *gloriam* annuntiandum. Ferè ſicut Gen. 18. dictum fuit de Angelo deſcendente contra Civitatem Sodomam: qui cùm repræſentaret perſonam Domini, ajebat v.20.& 21. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis: deſcendam & videbo*, &c. Cui pro fine erat tùm ut Sodoma deleretur, tùm ut Lot cum ſuis ſalvaretur.

Deſcenſus Angeli.

Igitur noſter ille Angelus velut clamori hujus alterius Sodomæ reddit reciprocum *clamorem fortem*, CECIDIT, CECIDIT: qua eâdem formulâ uſus eſt Iſaias cap. 21. v. 9. *Cecidit, cecidit Babylon*: verbis præteritis, quod commune eſt Prophetis ſic eventura cernentibus ac ſi jam viderent evenisse: mox enim annectit hîc verba futuri temporis, v.8. & ſeqq. VENIENT PLAGÆ EJUS &c.

Clamor contra Civitatem.

2. Bis dicitur, *Cecidit*: quia, ut explicatur v. 6. recipiet duplicia: & ſua quæ patravit, & aliena ad quæ ſeduxit. ET FACTA EST, inquit, HABITATIO DÆMONIORUM, propter ſuperſtitionem quam luet; ET CUSTODIA OMNIS SPIRITUS IMMUNDI, propter vitia polygamiæ atque impudicitiæ; ET OMNIS VOLUCRIS IMMUNDÆ ET ODIBILIS; propter ſuperbiam & rapinas execrabiles. Vah! cujus malitiæ propinatæ, ſimul & *vini* IRÆ DEI (eâdem phraſi qua Apoc.14.v.8. & in pſal. 77. dicitur DEUS v.65. *tanquàm potens crapulatus à vino*, id eſt quaſi ebrius & nimium ſatur ſcelerum perpetratorum) conſortes effectæ ſunt GENTES, REGES TERRÆ, ET MERCATORES TERRENORUM DE VIRTUTE DELICIARUM EJUS DIVITES FACTI.

Hæc de Cœlo Vox Angeli & clamor præſagus damnationis.

3. *Alia* verò multò, & benigna *Vox*, etiam DE COELO, ſalutifera pro illuminandis electis & educendis: EXITE DE ILLA POPULUS MEUS: UT NE PARTICIPES SITIS ſicut DELICTORUM EJUS, ſic vindictæ. Verba ſunt Prophetarum: Iſa.52. v. 1. *Exite de medio ejus.* & Jer. 50. v. 8. *recedite de medio Babylonis*: & cap. 51. v.6. *fugite de medio Babylonis, & ſalvet unuſquiſque animam ſuam.* Quæ in Apocalypſi dicuntur hoc

Vox: exite.

hoc sensu: Vos qui de populo meo vultis esse, eripite vos maturè de cohabitatione ejus, de conversatione, de contagione, de communione vel infidelitatis ejus vel schismatis in regione illa. QUONIAM, inquit, PERVENERUNT PECCATA EJUS USQUE AD COELUM, coram quo clamor invaluit peccatorum: ET RECORDATUS EST DOMINUS INIQUITATUM EJUS quas dissimulaverat diu velut oblitus.

Reddite illi: Quin immò vos REDDITE ILLI: prævidete cur ego affligam: dum enim vestro nomine & causâ ego reddam, vos censebimini reddere. *Nolite*, ait Jeremias l. c. *tacere iniquitatem ejus.* Dicite recta esse Judicia DEI, pro eo quòd & ipsa scelesta fuit apostatrix, & vos conata est aut pellicere aut opprimere: DUPLICATE illi DUPLICIA SECUNDUM OPERA EJUS; sua, & aliena, quorum rea est. Comprobate Justitiam DEI & pœnam duplicem; cùm hujus temporis, tùm æternam. *Quoniam*, ut pergit Jeremias l. c. *tempus ultionis est Domino; vicissitudinem ipse retribuet ei.* IN POCULO, inquit Apocalypsis, QUO MISCUIT, MISCETE ILLI DUPLUM. Hæc est enim vicissitudo: quòd illud ejus poculũ aureũ in manu sua (cap. præcedente v. 4.) illud splendoris ac pretii Imperialis, illa speciosa illecebra, ut vocat hoc poculum S. Ambrosius (lib. de Elia cap. 15.) fiat in manu DEI poculum fletus ac *luctus*, ipsi & complicibus ejus: cum mensura æquali *tormenti* & doloris ad id quo GLORIFICAVIT SE ET IN DELICIIS FUIT; ipsi & gentibus quas potavit propinatrix. sic enim, de hujus poculi ac mensuræ vice reddendâ loquitur Jeremias, in figura quæ præcessit devastatæ Babylonis olim per Cyrum & Persas, DEO vindice tyrannidis in captivos: *Calix*, ait cap. 51. v. 7. *aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram; de vino ejus biberunt gentes, & ideò commotæ sunt*: vel, ut habet codex Arabicus, *biberunt omnes populi, & Babylonizati sunt*, id est, in eandem confusionem mutati.

(Margin: Duplicia.)

## §. II.

### *Planctus super eam terrestrium.*

Nescit se viduam! 1. MIseram, quæ IN CORDE SUO sibi intus canit & DICIT; SEDEO REGINA! immersa præsentibus deliciis & gloriabunda Sede & Imperio Bestiæ: ET, oblitâ Sedis atque Imperii antiqui, dicit; VIDUA NON SUM: quasi verò non sit notoriè vidua Christo, quem deseruit, suo quondam Sponso, cui juraverat, & quem amplexa erat inde à primâ sui amplificatione, & sceptro & nomine acceptis per Constantinum Magnum in tanto splendore & tàm diuturno; translatis ad infideles ac denique

nique devolvendis ad Antichristum; quo tempore, digno se præmio, evertetur ac redigetur in cineres, adeò ut obstupescant qui VIDERINT FUMUM INCENDII EJUS. IN UNA enim DIE VENIENT PLAGÆ EJUS, simul MORS ET LUCTUS ET FAMES, ET IGNE COMBURETUR: QUIA FORTIS EST DEUS QUI potentem potenter JUDICABIT ILLAM & ulciscetur.

Retrospexit Apocalypsis ad verba Babylonis, Isa.47.v.8. *quæ dicis in corde tuo: non sedebo vidua.*

Planctus terrestrium. 2. Erunt tunc qui SUPER ILLAM PLANGENT, non tàm illam quàm SE & suámmet jacturam, homines triplicis generis terrenorum amatores, Primò (v.9.&10.) REGES TERRÆ: tùm ii ipsi qui operam suam collocaverunt (secreto DEI impulsu, ut vidimus cap.17.v.17.) in illa subvertenda: tùm alii Reges cum ea versati nuper in deliciis regiis. Hi non sine *fletu & timore* ob horrorem talis de ea judicii ac vicissitudinis TORMENTORUM contemplabuntur cineres tantæ fortitudinis ac potentiæ regiæ: VÆ, VÆ, inquient, CIVITAS ILLA FORTIS! Sed enim fortior est DEUS à quo VENIT JUDICIUM TUUM.

Secundò (v.11. & seqq.) NEGOTIATORES TERRÆ qui in illud emporium convehebant MERCES *aureas, lapides pretiosos, margaritas, byssum & coccum,* ac rara cætera ex toto Oriente: inter quæ OMNE LIGNUM THYINUM; sive eo nomine significetur odoratum lignum omnis generis (græcè θύϊνον;) sive certum genus arboris thyæ, quæ Constantinopoli in pretio & usu est in contignationibus: de qua arbore Plinius lib. 13.cap.16. *Trogate,* inquit, *vocatur, ab aliis Thya*: & citat Theophrastum, qui *huic arbori magnum,* inquit, *honorem tribuit quandamque immortalitatem materiæ in tectis contra omnia vitia incorruptæ* Hæc Plinius. Addit Apocalypsis plura his, ac nominatim *odoramenta, unguenta, thus* &c. demum & *mancipia*: & quod fuit luctuosissimum, atque emphaticè dicitur (v.13.) *animas hominum* venales! Jam illæ delitiæ, POMA *tua desiderabilia*, exquisitorum omne genus fructuum, OMNIA PINGUIA ET PRÆCLARA, PERIERUNT A TE; ET AMPLIUS ILLA JAM NON INVENIENT penes te. Similiter MERCATORES HORUM, multitudo propolarum illius urbis ac ditionis: qui inferri illuc solita coëmebant & vænùm iterum exponebant in tabernis ac popinis, mercatu suo DIVITES in ea FACTI. Etiam hi AB EA LONGE STABUNT, & *dicent* cum terrore & lamentis: VÆ, VÆ, QUONIAM UNA HORA DESTITUTÆ SUNT TANTÆ DIVITIÆ!

Exultatio cœlitum. Tertium genus plangentium (v.17. & duobus seqq.) maritimi: OMNIS GUBERNATOR classium, ET OMNIS QUI IN LACUM NAVIGAT, Bosphorum & Propontidem & Pontum: ET QUI IN MARI OPERANTUR, Archipelago, quod alluit: hi MISERUNT PULVEREM SUPER CAPITA SUA: VÆ,

VÆ, VÆ ob sublatam navigationem & amœnitatem atque opportunitatem portus, & commercium ex hac Civitate maritimum, IN QUA DIVITES FACTI SUNT OMNES QUI HABEBANT NAVES IN MARI.

3. Planctus similis describitur fusè Ezech. 27. super Tyro, per Negotiatores, nautas, gubernatores maris, habitatores insularum & Reges perculsos.

In hoc planctu Apocalyptico ter dicitur de repentina ejus clade: *quoniam* UNA HORA, inquiunt Reges (v. 10.) *venit judicium tuum*, (sicut paulò antè Angelus v. 18. *in una die venient plagæ.*) & Mercatores (v. 17.) *quoniam* UNA HORA *destitutæ divitiæ.* & Navales (v. 19.) *quoniam* UNA HORA *desolata est!* Ergo Eccli. 11. v. 29. *Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ* (luxus magni & pompæ;) *& in fine hominis* (& quantæcunque civitatis hominum) *denudatio operum illius.*

Exultatio cœlitum. Solum COELUM, cui non fuit hoc repentinum sed prævisum, jubetur (v. 20.) *exultare* SUPER EAM: ET SANCTI APOSTOLI ET PROPHETÆ ad quos dicitur; JUDICAVIT DEUS JUDICIUM VESTRUM DE ILLA: tùm quia vindicavit abnegatam & proculcatam doctrinam quam vos prædicâstis: tùm quia sanguinis vestri & persecutionis, contra vos, in posteris vestris se participem fecit.

## COROLLARIUM.

Atque ex his, in hoc §. dictis, magis liquet prophetari de Constantinopoli.

Nam, ut taceam primò ad Regum planctum pertinere *fortitudinem* urbis (v. 10.) & munimenta terrestria maritimáque in utroque littore Europæo & Asiatico: amplitudinem urbis, & circuitum portarum trium & viginti: ipsúmque inprimis incomparabilem ac planè Regium situm in faucibus Europæ atque Asiæ, quo præ se fert arcem ac Principatum maris & terrarum: Tum deinde Basilicas, ac Purpuratorum habitationes, atque opera publica perquàm magnifica (nam privatum vulgus in humiliorem formam immutavit ædificia sua:) inter quæ sunt Thermæ centum, & ex his quinquaginta majores & geminæ, ut altera sit pars pro viris altera pro mulieribus: nec non Hospitia publica in quorum illustrioribus aquæ saliunt in atrii area media, ductæ ex suburbanis regali magnificentia. De Thermis Leunclavius lib. 15. historiæ Muselmannæ: *Balnea*, inquit, *multa quibus similia nullus in orbe terrarum conspexit.* 1. Planctus Regum.

Secundò, ut præteream ea quæ spectat planctus Mercatorum: commercium & vecturam facilem ex utroque mari: & quæ dicuntur de opulentia *mercium* (v. 12.) & *fructibus desiderabilibus* v. 14. quibus omnigenis, omnis temporis, fora sunt plena: de campo frumentario Thracio quaquaversum 2. Mercatorũ:

ampliore quàm sit septidui, alicubi viginti & eò ampliùs dierum itinere: præter Asiam contiguam, ubertate agrorum frumentariorum & pastu propinquem. De *lignorum*, quoniam & hæc commemorantur in Apocalypsi (v.12.) abundantia: sylvis vastissimis, perennibus, longis itinere plus quàm quadraginta dierum, continuatis à Propontide ad Colchos ac multò ulterius: ut non modò sibi ac vicinis, verùm etiam longinquis, atque adeò ipsi Ægypto, Sinui Arabico, atque Africæ materiam suppeditet in ædium naviúmque fabricam; soláque ex maximis urbibus sit Constantinopolis quæ nunquàm incidere posse videatur in lignorum penuriam. De vini exundantia, scilicet Turcis prohibiti: quod fert ipsa habetque oram Bosphori, Propontidis, & Hellesponti consitam vinetis (ita ut Menander comicus scriptum reliquerit: *Omnes Mercatores temulentos facit Byzantium*) & compendio navigationis propè infinita genera habere potest illius aliarúmque deliciarum, *odoramentorum* Arabiæ ac rerum pretiosarum totius Orientis.

Mariti-morum. Ut hæc igitur omittam: Certè is qui est tertius planctus (v. 17.) *nautarum & qui in mari operantur*, maximè propriè cadit in Constantinopolim: quæ peninsula est; & mari, undique portuoso, cingitur ex tribus partibus: à meridie quidem Propontide, ab Oriente Bosphori freto, ab Aquilone Sinu seu lacu maris, cui nomen Ceratinus, omnium portuosissimo, trajectúque prompto in Europam & Asiam. Cujus vastitatem Civitatis & navigationis jacturam necesse est magni caussam fore clamoris: ac nominatim eorum de quibus dicitur v. 19. *in qua divites facti sunt omnes qui habebant naves in mari.*

Nam quòd cum stupore planguntur, v.17. *destitutæ tantæ divitiæ*: auctor est Sozomenus lib.2.hist. Eccl. cap. 2. jam tum suo ævo *tantum* crevisse, *ut tùm frequentiâ hominum, tùm pecuniæ & divitiarum abundantiâ, Romam omnium consensu longè superaret.* Scriptor verò historiæ Muselmannæ supra laudatus, de Mahomete illo primo Imperatore Turcarum addit etiam amplificasse: *Constantinopolim*, inquit, *totam renovavit, incolarúmque numero & copiis auxit, ut in universi hujus orbis terrarum finibus NULLAM URBEM huic PAREM posse reperiri plerique testentur. Hæc* Leunclavius l. c. Nempè hoc ipsum suis verbis dicunt in Apocalypsi nostra, v.18. QUÆ SIMILIS CIVITATI HUIC MAGNÆ? & quinquies hoc cognomine appellatur (cap. 17. v. 18. & cap. 18. v. 10. & 18. 21.)

Pars utique Apocalypseos magna tantò ante prophetatæ! Sedes Imperii Bestialis: & descriptio evidens ac tam fusè (totis duobus Capitibus usque in tertium: ut proinde nobis etiam licuerit esse longioribus) Civitatis quæ apostatavit à Christo, & pro eo quòd fuit sacri Romani Imperii, facta est Turcica meretrix.

§. III.

## §. III.

### *Repræsentatio ejus ruinæ.*

1. COmmodùm exultante Cœlo UNUS ex *Angelis* accedit, (v.21.) repræsentaturus excidium prophetatum. Is pro sua *fortitudine* apprehendit LAPIDEM QUASI MOLAREM MAGNUM, & injiciens *mari*: HOC IMPETU, ait, MITTETUR BABYLON CIVITAS ILLA MAGNA: submergetur in profundo malorum æterno; eo pondere & gravitate calamitatis; eâ celeritate ac vehementiâ lapsus; eâ ruinâ irrecuperabili, quæ est quasi molaris lapidis; eâ subita contritione & comminutione tanquàm à forti Angelo, de qua Jer. 51. v.8. *Subitò cecidit Babylon & contrita est*: eâ jacturâ sempiterna, de qua S. Joannes addit; ET ULTRA JAM NON INVENIETUR.

Profundũ supplicii.

2. Ex hoc desperatio omnis *cantus* in toga; omnis *tubæ* in sago: cessabit artifex: desinet opus MOLÆ, seu operæ manciporum: nullum lumen LUCERNÆ, nedum splendor Imperii: *sponsalia*, voluptas, & pompa nulla. Commemoratio horum est initium luctus æterni: *Transierunt omnia illa tanquàm umbra*, & cætera cantici lugubris infernalis quod habetur descriptum Sap. 5. v. 9. & seqq. *Talia dixerunt in Inferno hi qui peccaverunt.*

Desperatum:

Jam enim sæpè diximus, hæc ita prophetari de excidio urbis Constantino-politanæ temporibus Antichristi: ut simul excidium antiquæ Romæ sit in mente pro Idea futuri: simul figuretur interitus Collectionis omnium reproborum quæ est Civitas & Imperium infidele Principis mundi. Unde fit, ut cum hæc tria sint ob oculos prophetanti, quædam obiter attingat quæ videantur apertiùs convenire Ideæ; ut, de sanguine effuso Prophetarum & Apostolorum, quod potius convenit antiquæ Romæ ut prototypo: quædam verò quæ expressius in Collectionem cadant reproborum; ut, quando loquitur de tormentis Civitatis eversæ, & de incendio fumante in sæcula æterna.

3. Denuntiatur Civitati, hæc omnia ei eventura in pœnam criminum, quæ tria recensentur: primum superbia. QUIA Principes habuerit pro Mercatoribus: MERCATORES TUI, ait, ERANT PRINCIPES TERRÆ. Secundum superstitio qua incantavit Orientem: IN VENEFICIIS TUIS ERRAVERUNT OMNES GENTES. Tertium odium & bella injusta in Christianos: adscribetur tibi SANGUIS PROPHETARUM ET SANCTORUM tanquàm in te INVENTUS, quæ imitata es persecutores illorum: ET sanguis OMNIUM

Justum.

QUI INTERFECTI SUNT IN TERRA: eâdem ferè phrasi, qua Christus de Jerosolyma; cujus etiam excidii olim præteriti quædam fit insinuatio & cum illa comparatio: Matth. 23. v. 35. *ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram à sanguine Abel justi.*

Hactenus quarta Visio, in hac secunda Parte Apocalypseos.

# TRACTATUS XXVIII.

## IN PARTEM CAPITIS XIX.

Continetur hoc Capite Visio quæ est quinta ordine: præparatoria Nuptæ, quæ & ipsa habet nomen militantis: & solemnis apparitio militaris; Christi cum suo exercitu venientis pro ea contra Antichristum.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 19. Versu 1. & seqq.) *Post hæc audivi quasi vocem turba-*
*, rum multarum in cœlo dicentium: Alleluja: salus, & gloria, & virtus*
*, Deo nostro est.* (v.2.) *Quia vera & justa judicia sunt ejus, qui judica-*
*, vit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, &*
*, vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus.* (v.3.) *Et*
*, iterum dixerunt: Alleluja. Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculo-*
*, rum.* (v.4.) *Et ceciderunt seniores viginti quatuor & quatuor anima-*
*, lia, & adoraverunt Deum sedentem super thronum dicentes: Amen:*
*, alleluja!* (v.5.) *Et vox de throno exivit, dicens: laudem dicite Deo*
*, nostro omnes servi ejus: & qui timetis eum, pusilli & magni.* (v.6.)
*, Et audivi quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multa-*
*, rum, & sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluja. Quo-*
*, niam regnavit Dominus Deus noster Omnipotens.* (v.7.) *Gaudeamus*
*, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ agni, & uxor*
*, ejus præparavit se.* (v.8.) *Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splen-*
*, denti & candido. Byssinum enim justificationes sunt Sanctorum.*
*,* (v.9.) *Et dixit mihi: Scribe: Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vo-*
*, cati sunt, & dicit mihi: Hæc verba Dei vera sunt.* (v.10.) *Et cecidi*
*, ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi: vide ne feceris: con-*
*servus*

„ *servus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu.*
„ *Deum adora; Testimonium enim Iesu, est spiritus prophetiæ.* (v.11.)
„ *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum,*
„ *vocabatur fidelis, & verax, & cum justitia judicat & pugnat.* (v.12.)
„ *Oculi autem ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa,*
„ *habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse.* (v.13.) *Et vestitus*
„ *erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen ejus verbum Dei.* (v.14.)
„ *Et Exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti*
„ *byssino albo & mundo.* (v.15.) *Et de ore ejus procedit gladius ex utra-*
„ *que parte acutus: ut in ipso percutiat gentes. Et ipse reget eas in virga*
„ *ferrea: & ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei Omnipotentis.*
„ (v.16.) *Et habet in vestimento & in femore suo scriptum: Rex Regum,*
„ *& Dominus dominantium.* (v.17.) *Et vidi unum Angelum stantem*
„ *in sole, & clamavit voce magna, dicens omnibus avibus, quæ volabant*
„ *per medium cœli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei;*
„ (v.18.) *Vt manducetis carnes Regum, & carnes tribunorum, & car-*
„ *nes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes om-*
„ *nium liberorum, & servorum, & pusillorum, & magnorum.*

## §. I.

### *Applausus Regno & Nuptiis Agni.*

1. Consonat initium hujus Capitis ei quod dicebatur in Capite præcedente, v.20. *Exulta Cœlum.*

Nempè Justitia DEI, materia est exultationis sicut DEO ipsi, sic Beatis ejus: quorum urbi canticum proprium est illud de quo Tobias cap. 13. v. 22. *per vicos ejus alleluja cantabitur.* Unde hîc in Apocalypsi multiplex ingeminatio Allelu-ja (Hebraicè: laudate DEUM.) Primùm de sententia damnationis lata adversus *Meretricem* QUÆ CORRUPIT TERRAM, coram qua palàm *prostituit se*, auctor ad amplectendam Infidelitatem. *Dicunt turbæ* omnes quæ IN COELO sunt, verè & justè judicatum esse: ALLELUJA, inquiunt, SALUS ET GLORIA ET VIRTUS DEO NOSTRO EST: Salus ab illo; gloria illi; virtus penes illum sicut salvandi sic & damnandi. Addunt de *vindicta* sumptâ de *sanguine* SERVORUM DEI; quod est ITERUM ALLELUJA. Nec non de pœna inflictâ Meretrici, igne ac *fumo æterno*, tertium ALLELUJA; quod dicitur

Alleluja super vindicta.

cum

cum aſſeveratione, AMEN, 24. *Seniorum Eccleſiæ & 4. Animalium* quæ repræſentant Evangelia & Doctores ejus, *adorantium* DEUM veridicum & juſtum.

Cui orthodoxorum non eſt manifeſtum, hæc nequaquam convenire hodiernæ Romæ? quæ à prima ſui converſione nunquam deſcivit à fide Chriſti, & de qua tantæ laudes Patrum; ad quam, teſte S. Cypriano, *perfidia habere non poſſit acceſſum.* (ep. 55. ad Cornel.)

Alleluja ſuper adventu nuptiarum. Præparatio Nuptæ.

2. Tum verò (v.5.) DE THRONO VOX & invitatio omnium ad gratulationem ſuper cauſa exultationis aliâ: & obeditio TURBÆ MAGNÆ SICUT AQUARUM MULTARUM, ET TONITRUORUM reſonantium LAUDEM, ALLELUJA novum: propter adventum *Regni* DEI, & adventum *Nuptiarum Agni*, ac *præparationem* Sponſæ. QUONIAM REGNAVIT, inquiunt, DOMINUS DEUS NOSTER OMNIPOTENS: & QUIA VENERUNT NUPTIÆ AGNI, ET UXOR EJUS PRÆPARAVIT SE: illa de qua S. Auguſtinus in pſalmum 127. *Uxor ejus, Eccleſia ejus.*

Ea præparatio dicitur eſſe quòd *cooperuerit* SE BYSSINO NITENTI ET CANDIDO. quæ Byſſus conſiſtit in *ſanctitate* & *juſtitia* (Luc. 1. v.75.) coram ipſo Sponſo, à quo *data* fuerat gratis, ac deinde ornata cumulatáque operibus majoris *juſtificationis*, ac præcipuè patientiâ in perſecutionibus; tanquàm linum (hoc eſt enim byſſus, pretioſiſſimum veteribus) à multa tunſione & carminatione purius ac ſplendidius, græcè καθαρὸν καὶ λαμπρόν.

3. Occaſione Nuptiarum, audit Joannes mandantem: SCRIBE; BEATI QUI AD COENAM NUPTIARUM AGNI VOCATI SUNT. Dicitur *Cœna*: quia in mundi veſpere, in Beatitudine, de qua ſermo eſt Luc.14. v.15. nam *prandium* nuptiale Matth.22. v.4. celebratur in deſponſatione in terris; in quo etiam qui comparuerit, vocatus, poteſt ejici: at non è cœna Beatorum.

Deo ſoli latria.

Hîc cum adderetur, VERBA HÆC eſſe DEI: *cecidit* adoraturus latriâ: ut expreſsè hunc locum explicat S.Doctor Auguſtinus lib.1. quæſt. ſuper Gen. q.61. ubi cùm diſtinxiſſet inter quamlibet adorationem & inter eam quam Græci vocant λατρέυειν, docet Angelum prohibuiſſe adorari ſe iſto modo qui non niſi DEO deberur: *Talis enim,* inquit, *apparuerat Angelus, ut pro* DEO *poſſet adorari: & ideò fuerat corrigendus Auditor.*

Quamobrem manifeſtans ſe Angelum eſſe: VIDE, ait, NE FECERIS: DEUM ADORA: nam, CONSERVUS TUUS SUM qui TESTIMONIUM exhibeo DEO, prophetando apud te (hanc Apocalypſin JESU CHRISTI ad quod miſſus ſum ab illo Apoc.1.v.1.& 2.) quò & tu exhibeas par teſtimonium apud genus humanũ. SPIRITUS ENIM PROPHETIÆ omnis EST TESTIMONIUM JESU: & quicunque perhibent illud, tu & *fratres tui*, mecum *ſervi* ſunt JESU.

§. II.

## §. II.

### *Christus cum exercitu.*

Aperiuntur acies cœlestes:

1. HIs auditis, VIDI, ait, COELUM APERTUM & in illo instructam aciem: Christo Equite albo præeunte, laturo auxilium & constantiam Christianis contra Antichristum. Neque enim in illa immani persecutione, temporibus Antichristianis, destituet Christus Ecclesiam: ne sit dicere quod puer Elisæi dicebat, oculis nondum apertis, 4. Reg. 6. v. 15. *Heu, heu Domine mi, quid faciemus?* sed pro magnitudine tentationis multiplicabit auxilia, & dabit proventum turmis Martyrum, quæ hîc repræsentantur, trahendis gratiâ & exemplo Christi atque intercessione Beatorum.

Auxiliares, Ecclesiæ.

Christus Dux.

2. Prout igitur Christus, ille idem Sessor *Equi albi*, qui exibat vincens ut vinceret, in prima Parte Apocalypseos Capite 6. v. 2. Assignantur ei hoc in loco nomina quatuor: quorum primum & postremum ei conveniunt ut homini, ob naturam humanam hypostaticè assumptam: in primò exerit se (v. 16.) officium *Judicis*, quod accepit quia Filius hominis est, (qui possit videri ab omnibus pro tribunali.) Joan. 5. v. 27. cujus propriè est *fidelem* esse in protegendis & remunerandis electis, & *veracem* in persequendis & condemnandis reprobis. In postremo titulus *Regis* (v. 16.) ipsa est Sedes David patris ejus, Luc. 1. v. 32. quæ ei convenit nato de femore Patriarcharum, Gen. 24. v. 3. & cap. 47. v. 29. Unde hunc titulum HABET IN VESTIMENTO (*habitu* quo *indutus* est *ut homo*) ET IN FEMORE SUO SCRIPTUM; REX REGUM ET DOMINUS DOMINANTIUM. Alia duo nomina ei conveniunt ut DEO: quorum alterum est essentiale, alterum personale: illud (v. 12.) commune tribus Personis, quod intellectu obscurum mortalibus & ineffabile (describitur Exod. 3. v. 14. QUI EST) comprehensibile soli DEO, QUOD NEMO NOVIT, inquit, NISI IPSE: istud singulare Personæ ejus, (v. 13.) VERBUM DEI, æquè incomprehensibile, sed manifestius ex quo caro factum. Hæc de *nomine* Equitis: sequitur descriptio ejusdem:

OCULI AUTEM EJUS SICUT FLAMMA IGNIS: tùm ad illuminandum & accendendum electos milites suos amore divino (quò spectabat Capite 1. Apocalypseos v. 14.) juxta psalmum 43. v. 4. *dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui*: tùm ad perterrefaciendum hostes & ulciscendum, psal. 33. v. 17. *vultus autem Domini super facientes mala.*

IN CAPITE EJUS DIADEMATA conglobata è *multis*: quia Rex Regum & Regnorum est. Et à diadematis, ut Regi simul & Pontifici, pendula inscriptio nominis Sacrosancti.

sancti. VESTE ASPERSA SANGUINE: ut in illa secum ferat notas & ostendat, cùm propitias, tùm ultrices sanguinis sui suorumque effusi.

DE ORE EJUS PROCEDIT GLADIUS EX UTRAQUE PARTE ACUTUS: gladius spiritus verbi sui & imperii: UT IPSO PERCUTIAT GENTES, Utravis ex parte, cùm ad propugnationem suorum & salutem, tùm ad oppugnationem hostium & condemnationem:

*Recturus* EAS IN VIRGA FERREA: id est, ait S. Augustinus in psalmum 2. *in inflexibili Justitia.*

IPSE sicut calcaverat torcular in passione sua, ut exprimeretur vinum novum quod bibent Electi ejus in regno DEI (Matth. 26. v. 29.) idem is QUI CALCAT TORCULAR adversus reprobos VINI FURORIS, IRÆ DEI (de quo *bibent omnes peccatores terræ* (psal. 74. v. 9.) *omnipotenter* exundantis.

Equitatus Christi.

3. Sic descripta præeuntis Equitis premit vestigia reliquus Equitatus: v. 14. ET EXERCITUS, ait, QUI SUNT IN COELO, SEQUEBANTUR EUM IN EQUIS similiter ALBIS: omnes VESTITI BYSSINO ALBO ET MUNDO. Hi sunt exercitus Christi: quorum pars est in Cœlo triumphante; pars in Cœlo militante. Illi secuti dudum & beati victoriâ partâ post Christum. Isti adhuc eundem sequuntur spe victoriæ; Christiani certaturi contra Antichristum: præside S. Michaële (Dan. 12. v. 1.) & SS. Angelis: toto Cœlo protectore, inspectore pugnæ, & hortatore: semper supremo moderatore Christo, Capite corporis sui. Vestiverunt se byssino, de quo paulò ante v. 8. *splendenti & candido*, quod exposuit esse *Justificationes Sanctorum*, & præparationem esse nuptæ militantis: omnis Equitatus albus, quod est omen felicis prælii & tessera imitationis Christi.

## §. III.

### *Præsagium victoriæ de exercitibus adversariis.*

Prænuntius victoriæ:

1. DUm adversus Sessorem Equi albi & Exercitum ejus opponit se *Bestia* unà cum suis Copiis AD committendum PRÆLIUM, ut dicitur v. 19. apparet *Angelus* prodromus victoriæ; *stans* IN SOLE, annuntiaturus eam in oculis totius mundi: (v. 17.) Typus Antistitis & præconum Evangelicorum, qui non deerunt hoc tempore prælii & sustinendæ persecutionis, in terris; Ducibus Enoch & Elia, de quibus sup. cap. 11. & rursum inferius Tract. seq. §. 2.

Avium convocatio:

2. CLAMAVIT Angelus VOCE MAGNA, exhortator & nuntius OMNIBUS AVIBUS QUÆ VOLABANT PER MEDIUM COELI sui. Juvat (quod erit hujus solius loci Apocalypseos) per has aves intelligere fideles illius temporis. Nam &

S. Gre-

S.Gregor. alicubi per volucres in Scriptura intellexit pios Christianos. *Volucres*, inquit, (lib. 19. mor. cap. 1.) *id est, sanctæ animæ quæ quibusdam virtutum pennis à terrena cogitatione se sublevant.* His pennis librabunt se quotquot in tanta persecutione & periculo, sublimes in fide, volitabunt per medium Cœli inferioris, quod est Ecclesia, non sine sancta trepidatione ac fuga dispersi. Quibus Angelus, Episcopus tunc pervigil Ecclesiæ universalis, præsto erit suâ suorúmque prædicatione & consolatione prænuntiâ oraculorum temporis abbreviati, & imminentis internecionis Antichristo, quàm expectare debeant & ad catastrophen hujus belli videndam anhelare, convolando intrepidè ac plaudendo alis.

Respicit Apocalypsis ad prophetiam Ezechielis, cap. 39. de his iisdem hostibus quos vocat Gog & Magog; v. 1. *Ecce ego super te Gog* & v. 4. *cades tu & agmina tua, & populi tui qui sunt tecum: feris, avibus, omníque volatili & bestiis terræ dedi te ad devorandum.* Et v. 17. Deus ad Ezechielem: *dic omni volucri & universis avibus cunctísque bestiis agri, convenite, properate, concurrite undique &c.* Similibus verbis hic Angelus: neque enim necessariò simili undequaque sensu verborum (siquidem feras, aves & bestias Ezechielis in partem sinisteriorem expositur sumus) invitat omnes aves; sciant se *congregari* AD COENAM MAGNAM DEI: Ezechiel habet v. 17. *ad victimam meam.* Angelus: UT MANDUCETIS, inquit, CARNES REGUM, TRIBUNORUM, FORTIUM, ET CARNES EQUORUM ET SEDENTIVM IN IPSIS, &c. Ezechiel habet v. 18. *carnes fortium comedetis & sanguinem Principum terræ bibetis.* & v. 20. *saturabimini super mensam meam* (quam vobis insterno) *de equo & equite forti, & de universis viris bellatoribus, ait Dominus* Deus.

3. Respondítque eventus: prout videbimus in v. 21. Tractatu 30. §. 3. Et vaticinium de satu-ritate.

Neque potuit melius describi saturitas justæ vindictæ, & plenitudo victoriæ, quæ est devorasse hostes Dei & suos.

Modus autem, quo illa clades præliantis Antichristi, & illa salus Israëlis contingent, eruendus est ex paucis verbis quæ inseruntur in Apocalypsi hîc v. 20. & 21. & in Cap. sequente ubi mentio fit Gog, v. 7. & seqq. simul conjunctis cum Prophetia Danielis & Ezechielis, ad quam Scripturas respicit & non obscurè se refert narratio hujus loci Apocalypseos. De qua tota re quid tradatur, dicemus breviter in Tractatu sequente; cui hoc peculiariter reservavimus: De Ezechiele autem alii quoque Tractatui qui erit 32dus ubi aliam ex S. Hieronymo adjiciemus interpretationem, multò diversam, de volucribus & feris Ezechielis in exitio Gog.

# TRACTATUS XXIX.

## IN DUOS PENULTIMOS VERSUS CAPITIS XIX.

Versamur in Visione quinta secundæ Partis Apocal.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 19. Vers. 19. & 20.) *Et vidi bestiam, & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos, ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo & cum exercitu ejus.* (v. 20.) *Et apprehensa est bestia, & cum eo pseudopropheta: qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in signum ignis ardentis sulphure.*

### §. I.

### *Exercitus Antichristianus.*

Copiæ Antichristianæ:

1. VIderat Joannes ex una parte militiam sanctam Christianorum: ex parte altera videt copias hostiles impias ad atrocissimum illis bellum inferendum: *Bestiam* inprimis & *Pseudoprophetam* qui CUM EA conjungitur v. 20. REGES quoque TERRÆ, quos traxerunt Bestia & Antichristus in suas partes: ET EXERCITUS EORUM CONGREGATOS. Quæ singula brevi explanatione indigent.

Exposuimus, per *Bestiam* designari Imperium infidele: quòd hîc jam est pseudo-Judaicum. *Unà* CUM *Bestia* est Antichristus, PSEUDOPROPHETA ille singularis & magnus qui Messias falsorum Judæorum, re enim ipsâ infidelium: is QUI FECIT SIGNA *magna*, quod de Antichristo dictum fuit cap. 13. v. 13. ipse quoque ibidem cognominatus *Bestia alia*, quia cum suis Judæis constituit speciem novi Imperii, cùm revera tantùm addiderit priori Bestiæ, Imperio Mahometano, colorem & imaginem novam, prout sæpiùs diximus. *Reges* terræ sunt ii, quos Antichristus sibi devinxit vel subjecit, unà cum regionibus quas attraxit. EXERCITUS sunt illa tota ex quatuor angulis terræ, ut dicitur Capite sequente v. 7. multitudo; cùm Judæo-

Judæorum; exasperatissima contra Christianos, tùm eorum qui se his adjunxerunt & Judaizantis orbis terræ.

Congregatio earum: 2. Quod dicitur, vidisse CONGREGATOS: non est accipiendum de loco; quasi in eundem omnes campum sint descensuri ad pugnam: sed in eo sensu, quo Ecclesia est & dicitur Congregatio: diffusi enim erunt per orbem terrarum; perinde ut illa militans, quam oppugnant, est diffusa: consensu autem & odio atque armis persecutionis erunt iidem inter se, id quod sapientissimè observavit S. Augustinus lib. 20. de Civ. cap. 11. cujus verba libet proferre in medium:

*Hæc enim*, ait, *erit novissima persecutio, novissimo imminente Judicio, quam sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur: universa scilicet Civitas Christi ab universa Diaboli Civitate, quantacunque erit utraque super terram. Gentes quippe istæ, quas appellat Gog & Magog, non sic sunt accipiendæ, tanquàm sint aliqui in aliqua parte terrarum barbari constituti. Toto namque orbe terrarum significati sunt isti esse, cum dictum est: nationes quæ sunt in quatuor angulis terræ.* Et paulò post in Apoc. 20. versum 8. *Quod verò ait: Et ascenderunt super terræ latitudinem, & cinxerunt castra Sanctorum & dilectam Civitatem: non utique ad unum locum venisse vel venturi esse significati sunt; quasi aliquo uno loco futura sint castra Sanctorum & dilecta Civitas: cùm hæc non sit nisi Christi Ecclesia toto terrarum orbe diffusa. Ac per hoc ubicunque tunc erit, quæ in omnibus gentibus erit; quod significatum est nomine latitudinis terræ: ibi erunt castra Sanctorum: ibi erit dilecta* DEO *Civitas ejus: ibi ab omnibus inimicis suis, quia & ipsi in omnibus gentibus cum illa erunt, persecutionis illius immanitate cingetur; hoc est, in angustiis tribulationis arctabitur, urgebitur, concludetur: nec militiam suam deseret, quæ vocabulo est appellata castrorum.* Hæc Augustinus.

Genus armaturæ. 3. Similiter autem & genus PRÆLII intelligendum est præcipuè spirituale quo animæ impugnabuntur: nam in perniciem animarum omnis reliqua exquisitissima & acerrima persecutio sæviet in corpora. Neque enim arbitramur ex parte Christianorum futuros, qui tum demum exercitibus coactis obviam eant Antichristo ut resistant ferro & machinis bellicis ei qui regnorum omnium & orbis ab se domiti Monarchiam acquisierit, & *in toto* jam *orbe* regnet, ut citavimus Tract. 20. §. 3. ex S. Hieronymo in Danielem.

Enimverò hæc erunt arma Christianis: scutum fidei; & omnis *armatura* de qua Apostolus Ephes. 6. galea salutis, & gladius spiritus: constantia in confessione Christi: despicientia terrenorum & magnanimitas: fuga interim salutaris, & latebræ honestæ: præparatio ad martyrium sub vexillo Equitis albi cui *vestis aspersa sanguine* (sup. v. 13.) Aliis armis, ut habet axioma Theologorum, *martyr non pugnat.* Quamobrem toto Cœlo Apocalypseos errant, si qui aliud interpretantur bellum utrimque & arma: aut alium modum vincendi quem teneat Equitatus Christi: sicut qui & alias coronas vel lau-

laureas. Neque profectò Duces à DEO missi Enoch & Elias alio genere pugnæ præituri sunt, quando *Bestia*, ut dictum est Apoc. 11. v. 7. *faciet adversum eos bellum.*

Antichristiana verò arma hæc erunt: primùm omnis generis blanditiæ, allectamenta, illecebræ, pollicitationes: deinde insidiæ, fraus, perfidia: postremò minæ, furor, atrocitas tormentorum, &, ubi contra animam nihil profecerint, internecio corporum, quorum specimen aliquod videbimus in sequente §.

## §. II.

### *De novissimo conflictu.*

Prælium extremũ Hierosolymis.

1. MOdò expositum bellum, & ejus gerendi methodus; id est, hæc persecutio & hæc patientia Martyrum implebit totum mundum, temporibus pseudo-Messiæ. Sed erit theatrum belli singulare & extremus conflictus Hierosolymis. nam etsi, ut monuimus in §. præcedente, non omnes eodem in loco militabunt Antichristo; cujus seductio pervagabitur orbem terrarum: tamen cultissima erit id temporis Palæstina, & multò maximè urbs Hierosolyma; ad quam erit confluxus ex omnibus partibus mundi, tanquam ad Regiam in qua residebit Antichristus; & velut ad castra prætoria totius per mundum dispersi exercitus qui militat contra Christianos. Erit amplitudo urbis ingens, & pomœrio ejus verisimiliter inclusi montes vicini: ac palatia suburbana: & circùm undique omnia munita muris ac turribus & præsidio militari: in ipsa verò urbe Arx omnium superbissima, atque in Templo contiguo Sedes posita ejus, id est Antichristi, divinitati. Jam vetuit adorari aliud Numen quàm se: immani fastu quem tegunt simulata sanctitas & prodigia. Stipabitur, ultrò citróque commeaturus, satellitio Regum & Principum per quos sibi subjecit terras ac maria: quorum pars confluent, & erunt anteambulones ejus ac pedissequi. Cujus totius apparatus ei auctor erit Princeps hujus mundi & Rex superbiæ.

Duo testes, Duces Christianorum.

2. Sub hæc tempora illuc, Hierosolymam, convenient duo celebratissimi Testes Enoch & Elias, de quibus dictum est Capite 11. expectatissimi reminiscentibus Scripturas: missi à DEO, ille ex Gentibus, iste ex tribubus Israël: qui se opponent Antichristianis, gladio spiritus. Neque enim, quod in §. præcedente sumus præfati, concitabunt Christianos ad vim aliter prohibendam, aut ad aliud genus prælii quàm ad constantiam testimonii pro Christo, & ad generosè pro eo dandum sanguinem.

Hi confutabunt nequissimum impostorem, à tempore assumpti nominis Messiæ: cùm in aliis orbis partibus, in quas excurrent aut ad quas exibit

sonus

sonus eorum: tùm præsertim in Palæstina & in urbe Jerosolyma: ubi se jungent hi ambo Prædicatores ad retrahendos Israëlitas à cultu Antichristiano; ipsi cum suis asseclis, quos unà secum tuebuntur divinis prodigiis. De his illud S. Hieronymi quæst. 11. ad Algas. *quomodo virga Moysi devoravit virgas eorum* (Exod. 7. v. 12.) *ita mendacium Antichristi, Christi veritas devorabit*. etenim falsa miracula veris suis destruent, & indefesso zelo per se suósque testimonium DEO vero, circumferent, ac potenti Scripturarum sacrarum oppositione pseudo-prophetiam ejus expugnabunt.

Hoc est novissimum prælium: in quo utrimque arma expediuntur, ducibus hinc Antichristo, illinc duobus Testibus: ex parte illius seductio, prodigia mendacia, intentata vis: ex parte horum doctrina Legis & Prophetarum, miracula vera, patientia, & omnis cataphractura, ut dicebamus ex Ephes. 6. Apostolica qua hi duo sese & Christianos armabunt. Eo eventu quem S. Scriptura promittit, fore ut convertatur cor filiorum ad patres eorum, & restituantur aut instaurentur omnia.

3. Donec ipsi magni Testes Christi, sic enim dicti sunt per antonomasiam, & Testium Duces, unà cum aliis multis, testimonium prædicationis suæ finiant testimonio sanguinis, quem fundent ad extinguendum simul Antichristum. Et per martyrium victores.

Erit tunc tripudium brevissimum & triumphus Antichristianorum, adeò ut duorum occisa corpora exponant in plateis ad ludibrium & ad exemplum. Sed enim eos moriendo vicisse manifestum fiet, quando post dies tres & dimidium suscitati divinitus assumentur in Cœlum: prout dictum est Apocalypseos 11. non sine fremitu & æmulâ subitò id temporis machinatione Antichristi; de qua §. sequente.

## §. III.

### *De clade Antichristiana.*

Antichristus post Testes duos ascendet.

1. Diximus in Caput 11. Tractatu 12. fore ut resurrectionem prædictorum Testium vocet in invidiam Antichristus ac damnet ceu fallacem & magicam. Ipse verò irritatus instituet suúmmet ascensum palam omnibus in Cœlum, utpote Dominus Cœli in quod se recipiat ut suum, & ascendat descendátque quoties collibuerit. Omitto quod existimârunt quidam, simulaturum fuisse mortem & resurrectionem: pro quibus S. Gregorius lib. 11. epist. 3. obiter, & dum alia tractat, hoc solum dicit: *mori se & resurgere simulat*. Ut ut est: elatus superbiâ & impatiens moræ, fremens invidiâ, detestatus admirationem communem super duobus Testibus, implebit illud quod Daniel in fine Capitis undecimi prædixit, ex orthodo-

xorum

xorum apud S. Hieronymum, quem citabimus inferius, expoſitione de Antichriſto: fore ut figat *ſolium ſuum* (hæc eſt enim interpretatio vocabuli *Apadno*) in monte Oliveti, æmulus Chriſti. Illîc inter acclamationes ſuorum, qui ad illam accurrent ſolennitatem, præſtigioſiſſimè cinctus miniſterio ſcilicet Angelico, attolletur à dæmonibus in ſublime.

Peribit dejectus: Sed incipienti evehi occurret S. *Michaël* cujus mentio ſequitur Dan. 12. v. 1. *Princeps magnus*, fugabitque dæmones, *&* erit *nemo* ex ſuis qui *auxiliabitur ei.* Deſtitutus auxilio deturbabitur ictu fulminis: dehiſcente ei terrâ, ſicut Core & familiæ ejus Num. 16. v. 33. atque, ut iſti, vivus id eſt repentè in deſcenſu occiſus, eodem temporis momento deglutietur abyſſo inferorum: & cum eo Beſtia, Regnum totum infidele, præcipitabitur atque immergetur in abyſſum.

Ipſe & Beſtia in Infernũ. Tota enim ſimul *Beſtia* ſeu collectio infidelium reproborum accipitur hoc loco inſtar unius: & pronuntiatur de ea, eâdem vel ſimili phraſi qua in Capite 20. v. 14. dicitur; *Infernus & Mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis*; in quod v. 9. & 10. dixerat præmiſſos *Beſtiam & Pſeudo-prophetam.* Congruit huic Beſtiæ illud S. Irenæi lib. 5. cap. 29. *ut in ea confluens & concluſa omnis virtus apoſtatica in caminum mittatur ignis.*

Ergo APPREHENSA EST, ait Apocalypſis v. 20. BESTIA ET CUM EA PSEUDOPROPHETA. Et: VIVI MISSI SUNT HI DUO IN STAGNUM IGNIS ARDENTIS SULPHURE. Quia & iſte percuſſus divinitus interibit: & extinguetur Regnum infidelitatis, Anteſignanis illius & Patronis relegatis in gehennam.

Danielis vaticinium. Juvet jam audire de Antichriſti illo fine Danielem cap. 11. v. 45. *Et figet tabernaculum ſuum Apadno, inter maria, ſuper montem inclytum & ſanctum: & veniet uſque ad ſummitatem ejus: & nemo auxiliabitur ei.* In quem locum S. Hieronymus, exploſo Porphyrio qui omnia de Antiocho Epiphane nitebatur exponere, ita ſcribit: *Noſtri autem extremum Viſionis hujus Capitulum ſuper Antichriſto ſic exponunt: Et cùm fixerit Tabernaculum ſuum inter duo maria mare mortuum & mare magnum: Tunc veniet uſque ad verticem montis Oliveti, qui inclytus vocatur. quia ex eo Dominus atque Salvator aſcendit ad Patrem. & nullus Antichriſto poterit auxiliari, contra ſe Domino ſæviente. Et aſſerunt ibi Antichriſtum eſſe periturum, unde Dominus aſcendit ad Cœlos. Apadno verbum compoſitum eſt: quod ſi dividas, intelligi poteſt* θρόνȣ αὐτȣ͂, *ſolii ſui. Et eſt ſenſus: Et figet Tabernaculum ſuum & thronum ſuum inter maria, ſuper montem inclytum & ſanctum.* Hæc Hieronymus ex prophetia Danielis.

3. Fient hæc, poſtquàm præfuerit illi ſuo Regno Monarcha abſolutiſſimus & Pſeudo-Chriſtus, menſibus 42. qui ſunt anni tres & dimidius; ſeu dies 1260. Poſt hanc computationem temporis tàm ordinatam, tàm & diligentem & facilem ac planam, quorſum illa opinio recentiorum quorundam, qui ſupervicturũ putant Antichriſtum dies

dies triginta ascensui duorum Testium? Etenim reductionem Judæorum, quam perturserant hi Testes, & ad quam dispofuerant animos plebis, intricant, ac periculo exponunt tamdiu superstitis Antichristi; nullo Scripturæ aut Traditionis fundamento. Nam Danielis cap. 12. v. 11. & 12. alius est sensus; de quo alibi. (Tract. seq. §. 3.)

Explicatur locus Apostoli; De interfectione spiritu oris.

Porrò quod apud Apostolum 2. Thess. 2. v. 8. dicitur de Antichristo: *Dominus* JESUS *interficiet spiritu oris sui* (vel ut Isa. 11. v. 4.) *Spiritu labiorum suorum*;) *& destruet illustratione adventus sui eum cujus est adventus secundùm operationem Satanæ*: hanc recipit expositionem, interficietur Antichristus spiritu id est jussu oris & imperio labiorum Christi: (cui jussisse fecisse est, ait S. Hieron.) & contra eum, cujus fuit adventus secundùm operationem Satanæ, prævalebit adventus illustrationis & operationis gratiæ qua destructurus est tenebras Antichristiani Regni & illuminaturus gentem tamdiu cæcam, de qua idem S. Apostolus Rom. 11. v. 25. *cæcitas ex parte contigit in Israël*: *donec* &c. *veniet ex Sion qui eripiat*. Adde, quòd de adventu Domini possit eo in loco explicari Apostolus ex S. Augustino lib. 20. de Civ. cap. 5. sicut *multa* alia *quæ de ultimo Judicio dici videntur*, *pertinentia* (inquit) *ad eum Salvatoris adventum quo per totum hoc tempus in Ecclesia sua venit*.

Et illustratione adventus.

Postremò τὸ *adventus sui* facillimè exponitur ac si dicat: tunc quando illi veniet. Venit enim unicuique quando adest finis vitæ ejus, & monet vigilare ac paratum inveniri quando veniet. Antichristo autem venturus est illustriore & celebriore modo ac vindictâ. Cæterùm adventus Domini ad judicium nondum erit: sed tamen indicium erit luculentum propinquantis.

De interitu autem per fulmen, cecinit etiam Sibylla l. 3. Orac. *Potestas ardens & inundans in terram veniet, & Beliar incendet*. Quòd si quidam enormiter impii divinitus sunt percussi, ut inter alios Julianus apostata cœlesti telo de quo videre licet Theodoret. lib. 3. hist. cap. 20.) quanto id magis convenit Antichristo, unà cum pertinacibus iis qui fuerunt præcipua instrumenta seductionis.

# TRACTATUS XXX.

## IN VERSUM ULTIMUM CAPITIS XIX.

Nihilne divina Apocalypsis habeat de præcipua re futura, quæ est conversio Judæorum? habet verò: sed suâ phrasi sublimi & in mysterio verborum sequentium.

# VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 19. Verſ. 21.) *Et cæteri occiſi ſunt in gladio, ſedentis ſuper Equum, qui procedit de ore ipſius: & omnes aves ſaturatæ ſunt carnibus eorum.*

## §. I.

## *De Occiſione per gladium.*

Occiſio ſalubris: 1. ALiud eſt Beſtiam, Imperium infidelium, & Pſeudoprophetam miſſos eſſe in ſtagnum ignis: aliud cæteros eſſe occiſos gladio Equitis albi, cui finis eſt propoſitus vincere, & ſalutem afferre gladio ſuo iis quorum ferit animas efficaciâ verbi ſui & ſternit. Etenim S. Joannes poſt narrationem de damnatione iſtorum duorum, Beſtiæ & cum ea Pſeudoprophetæ in ſtagnum ignis ardentis ſulphure: de pleraque multitudine aliorum mutat, & ait: CÆTERI OCCISI SUNT IN GLADIO, SEDENTIS SUPER EQUUM; QUI PROCEDIT DE ORE IPSIUS: utique ſermone Domini qui ſalubriter occidit quorum è medio tollit errorem, & ſcelera, & corrigit in terris.

Gladio: 2. Hanc occiſionem, & hunc gladium ancipitem oris Domini, deſcribit S. Doctor Auguſtinus in pſalmum 149. *Sermo* DEI, ait, *gladius bis acutus. Unde bis acutus?* &c. *Venit ergo Dominus noſter ferens gladium bis acutum, promittens æterna, implens temporalia. Duo Teſtamenta ad gladium bis acutum pertinent: vetus Teſtamentum terrena promittit; Novum æterna: In utroque ſermo* DEI *verax inventus eſt ut gladius bis acutus.* Poſt pauca deſcribit phalanges illo DEI ſermone armatas, & ſtragem quam edunt: quod eſt hujus maximè loci. *Jam, fratres, videtis Sanctos armatos: attendite ſtrages: attendite glorioſa prælia. Attendite quomodo cæſæ ſunt gentes Babyloniæ.* Dicamus nos, Antichriſtianæ: Nam de Paganis idololatris ibidem Auguſtinus proſequitur: *Quomodo, inquies, Pagani occiduntur?* quærimus nos quomodo occiſi ſint gladio ſancto Judæi, qui modò Antichriſtiani. Reſpondet: *Quomodo, niſi cùm Chriſtiani fiunt? Quæro Paganum, & non invenio: Chriſtianus eſt; ergo mortuus eſt Paganus.* Fundat hanc occiſionem in Scriptura: *Nam ſi non occiduntur, unde dictum eſt Petro, Macta & manduca?* (Act. 10. v. 13. & Act. 11. v. 7. noſtra vulgata verſio habet: *occide & manduca.*) Et adducit exemplum occiſi, Act. 9. *Unde ipſe Paulus occiſus eſt perſecutor, & Paulus erectus eſt*

*est prædicator? quæro Paulum persecutorem & non invenio: occisus est: Unde? de framea bis acutâ. sed quia occisus est in se, & vivificatus in Christo, ideò confitens & confidens dicit: Vivo autem jam non ego.* (Gal. 2.) *vivit verò in me Christus.*

Habemus astipulantem S. Augustinum: sed & S. Hieronymum: ecce Doctores duos maximos: prout videbimus in Cap. seq. in versiculum nonum: ubi in eandem sententiam ex illis duobus Patribus explicabimus ignē à Deo de Cœlo qui devoravit eos: ad quem locum huic connexum & expositionem ejus differimus Lectorem.

Etigne.

3. Hoc planè est quod sup. Cap. 11. ante septimam Tubam, & in fine Væ secundi, quod erat persecutio Antichristiana, dictum fuit; & huc spectat ad finem prælii Antichristiani: *reliqui*, ajebat v. 13. *in timorem sunt missi, & dederunt gloriam* Deo *Cœli.*

Tantundem enim est quod hîc dicitur de *cæteris*; occisos esse gladio sedentis super Equum: quantum id quod illîc de *reliquis*; missos esse in timorem Dei & dedisse gloriam Deo Cœli, ac tetendisse victas manus.

Quæ expositio fit manifesta ex Apoc. 11. v. 13.

## §. II.

### *De ipsis occisis.*

1. OCcisio igitur illa est conversio nationis Judæorum ad Christum, & de iis victoria: materia in Cœlo ejus gaudii, quod erat quartum Alleluja initio hujus Capitis, super Regno Dei ut omnipotentis, & nuptiis Agni vicinis, ac splendore atque apparatu nuptæ: scopus ad quem missio collimaverat duorum Testium, eorúmque prædicatio: effectus gladii, Christi, potenter vibrati; & mutatio dexteræ Excelsi: Sessori Equi albi & gladio oris ejus gloriosissimum genus occisionis ac stragis.

Victoria de Judæis:

De quo S. Chrysostomus ad laudem Apostolorum hom. 34. in Matth. ubi hunc vocat *novum quendam atque inauditum bellandi modum*, ac *mirabilem hanc aciem militum*, & addit: *Majus certè atque admirabilius est mentem adversariorum commutare & animum in diversum transferre, quàm illos occidere.* Dicamus nos de SS. Apostolis, quòd simili gladio armati, missíque contra lupos, non aliter eos occîderint, quàm ut quod lupinum erat delerent, & animos in suam ovium naturam mutarent. Quod tunc de populis Gentium, hoc de populis nunc etiam Judæorum accinatur Regi victori ex epithalamio suo, quod est psalmus 44. *populi sub te cadent.* ubi S. Augustinus: *occisus est inimicus Christi, ut vivat discipulus Christi: cecidit Saulus,* (populus persecutor) *ut esset Paulus.* (populus obsecutor.)

2. Nempè ibi natio Judæorum, convicta verbo Scripturarum & ob- Execratio pseu-

do-Judaismi.

ruta multitudine atque efficaciâ divinorum evidenter prodigiorum, convulnerari communibus animis: sentire tandem aliquando, ac manifestè, se delusam ab Antichristo: & perculsa Dei timore, vi prædicationis & ascensus duorum Testium, atque exturbationis horrendæ Antichristi præcipitati, agnoscere palàm errorem, & execrari suum pseudo-Judaismum, ac manus dare Christo. Sic prorsus, ut (Rom. 11. v. 26.) cùm *plenitudo Gentium* intraverit dudum, jam *omnis Israël salvus* fiat.

Unanimiter proinde, qui Antichristo & cum eo fulminatis superstites erunt, convertentur ad Christum: & abolitâ penitus Bestiâ, (Regno infideli) aggregabuntur Ecclesiæ Dei: vivet nomen & exaltatio Christi in Judæorum ore; inclamantium Baptismum & instructionem Christianam in vero Dei & Salvatoris sui cultu.

Super hoc genere occisorum ad salutem, & obstupescenda erga eos providentiâ, exclamandum est cum Apostolo; Rom. 11. v. 33. *O altitudo*, græcè ὦ βάθος id est ô profunda abyssus, *divitiarum Sapientiæ & scientiæ* Dei! *quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus* ac modus vindicandi se, *& in-vestigabiles viæ ejus* quas prævidit faciendi vindictam, & edendi stragem adversariorum suorum! qui est vincere Bonitate suâ malum. præcessit causa exclamandi & specimen *divitiarum sapientiæ* ac præ-*scientiæ* Dei; v. 32. *Conclusit enim*, ait, *omnia in incredulitate*; eo suo divinissimo consilio & eo eventu ac fine, *ut omnium misereatur!*

Prodigiosa salvatio!

3. Adducit Apostolus l. c. Isaiam

Prædi-

prophetantem de hoc eventu, cap. 59. 20. *Veniet ex Sion qui eripiat & avertat impietatem à Jacob.* Et est promissus aliis in locis Scripturarum: atque ex iis celebratissimus apud SS. Patres. Quorum S. Ambrosius in caput 13. Lucæ, v. 6. & seqq. nationem Judaicam assimilat arbori fici: & adjungit locum Matth. 24. v. 32. ubi Dominus *ex teneritudine arboris hujus & foliis commemorat conjici solere æstatis adventum: utroque significans*, inquit Ambrosius, *& Judaicæ plebis inanem quam prætendebat gloriam velut florem adventu Domini decidisse, quia ab operibus infructuosa durabat: & Judicii diem velut æstatis adventum, quo adulti fructus terrarum omnium reconduntur, ex plenitudine Ecclesiæ, in quam Judæi quoque credituri sunt, esse metiendum.*

cta in S. Scriptura:

S. Hieronymus in Caput 3. Oseæ v. 4. *Hi sunt ergo multi dies, quibus infelix Synagoga sedet contracta, quia cum Christo stare non potest: sine Rege* &c. *Hæc est cæcitas quæ ex parte accidit Israëli, ut subintraret plenitudo Gentium, & tunc omnis Israël salvus fieret: & multo post tempore* (Oseæ v. 5.) *revertentur & quærent Dominum.* Addit ex communi interpretatione, cur post dies tàm multos! *Quæ sit causa tàm grandis offensæ ut tanto tempore relicti sint, maximè cùm idola non colant, præter interfectionem Salvatoris; aliam non valent invenire.* Et in Jeremiæ caput 18. v. 17. *dies autem perditionis Judaicæ, omne tempus est post passionem Salvatoris usque ad finem sæculi: ut postquàm subintravit plenitudo Gentium, tunc omnis Israël salvus fiat.* Et in illud Ezech. 17. v. 24. *sicca-*

*ſiccavi lignum viride, & frondere feci lignum aridum:* poſtquàm explicaſſet de ligno viridi Judæorum & de ligno arido Nationum: addit aliorum expoſitionem. *utrumque,* ait, *referunt ad Iſraël, quòd primo Adventu humiliatus ſit & areſactus, & ſecundo reſtituatur in priſtinum ſtatum. Tunc,* inquit in Ezech. 36. v. 26. *auferetur de corde Judaico omnis duritia quæ lapidi comparatur, ut pro lapideo corde ſit cor carneum, molle, & tenerum quod Spiritum* DEI *in ſe poſſit recipere.*

Et in SS. Patribus.

S. Auguſtinus in locum præfatum Oſe. 3. in ſuo de Civit. lib. 18. c. 28. *Iſtos autem carnales Iſraëlitas, qui nunc nolunt credere in Chriſtum, poſtea credituros; id eſt filios eorum, nam utique iſti in ſuum locum moriendo tranſibunt; idem Propheta teſtatur dicens: Quoniam diebus multis ſedebunt filii Iſrael ſine R[illegible] ſine Principe, ſine ſacrificio, ſine altar[illegible] ſacerdotio, ſine ma[illegible] [illegible]tionibus. [illegible] non videat, nunc [illegible] Judæos? ſed quid adjungat, audi[illegible]: Et poſtea, inquit, revertentur filii Iſrael, & inquirent Dominum* DEUM *ſuum, & David Regem ſuum: & ſtupeſcent in Domino & in bonis ipſius, in noviſſimis diebus.* NIHIL *eſt iſtâ prophetiâ manifeſtius: quâ David Regis nomine ſignificatus intelligitur Chriſtus; qui factus eſt. ſicut dicit Apoſtolus ex ſemine David ſecundùm carnem.* Et lib. 20. cap. 29. in Malachiæ 4. v. 5. *Per hunc Heliam magnum mirabilémque Prophetam expoſitâ ſibi lege, u[illegible] tempore ante Judicium, Judæos in [illegible] Chriſtum verum, id eſt in Chriſtum noſtrum, eſſe cred[illegible]uros; celeberrimum eſt in ſermonibus cordibúsque fidelium.* &c. *Sic enim cor Patrum* (Malach. v. 6.) *convertetur ad filios, cùm intelligentia Patrum perducetur ad intelligen[illegible]m filiorum: & cor filioru[illegible] [illegible] Patres eorum, dum in id quod ſenſerunt illi, conſentient & iſti.*

S. Gregorius hom. 12. in Ezech. *in fine mundi, Judæi ad fidem redeunt.* &c. & alibi ſæpè.

## §. III.

### *De ſaturitate avium.*

Sequitur occiſionem manducatio:

1. INdicavimus in Tractatu 28. v. 3. rectè per has aves intelligi Chriſtianos. juſſæ fuerunt per Angelum convolare poſito metu: præſertim aves Eccleſiaſticæ, Sacerdotes & cæteri de Clero, quarum eſt maximè regio Cœlum, & eſca ſpiritualis: invitatæ ad paſtum. De his dicitur v. 21. ET OMNES AVES SATURATÆ SUNT CARNIBUS EORUM.

Neceſſe autem fuit, ut occiſio præcederet manducationem: & qualis illa, talis iſta, id eſt, utraque ſpiritalis. Occidit eos gladio ſuo Chriſtus: reſtat, ut per catecheſin & per initiatio- Utraq; mirabilis! [illegible] Baptiſmatis incorperentur Eccle-

ſiæ; quod eſt manducari & trajici in Corpus Chriſti: éſtque Eccleſiaſticorum & Cleri officium ac paſtus velut avium Cœli. In hanc ſententiam S. Auguſtinus in pſalmum 30. conc. 2. *Eos*, ait, *quos Domino lucramur, quodammodo manducat Eccleſia. quid eſt, manducat? in corpus ſuum trajicit: quidquid enim manducamus, in corpus noſtrum trajicimus. Hoc agit Eccleſia per ſanctos: eſurit quos lucrari vult, & quos lucrata fuerit aliquo modo, manducat quodam modo.* Fundat ſe more ſuo Scriptura, & pergit: *Cujus perſonam gerebat Petrus, quando ei de Cœlo ſubmiſſus eſt diſcus plenus omnibus animalibus. Præfigurabat Dominus Eccleſiam, quòd omnes gentes erat tranſvoratura & in corpus ſuum converſura: & ait Petro, macta & manduca. O Eccleſia, hoc eſt Petre, quia ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, macta & manduca: prius macta; & ſic manduca.* Sæpius alibi Auguſtinus allêgat illud Petro præceptum de manducandis mactatis: *id eſt*, inquit in pſalmum 3. *occìdendo in gentibus quod erant, & tranſmutando in id quod ipſe eſſet.* Et in pſalmum 128. *quia in Eccleſiæ corpus nemo intrat, niſi prius occiſus: moritur quod fuit, ut ſit quod non fuit.*

Ecce habemus ex Auguſtino utrumque: & occiſionem, quæ prior ac ſolo fit gladio Chriſti: & manducationem, quæ eſt Eccleſiæ & Cleri cooperatio. Quàm illîc promptus & avidus erit ad illud epulum Eccleſiaſticum concurſus avium: tàm erit in illa frequentia Judæorum omnibus avibus ſua plena ſaturitas; non ſine plauſu alarum & gratulatione.

O admirabilem Apocalypſin & in ea gladium Chriſti: manducationem avium: ſaturitatem manducantium & convertentium in ſe ut in membra Chriſti & in Corpus ejus Judæos ſpiritualiter occiſos & reverſos ad Chriſtum!

2. Ad harum avium feſtum, & ad diſſeminationem famæ per Eccleſiam univerſam poteſt ſpectare ſpatium temporis illud breve quod Daniel hîc Capite 12. v. 11. numerat de ablatione jugis ſacrificii publici (eam enim omnes eo loco Patres intelligunt, quam Antichriſtus invexerat abominationem) duraturâ *dies* 1290. qui numerus computum dierum 1260. id eſt, perſecutionis Antichriſtianæ & oppugnationis duorum Teſtium, de quibus Apoc. 11. v. 4. excedit diebus 30. Tum verò addit Daniel v. 12. *Beatus qui expectat, & pervenit uſque ad dies mille trecentos triginta quinque*, id eſt, alium prætèrea ſeſquimenſem dierum. Dicamus ergo quòd Daniel uſque ad famæ univerſalis proſeminationem, & redintegrationem publicæ Liturgiæ requiſierit menſem unum; hoc eſt 30. dies quibus Luna emetitur Zodiacum (his enim menſibus lunaribus aſſueverant Hebræi ad quos Daniel, & Græci ad quos Joannes.) tum verò adjecerit alium ſeſquimenſem pro integrâ reſtitutione rerum Eccleſiaſticarum: Beatus qui pervenit ad dies 1335.

Calculus dierum Danielis.

Tunc enim poterunt prodiiſſe paſſim omnes procul latebris, ii qui effugerunt perſecutionem; tunc congregari cætus Eccleſiaſtici: inſtaurari templa: reſtitui Patriarchatus Hieroſolymæ,

lymæ, & reflorere Antiochena, Alexandrina, cæteræque Ecclesiæ, & Sedi Apostolicæ subordinari. Felix qui ex illa persecutione salvam eousque viderit Ecclesiam ac dilatatam; illud iterum & cumulatissimè unum ovile: auctos duos *parietes*, qui *in unum de diverso venientes* (ait Augustin. in psal. 86.) *sibimet connexi in unâ fide, unâ spe, unâ charitate*!

Implebitur, S. Hieronymo interprete, id quod de Palæstina prædixit Ezechiel capite 36. v. 33. & seqq. *Hæc dicit Dominus* Deus: *In die qua mundavero vos ex omnibus inquinamentis vestris, & inhabitari fecero urbes, & instauravero ruinosa, & terra deserta fuerit exculta quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris, dicent: Terra illa inculta, facta est ut hortus voluptatis: & civitates desertæ & destitutæ atque suffossæ, munitæ sederunt. Et scient Gentes quæcunque derelictæ fuerint in circuitu vestro, quia ego Dominus ædificavi dissipata, plantavique inculta; ego Dominus locutus sim & fecerim.* Hæc omnia Deus per Prophetam. in quæ verba hæc est paraphrasis S. Hieronymi in l. c. *Postquàm autem mundaverit credentium ex Judæis populum ab iniquitatibus suis, & habitari fecerit urbes Ecclesiæ, & instauraverit ruinosa quæ in Synagogis conciderant: & terra confessionis fuerit exculta cæremoniis* Dei, *quæ quondam visa est desolata omnibus sanctis qui terrenæ conversationis opera prætereunt: Tunc omnes dicent: quomodo terra Judæa, quæ quondam fuerat inculta, nunc habet similitudinem paradisi* Dei (Ezech. v. 35. facta est ut hortus voluptatis:) *& civitates Judææ, quæ desertæ fuerant & destitutæ, & suâ incredulitate suffossæ, nunc erectæ & munitæ sunt in confessione & nomine Domini Salvatoris! ita ut omnis creatura cognoscat, & multitudines Angelorum quæ terram ambiunt Israel, quòd Dominus dissipatas ædificaverit civitates, & incultas plantaverit regiones: & quod pollicitus fuerat per Prophetas, opere compleverit.*

3. Neque plura nobis innotuerunt tunc gerenda in mundo: neque quàm propè dies Judicii sit absfuturus, quantumvis vicinus. Nam pace S. Hieronymi; cui existimanda est occurrisse suspicio dubitabundo, quam deinde alii nonnulli sunt secuti; nequaquam assentimur, post illos dies quos Daniel addidit cap. 12. v. 12. fore Judicii diem. Verba quæ Sancto Hieronymo exciderunt, sunt: *Beatus, inquit,* (Daniel) *qui interfecto Antichristo dies, supra numerum præfinitum, quadraginta quinque præstolatur: quibus est Dominus atque Salvator in sua Majestate venturus.* Etsi pro S. Hieronymo dici potest: non aliud definivisse quàm superfore istos dies, & incertum reliquisse quid præterea superfuturum sit temporis. Sequimur S. Augustinum qui in psalmum 6. cùm citâsset illud Christi responsum, Act. 1. v. 7. non est vestrum nôsse tempora: & Matth. 24. v. 36. de die autem illa & horâ nemo scit: & 1. Thess. 5. v. 4. tanquàm furem venire diem Domini: *satis*, inquit, *apertè ostendit, neminem sibi oportere arrogare scientiam illius temporis computatione aliqua annorum.* Et cùm addidisset; nescire Filium hunc diem: *quod utique ideò dictum*

Adhuc Judicii tempus incertū.

*ctum est, quia per Filium homines hoc non discunt*: & mox: *non quòd nesciat, sed quod nescire faciat*: concludit; *Nos igitur, quod nescire nos Dominus voluit, libenter nesciamus.* Sanè ipse S. Hieronymus in Ose.3. expressè: *Quantum temporis resideat usque ad diem Judicii, nec Angeli noverunt, nec Filius: quod ignorare se dicit quia nobis non expedit discere.* Non ergo sibiipsi contrarius est putandus in illa computatione Danielis. Rectissimè Augustinus in libro 18. de Civ. cap. 13. *Omnium autem de hac re calculantium digitos resolvit, & quiescere jubet ille qui dixit, Non est vestrum nôsse tempora quæ Pater posuit in sua potestate.*

Dicendum quòd adhuc vigebunt & instructio multitudinis Catechumenorum, & Evangelii per universum mundum explicatio plenissima. Quin etiam, quæ est instabilitas humana & diluvium oblivionis processu dierum revalescet corruptio morum in hominibus: & cum multiplicatione populorum, simul & zizaniorum cum bona semente, ac paleæ cum tritico, subrepet magnæ Christianorum parti incuria sui & susceptæ fidei quæ per charitatem operetur: adeò, ut mundo vitiis obruto repentè dies illa & hora sint superventura *tanquàm laqueus*, Luc. 21. v. 35. prout diximus in Tractatu 15. ante septimam Tubam, Capitis 11.

Inopinum: Sicut in diebus Noë.

Desinit hìc quinta Visio; producta usque ad Judicium, cujus tempus relinquitur incertum.

# TRACTATUS XXXI.

## IN CAPUT XX.

Hæc est Visio sexta in hac secunda Parte Apocalypseos. & est materia videndi tragica atque ordine postrema funestarum: de Diabolo: ligatione ejus, solutione, seductione, usque in finem. Cujus Visionis ista est Summa: Draco Diabolus, ille ab initio seductor mundi, postquàm omnia incoluit infidelitate, ligatus est per annos mille, & clausus in abysso. Dum interim animæ sanctæ Martyrum cæterorúmque illo tempore mille annorum translatæ sunt in statum Beatitudinis qui dicitur Resurrectio prima. Post mille verò istos annos solvitur & seducit orbem: & denique addicitur etiam ipse stagno ignis in consummatione mundi & Judicio.

VERBA

# VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 20. Versu 1. & seqq.) *Et vidi Angelum descendentem de*
„ *cælo, habentem clavem abyssi & catenam magnam in manu sua.* (v. 2.)
„ *Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus & sa-*
„ *tanas, & ligavit eum per annos mille:* (v. 3.) *& misit eum in abyssum,*
„ *& clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius Gentes, donec*
„ *consummentur mille anni: & post hæc oportet illum solvi modico tem-*
„ *pore.* (v. 4.) *Et vidi sedes, & sederunt super eas, & judicium datum*
„ *est illis: & animas decollatorum propter testimonium Iesu, & propter*
„ *verbum Dei, & qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus,*
„ *nec acceperunt characterem ejus in frontibus aut in manibus suis, & vi-*
„ *xerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis.* (v. 5.) *Cæteri mor*
„ *tuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resur-*
„ *rectio prima.* (v. 6.) *Beatus, & sanctus, qui habet partem in resurre-*
„ *ctione prima: in his secuuda mors non habet potestatem: sederunt sacer-*
„ *dotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.* (v. 7.) *Et cum*
„ *consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, & exi-*
„ *bit, & seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog, &*
„ *Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena*
„ *maris.* (v. 8.) *Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt*
„ *castra sanctorum, & Civitatem dilectam.* (v. 9.) *Et descendit ignis*
„ *à Deo de cælo, & devoravit eos: & Diabolus, qui seducebat eos, missus*
„ *est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia;* (v. 10.) *& pseudopro-*
„ *pheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* (v. 11.) *Et vidi*
„ *thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cujus conspectu*
„ *fugit terra & cælum, & locus non est inventus eis.* (v. 12.) *Et vidi mor-*
„ *tuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti*
„ *sunt, & alius liber apertus est qui est vitæ: & judicati sunt mortui ex*
„ *his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* (v. 13.) *Et dedit*
„ *mare mortuos qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos*
„ *suos, qui in ipsis erant: & judicatum est de singulis secundum opera ipso-*
„ *rum.* (v. 14.) *Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est*
„ *mors secunda.* (v. 15.) *Et qui non inventus est in libro Vitæ scriptus,*
„ *missus est in stagnum ignis.*

## §. I.

### *De alligatione Diaboli per mille annos.*

1. VIDI, ait, ANGELUM DESCENDENTEM DE COELO: is repræsentat Christum & descensum ejus usque in inferiores partes terræ, Eph. 4. v. 9. cui *clavis* est ABYSSI, ut dictum fuit Cap. 1. v. 18. ubi Christus se primum esse & novissimum, fuisse mortuum & vivere; *& habeo*, inquit, *claves mortis & inferni.* In suo primo adventu LIGAVIT *fortem*, Matth. 12. v. 29. potestate ejus restrictâ, UT NON SEDUCAT AMPLIUS ac possideat GENTES; id est, ut non possit ultrà orbem terrarum retinere in infidelitate, sed ut convertantur Gentes, & Christiana fides locum occupet Ethnicorum. *Alligavit eum*, ait S. Augustinus, (lib. 20. de Civ. cap. 7.) *mille annis, hoc est, ejus potestatem ab eis seducendis ac possidendis, qui fuerant liberandi, cohibuit atque frænavit.*

Draconé quis alligaverit:

*Ante adventum enim Christi* (ait idem S. Doctor ser. 197. de temp.) *fratres charissimi, solutus erat Diabolus: veniens Christus fecit de eo quod in Evangelio dictum est; nemo potest intrare in domum fortis & vasa ejus diripere nisi prius alligaverit fortem: vênit ergo Christus, & alligavit Diabolum.* (videri potest quod diximus ad 6. Tubam Tract. 13. §. 1. ubi adduximus Apostolum ad Col. 2. v. 15. de *expoliatione Principatuum* per Christum.

Quãdo: & quid sit ligasse:

Igitur quòd LIGAVIT EUM, ac MISIT IN ABYSSUM, & incarceravit, ET CLAUSIT, ET OBSIGNAVIT; hieroglyphicè significant impeditam ei vim & adstrictam: præscriptósque ei limites suæ potestatis intra quos sit conclusa: signatúmque esse SUPER ILLUM quo-usque, neque ultra, extendi possit ejus licentia nocendi. *Alligatio Diaboli*, ait rursum S. Augustinus lib. 20. de Civ. cap. 8. *est non permitti exercere totam tentationem quam potest vel vi vel dolo ad seducendos homines, in partem suam cogendo violenter, fraudulenterve fallendo. Quod si permitteretur in tam longo tempore, & tantâ infirmitate multorum; plurimos tales, quales* DEUS *id perpeti non vult, & fideles dejiceret, & ne crederent impediret: quod ne faceret, alligatus est.*

Neque frustra dicitur in Apocalypsi de CATENA MAGNA & laxâ. Nam quamvis alligatus, habet tamen suos libertatis fines, intra quos *circuit quærens quem devoret.* 1. Pet. 5. v. 8. inquietus, non inveniens requiem & certus reverti in atrium suum unde fuerat repulsus. De catena idem Augustinus sermone citato 197. *alligatus est enim tanquam innexus canis catenis: & neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortiferâ securitate conjunxerit.*

Cohibuisse certis finibus:

Dicitur (v. 2.) SERPENS: quia, ut S. Cyprianus lib. de unit. Ecclesiæ;

*per*

*per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit, unde & nomen serpentis accepit.* Dicitur ANTIQUUS: quia ab initio talis, à paradiso: ubi maledictus est ut retineret nomen serpentis, cujus formam assumpserat.

Serpentem antiquum.

2. Quod attinet ad millenarium annorum; apage errorem qui aliquos etiam antiquos Patres inscienter involvit, in quibus S. Irenæus eo imbutus, ut apparet, à Papia & aliis qui nondum se penitus abdicaverant traditionibus Hebræorum: fore ut post resurrectionem communem regnetur à Sanctis cum Christo annis mille in terra. De quo S. Hieronymus in Dan. 7. *Cesset ergo mille annorum fabula.*

Interea Regnũ mille annorum.

MILLE ANNI, numero absoluto ex more Scripturæ, dictum est omne illud tempus quod fluit à morte Christi usque ad Antichristum. Quo spatio annorum inhibetur cursus Infidelitatis toti orbi communis, & Christiana Religio prævalet per orbem terrarum: juxta illud Christi ex occasione Gentilium qui cupiebant JESUM videre, Joan. 12. v. 31. *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* His mille annis exactis, OPORTET, quæ est infallibilis præscientia & justa permissio divina, SOLVI Diabolum MODICO TEMPORE, id est sub Antichristo: quem recuperatâ potestate adhibebit ut seducat mundum iterum, stabiliat denuò Regnum universale infidele, & Christianitatem redigat ad angustias, prout sequitur v. 7.

Interim, in hoc intervallo mille annorum, multiplicata est Ecclesia numero electorum. Quorum eminentior pars, Martyres, v. 4. cernuntur *sedere* SUPER SEDES, quod promissum fuit primitiis Martyrum SS. Apostolis Matth. 19. v. 28. Jam enim ab initio hujus Millenarii constat transcriptas fuisse Cœlo multorum ANIMAS DECOLLATORUM PROPTER TESTIMONIUM quod perhibuerunt Christo JESU ET PROPTER VERBUM DEI: hæ describuntur occupare illas *Sedes* assignatas *judicio* quod DATUM EST ILLIS, & *regnare* CUM CHRISTO interea. Non solas autem Martyrum, sed etiam cæterorum beatas animas eo temporis spatio defunctorum, regnare; observavit S. Augustinus lib. 20. de Civ. cap. 9. *Ideò tantummodò Martyrum animas commemoravit, quia ipsi præcipuè regnant mortui, qui usque ad mortem pro veritate certaverunt: sed à parte totum, etiam cæteros mortuos intelligimus pertinentes ad Ecclesiam, quod est Regnum Christi.* Et quoniam supersunt Sedes occupandæ ab iis qui accedent post millenarium, OMNIBUS (Apoc. v. 4.) de quibus erit dicere NON ADORAVERUNT BESTIAM NEQUE IMAGINEM EJUS, NEC ACCEPERUNT CHARACTEREM EJUS IN FRONTIBUS AUT IN MANIBUS SUIS, in ultima persecutione: idcircò horum etiam numerus accensetur illis de quibus dicitur: VIXERUNT: videlicet vitâ animarum beatâ. HÆC, inquit, EST RESURRECTIO PRIMA: nondum corporum, quæ erit resurrectio secunda:

Et Resurrectio prima:

cunda: sed animarum. Ita sentit S. Augustinus l. c. cap. 6. sicut enim hæc suam habeat hîc mortem, de qua dicitur 2. Cor. 5. v. 14. *Omnes mortui sunt*: sic habere possunt & transitum de quo Christus Joan. 5. v. 24. *à morte in vitam.* in quo statu si permaneat anima usque ad dissolutionem à corpore, particeps est primæ Beatæ Resurrectionis: in qua sita est, inquit, v. 6. *Beatitudo & Sanctitas*, & immunitas à SECUNDA MORTE, atque in consortio DEI ET CHRISTI *Sacerdotium & Regnum mille annorum*; illud quo regnant animæ Beatorum, *nondum sibi* (ait Augustinus l. c.) *corporibus suis redditis.* Nam de reprobis addidit Apocalypsis, v. 5. CÆTERI MORTUORUM NON VIXERUNT DONEC CONSUMMENTUR MILLE ANNI: sensus est, *eo tempore non vixerunt quo vivere debuerunt; ad vitam scilicet de morte transeundo.* ita S. Aug. l. c. cap. 9. *donec enim finiantur mille anni id est, isto toto tempore quo agitur prima resurrectio.*

Quæ est animarũ electarũ.

3. Hac velut parenthesi interpositâ de Regno Beatarum animarum: redit Joannes ad id quod versu tertio cœperat dicere: & continuans v. 7. ait: CUM CONSUMMATI FUERINT MILLE ANNI, SOLVETUR SATANAS DE CARCERE SUO: id est, sua ei libertas incircumscripta permittetur ad seducendum.

In fine millenarii solutio Satanæ, & tempora Antichristiana.

Ubi quæri potest cum admiratione venerabundâ consiliorum inscrutabilium DEI: cur solutionem illam decreverit, & immane illud permiserit periculum seductionis Antichristianæ tàm horridæ. Cui quæstioni primùm omnium opponendum est illud Apostoli, Rom. 9. v. 20. *O homo, tu quis es qui respondeas* DEO? Deinde triplex potest reddi causa: Prima, ut patefiat insatiabilis malitia & vis extrema fortis armati. Secunda, ut nihilominus innotescat illo fortior gratia Christi, & specimen novissimum Christianæ constantiæ contra omnes exertas vires seductoris ac persecutoris. simul & providentia DEI qui eum alligavit majore parte temporis: dedit autem & brevi tempore certamen forte suis electis ut vincerent. Has duas causas conjunxit S. Augustinus lib. 20. de Civ. cap. 8. his verbis: *Tales erunt, cum quibus ei belligerandum est, ut vinci tanto ejus impetu insidiisque non possint. Si autem nunquam solveretur, minus appareret ejus maligna potentia: minus sanctæ Civitatis fidelissima patientia probaretur: minus denique perspiceretur quàm magno ejus malo tàm benè fuerit usus Omnipotens* DEUS: etenim post pauca: *Et solvetur in fine; ut quàm fortem adversarium,* DEI *Civitas superaverit, cum ingenti gloria sui Redemptoris, adjutoris, liberatoris aspiciat.* His dictis excurrit S. Doctor in laudem eorum qui constantiam tunc suam sunt probaturi: *In eorum sanè*, ait, *qui tunc futuri sunt sanctorum atq; fidelium comparatione quid sumus? quandoquidem ad illos probandos tantus solvetur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus!* addit ad cohortationem nostri: *quamvis & hoc temporis intervallo quosdam milites Christi tàm prudenter & fortes fuisse atque*

Cur de Antichristo permiserit DEUS!

Causæ tres.

Congregatio Satanæ:

*atque esse non dubium est, ut etiam si tunc in ista mortalitate viverent quando ille solvetur, omnes insidias ejus atque impetus & caverent prudentissimè, & patientissimè sustinerent.*

Tertia est ratio permissionis hujus, (ea quam attigimus in Tract. 13. §. 1. ex S. Paulo) Justitia DEI, ad puniendos ultimò ad convincendos Judæos: *ut* qui noluerunt recipere veritatem, *credant mendacio.* 2. Thess. 2. v. 10. quam etiam rationem Paulus dat signorum & prodigiorum quæ permittentur Antichristo: de quibus S. Augustinus lib. 20. de Civ. cap. 19. *seducentur*, ait, *ejus signis atque prodigiis, qui seduci merebuntur; pro eo quod dilectionem veritatis, inquit, non receperunt ut salvi fierent.* Et observat atque exponit phrasin Apostoli: fore ut mittat illis DEUS operationem erroris: *Nec dubitavit*, ait, *Apostolus addere, & dicere: Ideò mittet illis* DEUS *operationem erroris, ut credant mendacio.* DEUS *enim mittet: quia* DEUS *diabolum facere ista permittet; justo ipse judicio: quamvis faciat ille iniquo malignóque consilio.* Ut regnet Antichristus super eos qui dixerunt de Christo Luc. 19. v. 14. *Nolumus hunc regnare super nos.* Donec evigilent sub hac ultima plaga, ut agnoscant errorem: ac diu flagellatum DEUS recipiat primogenitum filium suum, illum populum ex quibus Christus & qui ad Christum iterum. quæ est Bonitas DEI & Veritas: Justitia & miseratio!

*Non quòd* etiam interim *exciderit verbum* DEI (Rom. 9. v. 6.) qui implevit id quod in Evangelio dictum fuit DEUM posse, Matth. 3. v. 9. & Luc. 3. v. 5. *filios Abrahæ*, hos *qui filii sunt promissionis* (ad Rom. l. c.) *suscitare de lapidibus*, id est de Gentilibus adoratoribus lapidum, iis de quibus scriptum est, *similes illis fiant*, psal. 113. v. 8.

## §. II.

### *De congregatis adversus Civitatem dilectam.*

Congregatio Satanæ:

1. PRosequitur Apocalypsis de Diabolo jam soluto: EXIBIT, inquit, ET SEDUCET GENTES QUÆ SUNT SUPER 4. ANGULOS TERRÆ: GOG, ET MAGOG. Amplius cùm non dicat de Gog & Magog, sine dubio de his nominibus non remittit ad Ezechielem qui fusè contra Gog se opponit. Et quidem ex S. Augustino diximus suprà (in Tract. 29. §. 1.) non fore gentes certæ habitationi orbis affixas, sed perinde diffusas ut Ecclesia. Dicamus planissimè, & ex mente Ezechielis, *Gog* esse Antichristum, quo utetur Satanas seductore, quem constituit Caput cæterorum, unde & Ezech. 38. v. 3. *Princeps Capitis* appellatur. *Magog* verò esse, qui sub Gog vel *ab Gog* (hanc enim habet vim litera Mem apud Hebræos, una ex iis quas vocant Heemanticas; eandem quam præpositio

Gog & Magog.

Latina:) id est, omnes qui suberunt Antichristo seu stabunt à Gog: nationem Judæorum undique dispersam inprimis; dein peræque cæteras ad Judaismum aggregatas ex Babylonia, Tartaria, Turcia nuperâ, sub eodem vexillo Antichristi: QUORUM simul omnium, ut hîc dicitur v.7. NUMERUS EST SICUT ARENA MARIS; sive ob multitudinem & dispersionem; sive quia velut arena sæculi projecta diu calcatáque pedibus fuit natio Judaica. Nec abludit etymon nominis: Gog enim Hebraicè significat *Tectum*, ut videre est apud S. Hieron. & S. Augustinum: quod convenit Antichristo; cùm propter elevationem superbiæ, qua effertur super omne quod dicitur Deus; tùm propter simulationem ac tectã nequitiam pseudoprophetiæ. Magog verò, iisdem interpretibus, idem est dicere, ac *de tecto* qui sunt, Antichristiani.

Plura ex Ezechiele transcribemus de Gog & Magog, commentatore S. Hieronymo, in Tractatu sequente: qui erit tractatus extravagans & proprius Ezechieli.

Dicitur de Satana: ET CONGREGABIT EOS IN PRÆLIUM. quæ congregatio accipienda est in eo sensu quem suprà exposuimus: de consensu & conspiratione contra Christianos. Et nomine prælii est intelligenda persecutio ad pervertendas eorum animas: sin, ad excruciandos & tollendos è medio, atque abolendum communibus armis Christianismum: de cujus latitudine sequitur.

Super latitudine terræ. ET ASCENDERUNT SUPER LATITUDINEM TERRÆ, quàm latè ubique diffusus est fidelium cætus: ET CIRCUIERUNT CASTRA SANCTORUM, eos qui militaverint propugnationi cultus divini per orbem terrarum: ET presserunt CIVITATEM DILECTAM, Ecclesiam Christi.

Felices Castrenses illi, viri fortes in fide, propugnatores triarii civium & domesticorum Dei!

2. ET DESCENDIT, inquit, (v.9.) IGNIS A DEO DE COELO, ET DEVORAVIT EOS. Sequimur hoc loco explicationem SS. Hieronymi & Augustini. quorum ille prophetiam hanc Ezechielis cap. 39. v.6. *Et immittam ignem in Magog, & in his qui habitant in insulis confidenter, & scient, quia ego Dominus*; exponit his verbis: *Tunc mittetur ignis in Magog*; *in eos videlicet qui Gog susceperè doctrinam*: *Ille ignis, de quo Dominus loquitur* (Luc.12.v.49.) *ignem vêni mittere super terram, & quàm volo ut ardeat*! Et in caput præcedens, Ezech.v.18. in apostrophen Dei ad Gog: *Cùm igitur vêneris super terram Israël, ascendet indignatio mea in furore meo contra te, & in zelo meo pro populo meo*: Et in versum 19. *In igne iræ meæ locutus sum, qui omnia*, inquit Hieronymus, *vitiorum ligna consumat*. (Igne Dei conflagrat Magog.)

Eodem tendit expositio S. Augustini lib.20. de Civ. cap. 12. de Apocalypsi: *Benè intelligitur iste ignis de Cœlo, de firmitate sanctorum: firmamentum enim est Cœlum: cujus firmitate cruciabuntur peccatores ardentissimo zelo; quoniam non potuerunt attra-* (Et devorantur:)

*attrahere sanctos Christi in partes Antichristi.*

Enimverò è contrario ipsi eodem igne conflagrabunt, & ad salutem devorabuntur ab illo igne & consumentur, ut desinant esse Antichristiani: eâ phrasi desitionis, quæ est in psalmo 103. v. ult. *deficiant peccatores & iniqui ita ut non sint.*

Hunc eundem ignem exponit S. Augustinus in psalmo 96. v. 3. *Ignis ante eum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus: Sunt,* ait, *qui salubriter arserunt: hodie fideles ejus sunt: inimici ejus erant, & nunc jam fideles ejus sunt. Quæris inimicos? non sunt: consumpti sunt: arserunt: charitas consumpsit in eis quòd persequebantur Christum.*

Hoc est pium votum sanctæ animæ: quod S. Augustinus, in psal. citatum 103. appellat *misericordiam sævientem*, & addit: *quid est ergo quod dicit, deficiant peccatores à terra? planè deficiant: auferatur spiritus eorum & deficiant; ut emittat Spiritum suum & recreentur. Deficiant peccatores à terra: & iniqui ita ut non sint: quid non sint nisi iniqui? ergo justificentur ut non sint iniqui.* Et brevissimè in psal. 9. in illud (v. 6.) increpâsti gentes & periit impius: *quâ increpatione periit impius? quia justificatus est impius, & factus est pius.* Mirabilis consumptio inimicorum: & liberatio Civitatis!

Simili modo quo in Caput 19. Apocalypseos diximus de strage illatâ per gladium sedentis super Equum. Phrasi verò *devorationis* hîc eâdem illa, quâ scriptum est: *Zelus domus tuæ comedit me*, eò quod zelus sit ignis à DEO sanctus, qui vim habeat comedendi seu devorandi. Et devoratur:

Multùm, ab hoc modo exponendi SS. Patrum, aberraverunt quotquot in hac mystica Apocalypsi finxerunt sibi bellum & acies Hierosolymis committendas à Christianis: ac postremò clades immensas exercitus Antichristianorum, qui veluti *nubes operiet terram* (Ezech. 38. v. 16.) perinde quasi Dominus venerit perdere animas & non potius salvare: neque promissa sit Judæorum, qui sunt Antichristi exercitus, reductio novissima sed interitus.

3. Aliud est de ipsomet Antichristo: de cujus damnatione aliter & expresse Scriptura: immò ejus de Cœlo interfectio prodigiosa, sicut & prædicatio atque ascensio duorum Testium, servient conversioni tandem aliquando sectariorum Antichristi. Hinc illa est Ezechielis prophetia tàm singularis contra Gog; cap. 38. v. 3. *Ecce ego ad te Gog:* ut dubium non sit esse Antichristum. Sibylla quoque lib. 3. Orac. Væ sigillatim perorat contra Gog; *Væ tibi Gog*: adjicit quidem illa; *& omnibus deinceps cum Magog*: veruntamen aliter Væ Gog; aliter Magog & iis quos Apocalypsis appellat nomine cæterorum. Nam hi quidem cæteri igne propitio consumentur. Antichristus verò, quem dicimus esse Gog, omnium princeps impiorum, fulmine atque igne æterno, ad quem eundem ignem adjudicabitur tota Bestia, id est, quicunque infideles vel cum Antichristo vel ante illum omnibus retrò sæculis

Gog autem in stagno sulphuris.

lis diem ſuum obierunt in oppugnanda pertinaciter Eccleſia DEI. ET poſt eos denique DIABOLUS, QUI SEDUCEBAT EOS, *mittetur* IN STAGNUM IGNIS ET SULPHURIS, ipſi paratum & Angelis ejus.

Hæc eſt Civitatis DEO dilectæ obſidio à portis inferi: ſed non expugnatio: *pugnare*, ait S. Auguſtinus (lib. 1. de Symb. ad Cat. cap. 6.) *poteſt*, *expugnari tamen non poteſt*, *portæ inferorum non vincent eam.*

## §. III.

## *De Judicio.*

Thronus Judicis.

1. HIc jam eſt cernere (v. 11. & ſeqq.) THRONUM MAGNUM CANDIDUM, utpote magni & ſinceri Judicis: A CUJUS CONSPECTU FUGIT TERRA ET COELUM; id eſt, protinus poſt Judicium diſparebit priſtina terræ Cœlique ſpecies, ac velut fugâ tranſibit in alium ſtatum & formam. Sic enim S. Auguſtinus lib. 20. de Civ. cap. 14. qui accuratè perpendit quibus id verbis dixerit Joannes: *Non ait, vidi thronum magnum & candidum & ſedentem ſuper eum*, ET AB EJUS *facie fugit Cœlum & terra: quoniam non tunc factum eſt, id eſt, antequam eſſet de vivis & mortuis judicatum: ſed eum ſe vidiſſe dixit in throno ſedentem*, A CUJUS *facie fugit Cœlum & terra, ſed poſtea: peracto quippe Judicio, tunc eſſe deſinet hoc Cœlum & hæc terra, quando incipiet eſſe Cœlum novum & terra nova.* Et addit: *Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu, tranſibit hic mundus. Unde & Apoſtolus ait, præterit enim figura hujus mundi, volo vos ſine ſolicitudine eſſe: figura ergo præterit, non natura.*

2. Subitò exſuſcitatio fit *mortuorum*: & ſeparatio per Angelos, Matth. 13. v. 49. & collocatio IN CONSPECTU THRONI. ſeu quos DEDIT MARE; hoc ſæculum (inquit S. Auguſt. lib. 20. de Civ. cap. 15.) ſuperſtites ad diem uſque hunc noviſſimum mundi: ſeu quos MORS ET INFERNUS DEDERUNT; id eſt, quorum à morte corpora, ab inferno verò animæ repetitæ ſunt: donec JUDICATUM ſit DE SINGULIS, SECUNDUM OPERA IPSORUM.

Mare, Mors, Infernus dāt ſuos.

In hunc finem, LIBRI conſcientiarum uniuſcujuſque APERTI SUNT, EX quibus & QUÆ in iis SCRIPTA *erant*, judicentur. ALIUS quoque LIBER APERTUS EST QUI EST VITÆ beatæ; catalogus ad illam prædeſtinatorum. De iſtis prioribus Libris S. Hieronymus in illud Dan. 7. v. 10. *Judicium ſedit & libri aperti ſunt*, ſic ſcribit: *Conſcientiæ & opera ſingulorum in utramque partem, vel bona vel mala, omnibus revelantur.* Diſtinguit inter bonos Libros, & malos ex quibus accuſet Satanas: *Bonus Liber ille eſt quem ſæpè legimus, liber viventium.*

Libri conſcientiæ uniuſcujusque. Liber Vitæ.

*tium. Malus Liber, qui in accusatoris tenetur manu, qui est inimicus & vindex, de quo & in Apocalypsi legimus, accusator fratrum nostrorum: Liber iste terrenus est, de quo & Propheta dicit* (Jer. 17. v. 13.) *in terra scribantur.* De iisdem S. Augustinus lib. 20. de Civ. cap. 14. *Non ergo unus Liber erit omnium, sed singuli singulorum.*

De postremo Libro idem S. Aug. l. c. cap. 15. IPSA *ejus præscientia* (& prædestinatio) *Liber est vitæ, in quo sunt scripti id est, ante præcogniti.*

3. Tunc INFERNUS (v. 14.) hoc est, ii qui pertinent ad infernum & ad eum condemnati sunt pro Tribunali, omnes simul: ET MORS, MISSI SUNT IN STAGNUM IGNIS; ut non sit morti locus deinceps usquàm, nisi in inferno, ubi MORS SECUNDA, id est æterna; omni ei QUI NON INVENTUS EST IN LIBRO VITÆ SCRIPTUS. O felicitas immortalis eorum qui in illud Album relati recitabuntur!

Infernus & mors præcipitantur.

Nos, mi Lector interim, circumspiciamus nos, & non sine trepidatione sancta examinemus tempus ad quod devoluti sumus in hoc mundo. Sumus, juxta dicta, etiamnum dum hæc scribo, in mille annis istis (numero nobis indefinito:) post 4. Tubas, quæ sonuerunt: sub quinta Tuba seu plagâ: dum in Thracia & Asia sedes est Bestiæ prioris & Regnum ejus tenebrosum, inter blasphemias cap. 16. v. 10. & 11. sub cruciatu illic seu captivitate Locustarum cap. 9. sub primo Væ; sub lunationibus, nondum Lunâ quintùm evolutâ; sub Exterminatore: sub & expectatione secundi Væ, quod erit solutio Draconis cum suis Angelis ad breve tempus: cui imminet ac sequitur Væ tertium, quod est Judicii universalis. *Confige* (psal. 118. v. 120.) *timore tuo* sancto, DEUS *carnes meas*, ad tergeminum Væ Apocalypticum.

Cessat hîc Visio sexta: etiam ipsa, ut cæteræ, suam materiam pertractans usque ad Judicium.

# TRACTATUS XXXII.

## IN EZECHIELEM AD QUEM RESPICIT APOCALYPSIS.

Animi causa, & eâ occasione quod Apocalypsis mentionem faciat Gog & Magog: connectamus hunc Tractatum cum præcedente, vel potius illi adjiciamus: propterea quòd Ezechiel de his plenius agat: & revelatio Apocalypseos affinis sit prophetiæ Ezechielis in qua sunt quædam quæ admiratio-

mirationem habent: eritque ferendum patienter, quòd repetantur quædam ex iis quæ fuerunt dicta.

Est autem etiam prophetia Ezechielis super Gog & Magog tota, æquè ut Apocalypseos, arcana & mystica: atque in verbis latet intelligentia recondita & mysterium dignum piâ attentione.

# PROOEMIUM.

## *De nominibus Gog & Magog.*

Mentio Magog. in Gen.

PRima mentio Magog est in Scriptura, Geneseos 10. v. 2. ubi de origine populorum & divisione post diluvium: quæ secundùm literam est habitatio Scythica: quod etiam insinuare videtur Ezechiel cap. 38. v. 2. dum nominat *terram Magog*. Fuit is unus è septem filiis Japheth: *Filii Japheth*, ait Scriptura, *Gomer & Magog*: ubi quoque nominantur *Thubal & Mosoch*, quibus præesse Gog dicit Ezechiel. Japheth quidem habitasse in Scythia, auctor est S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesin: & Josephus lib. 1. antiq. cap. 11.

Gog & Magog in Ezech.

Secundò, de Gog & Magog integra sunt Capita duo Ezechielis fusè, caput 38. & 39. ubi Gog appellat Principem capitis Mosoch & Thubal (cap. 38. v. 3.) Est autem terra Thubal Iberia, illa quæ vicina est Scythiæ, & est ad Aquilonem regioni Judææ: Mosoch verò est Cappadocia.

In Apoc. hîc.

Tertiò, Apocalypsis nostra meminit nominum Gog & Magog: de quibus velut remittit nos ad prophetiam Ezechielis tanquàm plenam.

Expositio S. Hieronymi.

Quartò, S. Hieronymus commentar. in Ezechielem profitetur de Gog & Magog velle se afferre & asserere germanam expositionem Ecclesiasticam. *Nos*, inquit, *Ecclesiasticam explanationem affirmare conabimur*. Exponit de persecutione Ecclesiæ per Hæreses: Et Gog quidem, quod significat græcè δῶμα, Latinè tectum, esse Principem hæresiarcharum: Magog verò, quod significat, de tecto, esse eos qui doctrinam Gog receperunt.

Assertio S. Augustini.

Quintò, S. Augustinus lib. 20. de Civ. cap. 11. cujus verba citavimus in Tract. 29. §. 1. definit sermonem esse de novissima persecutione contra Ecclesiam quæ per Gog & Magog oppugnabitur toto orbe terrarum per quem erunt isti & illa sparsi.

Sequamur has tres Scripturas; & super illis hos duos maximos Doctores Ecclesiæ: ita ut hæc omnia conciliemus inter se: & ex omni parte eruamus cum divino auxilio prophetiam Ezechielis integram de Gog & Magog.

## §. I.

### *Qui sint Gog & Magog.*

RECtè S. Hieronymus in Ezechielem nos admonet ordinis servandi. *Primùm,* inquit, *historiæ fundamenta jacienda sunt: sciendúmque quod ad Ezechielem prophetam iste extremus sermo sit Domini. Deinde observandum est, quòd ponitur sive obfirmatur facies Prophetæ* (Ezech. 38. v. 2.) *contra Gog terram sive terram Magog: obfirmatione enim & multâ consideratione vultus opus est, ut quæ dicuntur nôsse possimus.*

1. Age, ex ipsorum penetratione fundamentorum Ezechielis & propheticæ ejus historiæ obfirmemus vultum ad considerandum Gog. Inveniemus certissimò, id quod S. Augustinus l.c. asseverat, de Gog. & Magog, prophetiam esse persecutionis quam Antichristus movebit. Imprimis enim Ezechiel loquitur cum Gog de illa persecutione, quæ novissima erit, apertissimè: v. 16. *in novissimis,* inquit, *diebus eris.* in qua sua divina apostrophe ad Gog: venturum ait *à lateribus Aquilonis,* ipsum Gog & cum eo populos multos, exercitum vehementem, qui quasi nubes operiet terram (v. 15. & 16.) Id quod dixerat, in novissimis diebus; & v. 8. *post dies multos in novissimo annorum:* hoc Apocalypsis dixit: CUM CONSUMMATI FUERINT MILLE ANNI. Tum deinde totus ex fundamento petitus, Ezechielis in illis duobus Capitibus, hic est sensus. Prophetaverat capite antecedente, quod est 37. ordine, de reductione Judæorum ex illa tunc captivitate: liberatis autem, & quando fuerint omnia pacata, novissimè prædicit persecutionem à Gog: sed hunc denique ipsum perdendum à DEO. prout evênit Judæis ab Antiocho Epiphane temporibus Machabæorum; qui movit persecutionem novissimam contra Judæos, & interiit percussus à DEO. Itaque ad literam & primâ fronte visus est prænuntiasse de Epiphane, compellando illum nomine Gog. Veruntamen quia hæc in figura contingebant, & Ezechiel typum gerebat Christi, Filii hominis, ut rectè observavit S. Hieronymus in illis verbis initio Capitis (33. v. 1.) *Fili hominis:* primaria ejus intentio & obfirmatio vultus ac significatio fertur ad prædicendam persecutionem Ecclesiæ per Antichristum.

Sermo est de novissimis diebus.

2. Hunc igitur, planè hunc ducem & Principem & Coryphæum omnium persecutorum Ecclesiæ Christi novissimum, dicendus est Ezechiel Propheta compellasse nomine Gog. *Propterea* (ait S. Hieronymus) *ô Propheta Ezechiel qui in typo Christi appellaris Filius hominis, loquere ad Gog & dic ei: Hæc dicit Dominus* DEUS: *quando totius mundi errore sublato, populus meus Israel, qui mente cernit* DEUM, *habitaverit in Ecclesia confidenter, sive in pace; tunc*

Ezechiel & Daniel à figura transierunt ad Antichristũ.

*scies, sive consurges & venies de loco tuo. In novissimis diebus eris, quando Evangelica prædicatio.* Estque hæc transitio, à figura ad id quod præfiguratur, nequaquam insolens; immò propria est Prophetarum: eadémque sic est Ezechielis, sicut & Danielis de quo communiter omnes docent in prædicendo typo, eodémmet Epiphane, transîsse ad Antichristum.

Parvi autem refert, & eodem recidit, sive Antichristum hoc cognomine appellet tanquàm suo proprio, sive eum sic vocitet à suo primario instrumento aliquo aut administro, aut natione seu gente præcipuâ quæ sit Gog: sufficit nôsse & certum scire quòd ipse Antichristus ut auctor designetur ab Ezechiele, compellatione Gog.

Tum verò à Gog totus populus Antichristi appellatur Magog: eo modo quo tota gens Judæorum appellata fuit Jacob & Israël nomine desumpto à suo Patriarcha: qua similitudine usus S. Hieronymus ait: *sic & à Principe Gog, omnes qui ei subditi sunt, Magog appellantur*: quod suprà dicebamus ex Hebræo idiomate.

Quid nominis Gog & Magog.

3. Quòd si præterea ad interpretationem nominis advertamus, in quam etymologiam inquirunt uterque, S. Hieron. & S. Augustinus: Gog, quod æquè diximus superius, Hebraicè idem est quod tectum, Magog autem idem quod de tecto: Jam verò constat Tectum duo hæc indicare: locum sublimem; & dictum à tegendo. ad quorum primam significationem attentus S. Hieronymus sic exponit: *Omnis igitur superbia & falsi nominis scientia, quæ erigit se contra notitiā veritatis, his nominibus demonstratur. Ista sunt tecta de quibus Esaias loquitur in Visione contra vallē Sion: quid tibi factum est nunc, quoniam ascendistis omnes in tecta vana?* Ita legit S. Hieron. ex 70. ubi vulgaris versio sic habet, Isa. 22. v. 1. *quidnam quoque tibi est, quia ascendisti & tu omnis in tecta?* Nam quòd idem S. Hieronymus hæc exponat de Hæreticis: *Tectúmque interpretabimur Hæreticorum principes, & de tecto eos qui illorum suscēpere doctrinas:* non est alienum à nostra interpretatione: cùm utique omnium sit hæresum vertex & coronis, omniúmque retrò Sectarum pessima hæresis seu secta Antichristiana: quo sensu tota S. Hieronymi explicatio à nobis facit.

Sanctus verò Augustinus in alteram Tecti significationem; *Et Tectum,* inquit (lib. 20. de Civ. cap. 11.) *ipsæ sunt* (gentes illæ) *quia in eis nunc includitur & quodammodo tegitur inimicus antiquus: & De tecto erunt* (futuro tempore Antichristi) *quando in apertum odium de operto erupturæ sunt.* Juxta quam sententiam S. Augustini etiam asseritur, Gog cum Magog esse Antichristum cum tota sua gente pseudo-Judæorum; ille enim populus Judæorum dudum Tectum est; quia tegunt odium, quo pleni sunt, & alta mente repôstum in Christianos abscondunt usque ad tempus & tempora & dimidium temporis: iidem verò, & unà cum iis, quotquot in suas partes traduxerit Antichristus in commune prælium contra Christianos, hi omnes Magog id est de Tecto; quia sub Antichri-

tichristo erupturi in odium publicum & persecutionem tantò acerbiorem quantò occultatam diuturniore dissimulatione: ipsi per totum orbem dispersi Judæi, & qui se junxerint Tartari, Turcæ, Scythæ, Hæretici, & ex Christianis Apostatæ; omnes simul, Ezech. 38. v. 15. *exercitus vehemens*; Apoc. 20. v. 7. SICUT ARENA MARIS.

Quo seductore. Dicitur autem Apocalypseos l. c. has gentes seducturus esse Satanas: non quod antea non seduxerit: sed quia, ut solutus, ducet eas in bellum apertum contra Ecclesiam Christianorum. *Ad hoc ergo*, ait S. Aug. l. c. *tunc seducet, ut in bellum trahat: nam & antea, modis quibus poterat, per mala multa & varia seducebat.* Et addit in illud verbulum Apocalypseos *Exibit*; quod dicitur de Satana soluto: *Exibit autem, dictum est: in apertam persecutionem de latebris erumpet odiorum.*

Jam ad ea quæ dicta sunt, etiam illa reducitur prima mentio Magog ex Genesi & ex Josepho aliisque de posteritate Japheth, populis Scythis; qui propè innumerabiles adhærebunt Antichristo: quem proinde meritò Ezechiel etiam secundùm literam Geneseos appellet *Gog Principem capitis* (quod Chaldæus transtulit: *Princeps summus*) *Magoch & Thubal* vicinorum Scythiæ.

Conciliatio sententiarũ de Gog, & Magog. Atque ita conciliamus tres Scripturas de Gog & Magog: duósque eruditissimos Doctores Ecclesiæ quæ omnia loca & dicta congruunt aptissimè Antichristo & ejus agminibus persecuturis Ecclesiam Dei.

Super 4. angulos terræ. Quò etiam spectat id quod addit Apocalypsis (hîc v. 7.) de *gentibus* QUÆ SUNT de QUATUOR ANGULIS TERRÆ: tùm quia per hos est dispersa natio Judæorum: tùm quia, ut S. Hieronymus l. c. acutè super his angulis ait; *gentes inimicæ adversariæque Sanctorum egrediuntur ab angulis terræ, rectam lineam relinquentes & dispositionem castrorum* (Judæis præscriptam) *quæ narratur in Numeris*; lib. 4. Moysis, cap. 2. v. 32. & cap. 9. v. 17. & seqq.

## §. II.

## *Vaticinium Ezechielis de Gog & Magog.*

Magog in sanctum timorem missi. 1. ALiter Ezechiel de gente Magog; prophetat, quàm de Gog: de Magog enim breviter admodum; his verbis cap. 39. v. 6. *Immittam ignem in Magog & scient quia ego Dominus*: quæ citavimus & expositionem hujus loci ex S. Hieronymo adduximus in Tractatu præcedente: itémque S. Augustini in eundem sensum, de igne de quo Apocalypsis 20. v. 9. quàm sic diximus locuram de IGNE Christi; sicut de GLADIO Christi: & sic cap. 19. v. 21. dixisse; CÆTERI OCCISI; sicut Apocalypseos 11. v. 13. RELI-

QUI IN TIMOREM SUNT MISSI: occisione & igne propitiis & salutiferis. Unde & avium convocationem consequenter exposuimus salutarem ac dignam fieri ab Angelo & statione ejus in Sole.

Gog & Bestia reprobi.

At verò de Gog, multis Ezechiel, immò totis his Capitibus. Et sicut Apocalypsis conjunxit cum Antichristo & ejus damnatione Bestiam: ita Ezechiel cum Gog jungit multitudinem totam reproborum: atque ad eorum, quam vocat, carnem & sanguinem coruscat jussu DEI volucres ac bestias agri v. 17. & seqq. non ad cœnam magnam DEI, sicut in Apocalypsi sed ad victimam quam DEUS immolat feris bestiis ut saturentur. Quod solum restat in Ezechiele: est enim totus in descriptione cladis quam prophetat Antichristo & Bestiæ. eámque dicit primò fore tantam ut septennio sit opus ad combustionem armorum. Secundò, ut septem mensium sepulturâ. Tertiò futuros esse volucribus (Harpyjis Luc. 8. v. 5. & 12.) & feris victimam.

Prosequamur breviter hæc tria Ezechielis admirabilia: quorum expositio est de magnitudine cladis æternæ & sepultura in inferno: ac pertinent ad victoriam & triumphum Ecclesiæ de Gog & reprobis. Utemur explanatione S. Hieronymi: cujus ferè solis verbis loquemur.

2. Definit Ezechiel judicium ultionis Gog Cap. 38. v. 22. quem sic citat S. Hieronymus: *Et judicabo*, inquit, *eum morte vel peste, & sanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immensis sive grandinis.* His adjungit suam expositionem: *Judicatur autem Gog morte suâ* (dicamus: quam ei intentârunt Enoch & Elias sempiternam;) *& sanguine quem effudit* (in persecutione; qui clamavit contra eum;) *& imbre vehementi, sermonibus eruditi & perfecti viri* (utriusque & duobus Testibus;) *& lapidibus immensis qui eum obruant, testimoniis Scripturarum; sive grandinis, qui calorem illius* (clibanum persecutionis) *faciant refrigescere: omnes enim adulterantes, quasi clibanus corda eorum* (Oseæ 7. v. 4.) *Ignem, inquit* (Ezech. l. c.) *& sulphur pluam super eum: per quæ demonstratur pœna Judicii sempiterni. Et non solùm super eum qui auctor perversitatis fuit: sed & super omnem exercitum, & multitudinem ejus, & super populos multos qui sunt cum eo.* Nempè comminatione æterni Judicii si contumaces decesserint è vivis: Non igitur visibili prælio vel igne aut clade visibili. *Plures enim* (pergit Hieronymus) *habent Hæretici socios, immò Diabolus Princeps eorum infinitâ multitudine circumdatur.* qui sunt omnes simul Hæresiarchæ & præcursores Antichristi, aut quotquot in ulla Secta (jam monuimus Antichristianam esse omnium hæreseon novissimam & pessimam) diem suum obierunt pertinaces: ac tota Bestia infidelium quæ nunc desinit regnare.

Convincuntur juxta S. Hieron.

Septennium & septimestre, têmpus sacrum.

De septennio Ezechiel cap. 39. v. 9. *Et egredientur habitatores de Civitatibus Israël, & succendent & comburent arma* &c. *septem annis.* Ad quod exponendum S. Hieronymus sic ait: *Et egredientur habitatores urbium Israël, credentium populi: urbes autem Israël intelligimus*

*gimus Ecclesias rectæ fidei: Et succendent & comburent arma. Quodque sequitur, & succendent ea igni septē annis: de Exodo & Levitico exponendum est: in quibus Lege præcipitur, ut septimo anno promissionis, quando servis Hebræis libertas redditur, & debita cuncta solvuntur, & ad Dominos redit antiqua possessio, & quies terræ tribuitur, & omnes fruges pauperibus condonantur: quò scilicet in* SEPTEM ANNIS, *numero sacrato atque perfecto, Hæreticorum armatura dispereat. Habent enim & ipsi ad impugnandam Ecclesiam Christi tela diversa, quæ ab eruditis hominibus* IGNE S. SPIRITUS *succidenda sunt,* SERMONE videlicet Ecclesiastico. *In die illa* (Ezech. v. 11.) *in claro prædicationis lumine* (verè die) *dabo, inquit, Gog locum nominatum, sepulchrum in Israël.* De illo Ezechiel: *obstupescere faciet prætereuntes* (quos nominat *Viatores ad Orientē*) *& vocabitur vallis multitudinis Gog.* Et S. Hieronymus: *quis enim prætereuntium, de quibus scriptum est: Et non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini super vos; non admiratur & obstupescit.* De septimestri verò sepultura: Ezechiel v. 12. *Et sepelient eos domus Israël, ut mundent terram septem mensibus.* quod item exponit S. Hieronymus: *Quo modo supra diximus per septem annos adversariorum arma succendi: sic per septem menses, sordibus Hæreticorum, terra mundabitur: usque ad septimum mensem, quando Tabernacula figimus,* (Levit. 23. v. 39. & 40.) *& inter cæteras frondes, palmarum quoque ramis protegimur: ut perfecta contra hostes victoria demonstretur.*

Et in v. 14. Ezechielis de Viris qui post hos 7. menses constituti erunt lustratores terræ, ut emundent eum; sic Hieronymus: *Post necem autem & interfectionem sive sepulchrum Gog, eligentur viri Ecclesiastici,* qui *hoc habeant studii; ne quid in terra Israël maneat sordium, ne quid morticinum: qui lustrent terram & requirant mortuos* (si qui fortè reliqui) *& sepeliant: ut videlicet mundetur terra Ecclesiæ.*

Polyandrion seu Amona Ezechielis.

De nomine loci sepultorum, & de memoria victricis Civitatis, Ezechiel v. 16. *Nomen autem Civitatis, Amona, & mundabunt terram.* Et ibidem S. Hieronymus: *Nomen autem Civitatis, ubi servorum Domini victoria est, & jacent* (sub illa, consepulti in valle inferorum) *adversarii, & omnis inimicorum ejus multitudo prostrata est, appellabitur Amona sive Polyandrion* (ita *LXX. transtulerunt, hoc est sepulchrum plurimæ multitudinis;* ait paulò antè Hieronymus:) *ut finis omnium, restitutio puritatis sit.*

Volucres & feræ Ezechielis.

3. De convocatione volucrum & bestiarum terræ, Ezechiel v. 17. *Concurrite undiq; ad victimam meam quam ego immolo vobis ut comedatis carnem, & bibatis sanguinem.* Expositioni apud S. Hieronymum subscribimus ei, quam primam adducit patriam à Judæis æquè & orthodoxis hoc loco Judaizantibus: quâ recitatâ ipse discedit ad tropologiam. Dixerant apud eundem Hieronymum, initio in caput 38. de Gog & terrâ Magog, *gentes esse scythicas immanes* (inquiunt) *& innumerabiles, quæ trans Caucasum montem, & Mæotidem paludem, & prope Caspium*

mare

*mare ad Indiam usque tenduntur, & has post mille annorum regnum* (illud de quo Apoc. 20. v. 7.) *esse à diabolo commovendas: quæ veniant in terram Israel ut pugnent contra sanctos, multis secum gentibus congregatis.* Sequitur nunc verbis Hieronymi in Caput 39. eorundem Auctorum mens in versum 17. Ezechielis & seqq. *Omnia autem*, à v. 17. usque ad finem Capitis & materiæ de Gog, *hi quos supra diximus Judæi & Nostri Judaizantes, ad ultimum tempus referunt: quod, carnibus Gog cunctique ejus exercitus, quasi pinguissimis hostiis, volucres bestiæque saturandæ sint: & restituatur Israel in pristinum statum.* Quod dicitur de *cunctis exercitibus* Gog, id ita recipimus ut intelligamus, totum populum reproborum: hi enim pertinent ad Gog, qui est Antichristus, eorum omnium Caput ut diximus Tract. 26. §. 3. in fine. *Feras* autem *& aves* Ezechielis has, secus quàm aves Apocalypticas; accipimus in partem efferatiorem, ut dicemus in §. sequente. Claudamus cum promissione Ezechielis v. 25. & seqq. *Nunc reducam captivitatem Jacob, & miserebor omnis domus Israel* &c. Ubi S. Hieronymus: *Tunc reducentur de populis & sanctificabitur Dominus in eis in conspectu gentium plurimarum; quæ & ipsæ credituræ sunt Domino: finisque sit Beatitudinis, scire atque cognoscere quòd ipse sit Dominus* Deus *eorum.*

## §. III.

### *Epitome Prophetiæ contra Gog.*

Sensum Ezechielis contra Gog operosius à S. Hieronymo erutum reddamus apertiorem & brevius: qui conferri possit cum nostra Apocalypsi.

*Cladis apud Ezechielé magnitudo: descripta*

1. PRævident tàm Ezechiel suum Gog, quàm Joannes in Apocalypsi suum Pseudo-Messiam; cum toto numero eorum qui seducti sunt à Satana vel id temporis vel omni retrò sæculo: quos præsens occasione simul commemorant. Hâc differentiâ; quòd Joannes omnes reprobos, ad unum revocet Schema, & uno comprehendat corpore & nomine Bestiæ, velut congregando: Ezechiel verò velut segregatorum inter se contempletur ac describat multitudinem. Quam enumeraturus, ut ostendat aliter ineffabilem esse illorum numerum, accommodat se ad captum humanum: ac per similitudinem loquitur v. 9. & 10. de septennali combustione armorum: & v. 11. pro sepultura cadaverum de amplissima valle, cui nomen adhæsurum sit multitudinis Gog: & v. 12. de labore sepeliendi septem mensium: ac v. 13. de celebratione victoriæ & festi seu diei nominatissimi. Hoc, inquam, totum

*Per similitudinē combustionis armorum:*

totum Ezechiel prædixit per parabolam, ut solet, ac per comparationem insignem cum materiali clade.

2. Significat enim tantam fore internecionem adjudicandorum inferno & illîc sepeliendorum: ut humano more calculando de interfectione & prostratione cadaverum, implenda esset quamvis profunda vallis ac spatiosissima: & opera sepeliendi duratura totis septem mensibus: & annorum combustio, clypeorum, hastarum, arcuum &c. si arma quibus electos oppugnaverunt forent materialia, sufficeret foco totius septennii in humanis. Quæ de Bestia & solis reprobis sunt accipienda eo in sensu: nam occisio cæterorum, de qua Apocalypsis, facta gladio spirituali, uti & ignis immissus in Magog à DEO erunt ad salutem, ut diximus.

Sepulturæ cadaverum:

Victoriæ &c.

3. Facilè erit nunc & Ezechielem ipsum & expositionem S. Hieronymi unà cum modò dictis applicare ac referre ad tempora Antichristiana. Videlicet: primò armorum combustio in septimum usque annum (cap. 39. v. 9.) significat quietem à persecutione atque Infidelitate: quemadmodum annus septimus apud Hebræos erat *sabbatum* seu requies *terræ*, Exod. 23. v. 11. & 12. & Levit. 25. v. 4. itémque post septies septem Jubilæus, Levit. 25. v. 8. & seqq. Præfigurat hic numerus septimus, possessionem antiquam qua & Judæi ad Salvatorem suum redeant, & Ecclesia Judæos possideat: & liberationem seu libertatem plenam: & Evangelizationem pauperibus, & Israël.

Quæ referenda sunt ad novissimum annorum: Ezech. 38. v. 8.

Secundò, sepultura multitudinis Gog, & emundatio terræ in septimum mensem (v. 12.) significat sepulturam errorum: &, super restitutâ puritate doctrinæ, festum victoriæ Ecclesiasticæ atque palmarum; quod celebrabatur in septimo mense Levit. 23. v. 40. & Polyandrii adversariorum æternâ oblivione consepultorum.

Tertiò, Volucres & feræ carnivoræ (v. 17. & seqq. illæ tartareæ quarum cibus est *caro & sanguis* quæ Regnum DEI possidere non possunt 1. Cor. 15. v. 50. illæ celeres ad rapinam æternam & crudeles, totam depascentur collectionem Infidelium tot sæculis damnatorum, quam diximus significari nomine BESTIÆ in Apocalypsi. Quæ est *mensa* quam illis permittit DEUS, & *victima*, in *gloriam* (v. 21. & seqq.) Justitiæ divinæ: & ad majorem agnitionem ac timorem DEI pro Electis.

Denique celebrabitur reductio Jacob & omnis domus Israël (v. 25. & seqq.) in oculis & congratulatione Gentium, & effusio Spiritus DEI super omnem Domum Israël.

Hactenus prophetia Ezechielis: cujus omnia evidenter cadunt in tempus Antichristi.

* * *
* *

# TRACTATUS XXXIII.

## IN I. PARTEM CAPITIS XXI.

Supereſt Viſio ſeptima & amœna: de Statu Beato Eccleſiæ triumphantis. Exhibetur in ſchemate Jeruſalem Civitatis elegantiſſimæ; Sponſæ ſeu uxoris Agni: & pertractatur duobus ultimis Capitibus: quorum primum dividemus in Tractatus omnino quatuor.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 21. Verſu 1. & ſeqq.) *Et vidi cœlum novum, & terram „novam. Primum enim cœlum & prima terra abiit, & mare jam non „eſt.* (v. 2.) *Et ego Ioannes vidi ſanctam Civitatem Ieruſalem novam „deſcendentem de cœlo à Deo, paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* „(v. 3.) *Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernacu„lum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipſi populus ejus e„runt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.* (v. 4.) *Et abſterget Deus „omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, „neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* (v. 5.) *Et „dixit qui ſedebat in throno. Ecce nova facio omnia. & dixit mihi: ſcri„be, quia hæc verba fideliſſima ſunt, & vera.* (v. 6.) *Et dixit mihi: fa„ctum eſt. Ego ſum α, & ω: initium, & finis. Ego ſitienti dabo de fonte „aquæ vitæ, gratis.* (v. 7.) *Qui vicerit, poſſidebit hæc, & ero illi Deus, „& ille erit mihi filius.* (v. 8.) *Timidis autem & incredulis, & execra„tis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & om„nibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure: „quod eſt mors ſecunda.* (v. 9.) *Et venit unus de ſeptem Angelis haben„tibus phialas plenas ſeptem plagis noviſſimis, & locutus eſt mecum, di„cens: Veni, & oſtendam tibi ſponſam uxorem Agni.* (v. 10.) *Et ſuſtu„lit me in ſpiritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi Civi„tatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cœlo à Deo;* (v. 11.) *haben„tem claritatem Dei: & lumen ejus ſimile lapidi, pretioſo tanquam la-*

*pidi*

„ pidi jaspidis, sicut crystallum. (v. 12.) Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim, & in portis angulos duodecim & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuū filiorum Israël. (v. 13.) Ab Oriente portæ tres, & ab aquilone portæ tres, & ab austro portæ tres, & ab occasu portæ tres. (v. 14.) Et murus Civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. (v. 15.) Et qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur Civitatem, & portas ejus, & murū. (v. 16.) Et Civitas in quadro posita est, & longitudo ejus tanta est, quanta & latitudo; & mensus est Civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia, & longitudo & altitudo, & latitudo ejus æqualia sunt. (v. 17.) Et mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est Angeli. (v. 18.) Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide: ipsa verò Civitas, aurum mundum simile vitro mundo.

## §. I.

### *De Beatæ Civitatis descensu.*

1\. AD finem Judicii videt Joannes figuram Cœli & terræ antiquæ præteriisse; ac sublatum mare hujus sæculi. *Fortasse*, ait Augustinus lib. 20. de Civ. cap. 16. *maris nomine intelligitur hoc sæculum turbulentum & procellosum.*

COELUM autem ET TERRAM videt *innovari* : & DE COELO *descendere* SANCTAM CIVITATEM : JERUSALEM NOVAM : apparatu SICUT *Sponsæ* Cælitùs ad-*ornatæ* pro Sponso suo.

Videtur ex monte: Sed ad illam propiùs & distinctiùs contemplandam (v. 10.) SPIRITU tenus assumitur Joannes IN MONTEM MAGNUM, ET ALTUM supra nubes: ubi fit solennis occursus Sponsi ex nube cum toto comitatu venientium ex Judicio Sanctorum in corporibus resuscitatis & gloriosis: qui excipiuntur à SS. Angelis tanquàm concives adscripti in *Civitatem* DEI *viventis* (ut dicitur Hebr. 12. v. 23. *Jerusalem cœlestem & multorum millium Angelorum frequentium*. Hæc multa millia gratulantur sibi de novis civibus, quos excipiunt, ut & hi possessionem capiant Civitatis ad quā acceperunt jus per sententiam Judicis: *Possidete*, inquit (Matth. 25. v. 34.) *paratum vobis Regnum à constitutione mundi*; præparatum iis jam tunc, ut implerent ruinas Angelorum lapsorum ab eodem mundi exordio.

Hæc est Civitas Angelorum & Hominum: & hic Sponsus humani generis gloriosi, qui illam ornavit SICUT

Sicut Sponsa: SPONSAM VIRO SUO, uxorem indissolubilem. de qua v. 9. OSTENDAM TIBI SPONSAM UXOREM AGNI: & cap. 19. v. 7. *Uxor ejus præparavit se.* & S. Augustinus in psalmum 122. *Uxor facta est* (ex *ancilla*:) *sed, donec veniat ad amplexus illos spiritales ubi securè perfruatur eo quem dilexit & cui suspiravit in ista diuturna peregrinatione, Sponsa est; & accepit arrham magnam, sanguinem Sponsi cui secura suspirat.* Addit, non ita esse Sponsam, sicut in hoc mundo: *potest enim*, ait, *fieri ut alius sponset, & alius ducat uxorem. Solus ducet, quia solus talem arrham dedit.*

Nec otiosè commemoratur (eodem v. 9.) quod *Angelus* qui Joannem assumit ostensurus, sit UNUS DE SEPTEM illis qui PHIALAS effuderant PLENAS 7. PLAGIS: ob duas causas. Primò, quia par erat ut qui annuntiaverat periculum & certamen, idem jam ostendat etiam locum æternæ requiei ac præmii. Secundò, ut ille idem (*unus de* iisdem *septem* Cap. 17. v. 1.) qui ostenderat Mulierem meretricem & ejus damnationem, ostendat etiam Mulierem Sponsam uxorem & gloriam ejus.

Civitas viva: 2. Ascendamus spiritu post Joannem, & contemplemur ea quæ modò fuerunt dicta de illa Civitate. Dicitur enim primò CIVITAS: ÆDIFICIUM VIVUM, ut nominat S. Augustinus l. c. & addit: *In istis Civitatibus* (mundi hujus) *alia est fabrica ædificiorum: alii sunt cives inhabitantes in fabrica. Illa Civitas in civibus suis ædificatur; ipsi ibi sunt lapides qui sunt cives: lapides enim sunt vivi, & vos inquit* (S. Petrus ep. 1. cap. 2.) *tanquàm lapides vivi ædificamini in domum spiritalem.* Quod igitur dicitur Civitas, hoc quidem maximè propriè dicitur, quamdiu absolutè ponitur: nam, ut rectè S. Augustinus in psal. 121. *Civitas propriè in hominibus habitantibus intelligitur.* Sicut autem in hominibus, sic & in Angelis: juxta quod idem S. Augustinus dicit in psalmum 126. ubi velut definitionem plenam tradit hujus Civitatis, his verbis: *Omnis ergo numerus fidelium sanctorum ex hominibus commutandorum ut fiant æquales Angelis* DEI, *adjuncti etiam ipsis Angelis qui modò non peregrinantur sed expectant nos, quando à peregrinatione redeamus; omnes simul unam domum* DEI *faciunt, & unam Civitatem: ipsa est Jerusalem.* Ex Angelis & hominibus. Cæterùm si addatur, Civitatem ædificari, aut ejusmodi, ut postea in Apocalypsi, jam non propriè sed per similitudinem dicitur, æquè ac cætera Apocalypseos: prout eodem loco citato in psalmum 121. distinxit idem Doctor super illo versu psalmi, *Jerusalem ædificatur ut Civitas. quare*, inquit, *non Civitas* (ædificatur) *sed UT Civitas? quia & illi, qui in eam intrant vivi, tanquàm lapides sunt: non enim verè lapides sunt. sicut illi alii ut lapides, non lapides: sic illa ut Civitas, non Civitas; quia dixit, ædificatur.* Idem ferè observavit S. Hieronymus in Ezech. 40. *quando autem dicitur* (Ezech. v. 2.) *quasi ædificium Civitatis, non verè Civitas sed Civitatis similitudo monstratur, de qua scriptum est* (ps. 68.) *gloriosa dicta sunt &c. &* (ps. 121.) *quæ ædificatur UT Civitas.*

Addi-

Additur in autographo Apocalypseos (v.10.) τὴν πόλιν, τὴν μεγάλην, τὴν ἁγίαν, id eſt, illam excellenter Civitatem, illam magnam, illam ſanctam: quæ & formâ ac republica Civitatis, & magnitudine, & ſanctitate omnibus antecellit. *Salve*, ait S. Bernardus ad milites, *Civitas ſancta, quam ipſe ſanctificavit ſibi Altiſſimus.*

Jeruſalem: Dicitur ſecundò JERUSALEM; paſſim in Scripturis: quia illic eſt *Viſio* ac poſſeſſio *pacis* æternæ: cujus figura & umbra fuit terrena Hieroſolyma. S. Auguſt. in pſal. 64. *Civitas quidem illa*, inquit, *terrena cujuſdam Civitatis æternæ, in cœlis umbram gerebat.* Et in pſal. 86. *Quomodo una Civitas ſancta Hieruſalem; una Civitas iniqua Babylon: omnes iniqui ad Babylonem pertinent; quomodo omnes ſancti ad Jeruſalem.* De utriuſque etymo, in pſal. 64. modò citato: *Videte nomina duarum iſtarum. Civitatum, Babylonis & Hieruſalem: Babylon confuſio interpretatur, Hieruſalem Viſio pacis.* Et in alium pſal. *O pax illa & æqualitas Angelorum! ô illa Viſio & ſpectaculum pulchrum!*

Habitatio cum Deo: Dicitur tertiò (v. 3.) TABERNACULUM DEI CUM HOMINIBUS, tunc quando militabatur DEO: at nunc deinceps Habitaculum, in quo IPSI perpetuò POPULUS EJUS, ET DEUS populi HABITABIT CUM EIS: prout adumbratum fuit conſimilibus verbis Lev. 26. v. 12 & 2. Cor. 6. v. 16. *Diſtinctius accipitur* (ait S. Auguſtinus in pſal. 131.) *Tabernaculum Eccleſia ſecundùm hoc tempus: Domus autem* (ſeu habitatio) *Eccleſia cœleſtis Jeruſalem, quò ibimus. Tabernaculum enim tanquam militantium & pugnantium in procinctu, in expeditione.* Et S. Thomas 1.2.q.102.a 4.ad 2. *Per Tabernaculum enim, quod eſt mutabile, ſignificatur ſtatus præſentis vitæ mutabilis: Per Templum verò, quod erat fixum & ſtans, ſignificatur ſtatus futuræ vitæ quæ omnino immutabilis eſt.*

Deſcendens de Cœlo: Dicitur quartò, DESCENDERE DE COELO. tùm quia primum initium ædificationis fuit à deſcenſu Architecti, qui eſt Unigenitus DEI fundator Civitatis: ex promiſſo Iſaiæ 54. v. 11. *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos & fundabo te* &c. tùm quia illa multorum millium civium Angelicorum frequentia illinc jam deſcendit; Chriſto, & his qui ad dexteram ejus erunt in Judicio, in occurſum: *Eſt in Cœlo*, ait S. Auguſtinus in pſal. 121. *æterna Jeruſalem, ubi ſunt cives noſtri Angeli; ab ipſis civibus noſtris peregrinamur in terra.* tùm eo ſenſu quo deſcendere ſignificat ſumpſiſſe originem: tota enim Beata Civitas habet originem ſuam de Cœlo A DEO. Quam interpretationem affert S. Auguſtinus lib. 20. de Civ. cap. 17. *de Cœlo*, inquit, *deſcendere iſta Civitas dicitur, quoniam cœleſtis eſt gratia quâ* DEUS *eam fecit.*

Nova: Dicitur quintò, NOVA. QUIA PRIMA ABIERUNT: ABSTERGET enim (v. 4.) DEUS OMNEM LACHRYMAM AB OCULIS EORUM: ubi neque MORS, neque ea quæ cum morte intraverunt in mundum, LUCTUS animi, CLAMOR oris, DOLOR corporis, quæ præterierunt. Concordant verba

Isaiæ cap.25.v.8. *præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus* Deus *lachrymam ab omni facie.* Apertissimè is qui sedebat in Throno (v.5.) ECCE NOVA FACIO OMNIA: *ut nulla*, inquit S. Augustinus l. c. *remaneant vetustatis vestigia.*

Mandat dese *scribi*: Sicut HÆC VERBA & promissa FIDELISSIMA SUNT ET VERA, sic & factum ipsum fore (v.6.) Immò, FACTUM EST, inquit, juxta illud axioma S. Augustini in psal. 125. *Omnia enim quæ futura sunt,* Deo *jam facta sunt.* Et ad eum cui dixerat, SCRIBE: SUM, inquit, α ET ω hujus & cunctarum Scripturarum in promittenda Beatitudine; faciendíque EGO sum INITIUM per gratiam datam, ET FINIS per gloriam dandam. Ille EGO qui SITIENTI, vitam quam polliceor, DABO DE FONTE AQUÆ vivæ: *quoniam*, ait psalmus 35. v.30. *apud Te est fons vitæ*: ubi Augustinus; *quis est Fons vitæ nisi Christus*? Dabo igitur, inquit, & GRATIS dabo, quia ex mea gratia, potandum & *possidendum fontem aquæ vitæ* æternæ. Dummodò ut cum illa mea gratia sudaverit ac vicerit prout decet athletam & non degenerem *filium* Dei. Nam è contrario non fons aquæ vitæ, sed STAGNUM *ignis & sulphuris*, QUOD EST MORS SECUNDA (v.8.) PARS ERIT sua TIMIDIS, recusantibus certamen, ET IN CREDULIS promissioni, aut his qui *execrabilis* erunt vitæ ac morum, HOMICIDIS, FORNICATORIBUS quos comparo cum VENEFICIS ET IDOLOLATRIS: atque OMNIBUS *mentientibus* fidem in Deum, quem (esto confiteantur se nôsse Tit.1.v.16.) *factis negant.*

ubi Fons Vitæ.

Nam in stagno mors secunda.

In ea Claritas Dei.

3. Pergit Joannes ex monte, in quem raptus est per ecstasin. *Habet* (v.11.) Civitas Beata CLARITATEM DEI, græcè δόξαν τοῦ θεοῦ: quia Deus se præbet ibi clarè & in sua gloria videndum *sicuti est*. 1.Joan.3. v.2. Hæc est illa Claritas Dei, de cujus Visione nil dici potest augustius, quàm quòd tanta ei vis insit ut assimilet, videntem & transformet in claritatem, hoc est, Beatitudinem & gloriam quâ similis sit Deo.

Quod enim Aristoteles tribuit Philosophus intellectioni naturali; animâ, intelligendo, fieri alia omnia; hoc multò sublimissimè Joannes Theologus noster asseruit l. c. de intellectione hac seu Visione Dei supernaturali ac Beatificâ: similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est. & alius Apostolus, ille ex tertio Cœlo, *revelatâ*, inquit, *facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem*, 2.Cor.3.v.18. quem utrumque locum Scripturæ attigit S. Augustinus in libris de Trin. quorum libro 12.cap.16. *plena fit similitudo*, ait, *in ista imagine* (Dei, quæ est anima humana) *per Visionem* Dei. & lib.15.c.8. *transformamur*, ait, *de gloria quâ filii* Dei *sumus, in gloriam quâ similes ei erimus.* & deprædicat *tàm optabilis transformationis bonum.*

Protinus ut Apocalypsis meminit clarè videndi Dei in illa Civitate, adjungit LUMEN EJUS, quod est græcè φωστὴρ, id est luminare, illius Civitatis,

Et Lumē quo fit Visio ejusdem.

vitatis commune omnibus incolis ejus: necessarium ad Visionem eliciendam & continuandam: à Theologis passim dictum Lumen gloriæ, vocabulo quo hîc præit Joannes Theologus; eò quòd officium ejus sit Intellectum illuminare & evehere ad Visionem gloriosam tàm sublimis Intelligibilis quod est Essentia divina. Facultas enim utique videndi Dei non competit intellectui creato secundùm suam naturam quæ est insufficiens, sed competit per Lumen gloriæ, per quod fit potens ad intelligendum; eo modo quo habitus infusi conferunt vires potentiis cæteris.

Hoc lumen, inquit Apocalypsis est illud nobile donum oculo animæ: PRETIOSUM ut gemma quæ ornat intellectum, & reddit animam Deiformem id est similem Deo: virens ut JASPIS: perspicuum SICUT CRYSTALLUS (græcè crystallizans; ut sunt jaspides apud Plinium lib. 37. cap. 8.) perfectio confortans aciem intellectualem: & augmentum virtutis intellectivæ. Quod rectè vocatur Lumen ejusdem, & dispositio supernaturalis vi cujus superadditæ penetrat anima, & dilucidè atque intuitivè videt & percipit Deum, in cujus Visione ac fruitione consistit Beatitudo. *Istud*, inquit Doctor Angelicus 1. p. q. 12. a. 5. *est Lumen de quo dicitur Apoc. 21. quòd Claritas* Dei *illuminabit eam, id est, Societatem Beatorum* Deum *videntium.* Sed hæc omnia mirabili brevitate cecinit Psaltes: *in lumine tuo videbimus lumen.* quibus verbis, psal. 35. v. 10. expressit hæc tria de Visione Dei: Lumen cum quo videtur; Visionem ipsam quâ videtur; & Lucem quæ videtur increatam, Claritatem Dei. Civitatis autem in qua videtur; & inhabitantium; & Beatitudinis mentionem facit psalmus 83. v. 5. *Beati qui habitant in domo tua Domine.*

## §. II.

### *De Muro Civitatis: ejusque portis & fundamentis.*

Murus.

1. EST Civitati sua circumvallatio (v. 12.) MURUS MAGNUS ET ALTUS: cujus STRUCTURA (v. 18.) EX LAPIDE JASPIDE. *Magnus* enim est; amplitudine circuitus: quia complectitur Civitatem quæ & Regnum. *Altus* est supernaturalitate fabricæ, quia transcendit omnem naturam. Ex gemma est *jaspide* totus; æstimatione, ac firmitate: quia pretii inæstimabilis; & immutabilitatis ac roboris est æterni. Additur in hoc loco Apocalypseos de hujus Muri Portis: & de Fundamentis accuratè.

In Portis 12. Angeli, & nomina.

*Habere* narrat PORTAS DUODECIM: totidémque IN PORTIS ANGELOS (ita græcè etiam, ἀγγέλους:) ET INSCRIPTA NOMINA DUODECIM TRIBUUM FILIORUM ISRAEL. Ha-

rum portarum *ternas* esse à singulis mundi partibus (v.13.) *singulásque portas* EX SINGULIS esse MARGARITIS (v.21.)

In Fundamentis etiam nomina 12.

FUNDAMENTA ejusdem esse DUODECIM: horum unumquodque constare EX LAPIDE PRETIOSO: ET IN IPSIS NOMINA DUODECIM APOSTOLORUM AGNI (v.14.19.20.) Ex hoc numero & verbis habemus apertissimam mentionem duodecim Apostolorum, à quibus non oporteat discedere: Ceterùm expositio integrè inquirenda est clarior & brevis.

Quæ portæ.

Murus, quo Civitas firmatur & ambitur, habet 12. Portas & 12. Fundamenta. Potestas *Apostolica* ligandi atque solvendi, quæ fuit penes Apostolos 12. & permanet in eorum successoribus, ipsæ sunt *portæ*: perinde enim est ac si dicas, Potestas aperiendi ac præcludendi. & singulæ instar sunt margaritarum quarum valor est Regni Cœlorum.

Quæ Fundamenta.

Fundamenta verò sunt Doctrina *Apostolorum*, comprehensa in 12. articulis Symboli Apostolici, qui sunt instar lapidum pretiosorum, quibus fundatus fuit & firmiter stabilitus murus Civitatis. Neque id dubium ex sacrosancto Concilio Tridentino, sessione tertia: in qua decernit *Symbolum fidei* esse tanquàm *Fundamentum firmum & unicum contra quod portæ inferi non prævalebunt*. Æquè clarè S. Augustinus lib.3. de Symbolo ad Catechum. cap.1. *Sacramentum Symboli, quod accepistis memoriæque mandatum pro vestra salute retinetis: noveritis hoc esse fidei Catholicæ Fundamentum, super quod, ædificium surrexit Ecclesiæ.* Addit Ruffinus lib. de Symbolo: esse *lapides pretiosos*. Hac diversâ consideratione iidémmet Apostoli (quod etiam postea dicemus verbis S. Augustini) sunt & Portæ Civitatis & Fundamenta.

Prophetia vetus de Portis & Fundamentis.

Portæ, quæ cùm sint pro Tribuum ingressu, & non intretur nisi per Apostolos; qui etiam ipsi sunt Angeli 12. annuntiatores salutis ad pandendum aditum: ideò Apostoli habent inscripta illa sua nomina tribuum; eorum qui verè *Israël* & Apostolici. Quia verò *accedentem oportet credere*, ac sine fide nullus dari potest ingressus: ideò Articuli eorumdem Apostolorum & doctrina Symboli, quam com-posuerunt, sunt pro Fundamentis muri.

Igitur *in Portis Angeli duodecim*: id est, ipsi vigiles Apostoli, præditi eâ potestate & auctoritate aperiendi atque admittendi in Regnum: ipsi Nuntii cœlestes (hoc est enim propriè Angelum esse) salutis, & duces Tribuum undique: quarum nomina habent inscripta, quoniam hoc introierunt ex toto orbe 12. Tribus, id est universitas Sanctorum, veri Israëlitæ. Et intratum est in nomine TRINITATIS (*undique in Trinitate*, ait S. Augustinus in psal.86.) ideò ternæ portæ à singulis æquè partibus mundi. Illa Potestas, margaritæ: illa Doctrina, lapides pretiosi.

Portæ ternæ ex omni parte mundi.

Hoc posito Apostoli eatenus & Portæ & Fundamenta: Portæ intuitu Potestatis; eæque totidem margaritæ lectissimæ ex mari hujus sæculi. Intuitu Doctrinæ sunt lapides pretiosi in hoc ædificium electi, & Fundamenta quibus

bus superædificatus est murus Civitatis ad quam intraverunt Cives Sanctorum & domestici Dei, Ephes. 2. v. 20. nam quod Paulus illîc addit, Fundamentum Prophetarum, ideò adierit quia hi de Apostolorum prædicatione, doctrinâ, fundatione Ecclesiæ, prædixerunt.

Prophetia vetus de Portis & Fundamentis.

De his Fundamentis & Portis psalmus 86. hæc enim Fundamenta quibus Civitas murata innititur sunt *montes sancti*; v. 1. & hæ Portæ sunt *quas diligit Dominus*, v. 2. Juxta hunc sensum juvat audire verba S. Augustini in illum psalmum: ubi cùm dixisset, *montésque Apostoli*, addit: *portantes fabricam Civitatis, faciunt vivum quoddam ædificium.* Et mox: *Ne putetis*, inquit, *alia esse Fundamenta, alias Portas. Quare sunt Fundamenta? quia eorum authoritas portat infirmitatem nostram. Quare sunt Portæ? quia per ipsos intramus ad Regnum* Dei: *prædicant enim nobis.* Nec aliud sensit S. Hieronymus: de Fundamentis quidem in Ezech. 28. ubi de Apocalypsi Joannis docet, *in 12. lapidibus, Apostolorum numerum* demonstrari: & subdit: *Isti sunt vivi lapides de quibus ædificatur Ecclesia*, citat Eph. 2. v. 20. & 21. *superædificati in fundamento Apostolorum & Prophetarum, ipso angulari lapide Christo JESU Domino nostro in quo omnis ædificatio crescit in templum sanctum in Domino. Hi sunt lapides de quibus & in alio loco* (Zach. 9. v. 16.) *legimus*; *Lapides sancti volvuntur* (ita LXX. nam vulgata habet; elevabuntur) *super terram instar rotarum paululum tangentes humum, & volubilitate sua ad cœlestia festinantes.* De Portis autem idem S. Hieronymus in Ezech. 48. eas ait sub *Apostolicis nominibus* assignari: verba ejus cætera referemus inferiùs Tractatu 34. & 36.

Ordo sicut in Symbolo: sic in numero Apostolorum.

Eandem interpretationem admittit, quod ex v. 19. & 20. citavimus de lapidibus pretiosis: tùm ut intelligantur esse doctrina ipsa duodecim articulorum Apostolicorum, qui sint totidem pretiosæ gemmæ illo ordine quo referuntur in Symbolo: tùm ut ipsi Apostoli sint Fundamenta ex lapidibus pretiosis singulis, ratione Doctrinæ Apostolicæ quam sanxerunt: sicut iidem sunt portæ ex singulis margaritis, suæ singulorum Potestatis Apostolicæ ad aperiendum. Idque illo, etiam ipsi, ordine quo recensentur in Evangelio S. Matthæi Cap. 10. v. 2. *Primus Simon*, &c. qui ordo & enumeratio nominum respondet ordini & enumerationi lapidum pretiosorum: de qua S. Hieronymus in Caput 10. Matthæi sic pronuntiat: *Ordinem Apostolorum & meritum uniuscujusque illius fuit distribuere, qui cordis arcana rimatur.* Cæterùm ordo S. Scripturæ accuratissimè est apud Matthæum: nisi quòd, ut observat S. Hieronymus, post Thomam se ponit Matthæus uti & publicanum se appellat. *Cæteri Evangelistæ*, ait, *in conjunctione nominum primum ponunt Matthæum & postea Thomam, nec Publicani nomen adscribunt.*

Inscriptio est: Agni.

3. Non est prætermittendum, quod de Fundamentis & inscriptione nominum duodecim adjunxit Apocalypsis, esse nomina Apostolorum AGNI. Quoniam per hoc quòd ad Agnum referuntur, & per hoc quòd sunt

Agni, acceperunt ut sint Fundamenta. *Fundamentum*, inquit S. Augustinus l. c. *Christus & primum & maximum*: & citat 1. Cor. 3. v. 11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est quod est Christus JESUS. Quemadmodum* apertè (sine metaphora) *dicitur Sanctus Sanctorum, sic figuratè* (allegoricè) *Fundamentum fundamentorum.* Hæc Augustinus.

Quia ipse est summus lapis & Fundamentum omniũ: Sicut & Porta:

Et sicut de Fundamentis, ita & de Portis: ut sit ipsa universalis Porta is qui est Ostium ostiorum: sicut Fundamentum universale ipse *summus* est *angularis* & pretiosissimus *lapis* in quo tota super-ædificatio (Doctrina & meritum) ultimò fundatur. De portis allegat Augustinus illud Christi Joan. 10. *Ego sum janua*: & admirabundus; *quomodo*, inquit, *ergo Tu omnia! quomodo per Te omnia!* Respondet huic admirationi paulò infrà: *Cùm dicuntur duodecim Portæ Jerusalem, & una Porta Christus, & 12. Portæ Christus: quia in duodecim Portis Christus.* Rationem antea dedit idem Doctor: corpora non posse simul hæc esse: at ait; *Divinitas, quæ ubique præsto est, totum potest esse in similitudinibus, quia nihil eorum est in proprietatibus.*

Utrumque simul; ut in mysticis.

Sic ergo spiritualiter Apostoli & Fundamenta & Portæ simul: quatenus iis assistit Divinitas *Agni.*

## §. III.

### *De mensura Civitatis.*

Mensura quid significet:

1. HABEBAT Angelus (v. 15.) MENSURAM ARUNDINEM AUREAM, qua METIRETUR coram Joanne CIVITATEM, ET PORTAS EJUS, ET MURUM. Arundo illa mensoria, Græcè κάλαμος, constat, (ut dicit Ezechiel cap. 40. v. 5.) sex cubitis & palmo: accipiendo cubitos humanos: hac enim usum esse dicit (v. 17.) MENSURA HOMINIS QUÆ EST ANGELI; ad eundem modum quo & staturâ ac specie hominis, in qua apparebat Angelus. Verùm illud, *hominis quæ & Angeli*, plus indicat: videlicet, intelligendam esse mensuram intellectualem; æstimantis hominis eo spirituali intellectu, quo æstimat Angelus. Nam Angeli ex quantitate meritorum apud DEUM arbitrantur etiam ac veluti metiuntur, de quantitate gloriæ adipiscendæ: Eadémque opera datur intelligi, utrisque æquè hominibus ut Angelis in illa Beata Civitate gloriam & præmium Beatitudinis responsurum meritis cujusque. Ita intellexit S. Hieronymus, qui in Commentario in Zachariæ 2. de Ecclesia: *quotidie*, ait, *ædificatur ab eo qui novit mensuras & merita singulorum.* & in Ezech. 40. *Calamus autem mensuræ significat notam esse* DEO *conversationem nostram, & notam esse rationem operum singulorum.*

Hominis; quæ est Angeli.

Jam sicut ipsa gloriosa Civitas dicitur

tur esse *aurea* (v.18.) cujus muri structura ex jaspide, & portarum ex margaritis: ita *mensuram* quæ assumitur (meritum, cui respondebit gloria) convenit dici AUREAM, quæ soliditate ac pretio congruat.

In quadro posita est.

2. Civitatis igitur hæc est dimensio. formæ est quadratæ: ἡ πόλις τετράγωνος; æquilatera versus quatuor mundi plagas (Ezech.48. v.16.) & in accuratum extructa *quadrum* geometricum: ita ut LONGITUDO, ALTITUDO quâ & profunditas continetur, ac LATITUDO sint ÆQUALIA: quo exprimitur architectura omnibus numeris perfecta, & accommoda plenissimæ habitationi & commoditati civium à quatuor mundi partibus congregatorum.

Structura singulorum quadrata.

Et lapides quidem, hujus quadri, etiam ipsi sunt quadrati singuli: tales enim sunt antea præparati ab artifice Architecto. De quibus S. Augustinus in psal. 86. *Non enim frustra etiam de lignis quadratis ædificata est arca Noë quæ nihilo minus figuram gestabat Ecclesiæ. Quid est enim quadrari? attendite similitudinem quadrati lapidis: similis debet esse Christianus. In omni tentatione suâ Christianus non cadit; & si impellitur & si quâ vertitur, non cadit. Nam quadratum lapidem quacunque verteris, stat.* Allegat exemplum Martyrum: *Cadere*, ait, *visi sunt Martyres, cùm percuterentur.* Et exhortans: *Sic ergo conquadramini, ad omnes tentationes parati; quidquid impulerit, non vos evertat: stantem te inveniat omnis casus.* Hæc de singulis.

Et Civitas integra quadrata.

Per hoc autem quod tota CIVITAS dicitur IN QUADRO POSITA, significatur perfectio Beatitudinis communis omnium Civium ex omni parte ac velut latere civitatis: utpote quam deceat *sanctitudo* & Beatitas *in longitudinem dierum*, psal.92. v.5. latitudinem possessionis omnium bonorum ad quam dilatatur & extenditur: altitudinem *supra modum in sublimitate* & profunditatem ponderis gloriæ, 2. Cor.4.v.17. incomprehensibilem mortalibus. Juxta Apostolum monentem ut adnitantur posse *cum omnibus Sanctis comprehendere* quæ sit illius Beatitudinis *latitudo, & longitudo, & sublimitas & profundum*; Eph. 3. v. 18. quasi dicat: omnium hoc esse & solorum Sanctorum, quibus inde apud Theologos nomen Comprehensorum; non quidem undequaque DEI quem vident, quia is est soli sibi propriè comprehensibilis; sed Beatitatis cœlestis & felicitatis cum qua DEUS videtur.

Cū proportione mansionum:

Huc pertinet, quòd sicut ædificio Civitatis in terris addit decorem, sicubi omnes domus æquè sint longæ, latæ, & altæ: sic in illa cœlesti civitate in qua *mansiones* (ut dicitur Joan.14.v.2.) & velut domus *multæ* sunt, singulis earum æqualis sit longitudo, latitudo, altitudo: id est, quòd familiæ domesticorum DEI cives singuli habeant Beatitudinem perpetuam; & singuli possideant bonum infinitum (*bonum omnis boni*, ut loquitur Augustinus;) & singulos reddat beatos idem summum ac sublime Bonum: quamvis eorundem sit mansio distincta, hoc est gradus diversi quibus illo eodem Bono, alius

aliò beatiùs perfruitur particeps. quæ est doctrina S. Thomæ 1.2.q.5.a.2. Ex quo mirificè augetur pulchritudo Civitatis cum varietate & proportione mirabili: insuper & illa perspicuitate mansionum, de qua Apocalypsis, appetibili omnium oculis & amœnissimâ, ad similitudinem vitri mundi; ut dicitur de tota Civitate v.18. IPSA inquit, CIVITAS AURUM MUNDUM SIMILE VITRO MUNDO.

Et perspicuitate undique.

Dimensio quadri: duodecies millena stadia.

3. Mensura totius Civitatis quadratæ (v. 16.) STADIA DUODECIM MILLIA (quorum octo alibi meminimus constituere milliare Italicum:) ita ut singula sint latera trium millium stadiorum; ubi recurrit mentio TRINITATIS: éstque ille numerus uterque, tàm duodecim quàm mille, usu Scripturæ sacræ absolutissimus. & significat admirandam Beatæ Civitatis amplitudinem: quæ & Regnum dicitur omnium longè Regnorum amplissimum & populosissimum: ex omnibus retrò sæculis & plagis mundi collectam; cujus unica portio, quæ Joanni ostensa fuit Capite 7. v. 9. visa est innumerabilis: Angelorum verò Beatorum etiam major est multitudo.

Celsitudo muri.

Denique de muro Civitatis, dicitur esse (v. 17.) CENTUM QUADRAGINTA QUATUOR CUBITORUM: qui numerus est duodenariorum omnium perfectissimus (nam duodecies duodecim sunt 144.) & significat summam celsitudinem muri, ac protectionem habitationis beatæ. Si enim duodenarius habetur in Scripturis numerus perfectus: quantò major perfectio, ubi is numerus in se ductus est per multiplicationem!

# TRACTATUS XXXIV.

## IN CAPITIS XXI. VERSUS DUOS. 19. & 20.

Sequitur elogium Fundamentorum muri singularum: quod peculiaribus binis Tractatibus prosequemur. Et primùm quidem generali de iis velut prooemio præparandus est Lector.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 21. Versu 19. & 20.) *Et fundamenta muri Civitatis omni lapide pretioso ornata, Fundamentum primum Iaspis: secundum, sapphirus: tertium, chalcedonius: quartum smaragdus:* (v. 20.) *Quintum*

„ *tum sardonix: sextum, sardius: septimum, chrysolithus: octavum,*
„ *Beryllus: nonum, topazius: decimum, chrysoprasus: undecimum, hya-*
„ *cinthus: duodecimum, amethystus.*

# PROOEMIUM.

## *In expositionem.*

Lapides pretiosi, hieroglyphica cœlestium.

1. GEmmæ seu Lapides pretiosi, quos enumerat Apocalypsis, gignuntur in visceribus terræ ex Cœli & Stellarum influxu, quarum naturam referunt; velut stillæ de Cœlo concretæ, cujus lucem, nitorem, vim participant. Ac proinde idonea hieroglyphica sunt rerum cœlestium: ac præsertim fundamentorum in muro Civitatis cœlestis; quæ debeat utique constare ex lapidibus: at horum pretiosissimi sunt gemmæ. Et quoniam duodecim sunt Fundamenta, singula ex singulis gemmis hîc recensitis; ex harum duodecim gemmarum locatione & inter se coaptatione oritur ille decor, de quo dicitur, initio versus decimi noni: FUNDAMENTA MURI esse OMNI LAPIDE PRETIOSO ORNATA ordinatáque. S. Hieronymus in Isaiam: postquàm citasset verba Prophetæ cap. 54. v.11. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos & fundabo te in sapphiris, & ponam jaspidem propugnacula tua; & portas tuas in lapides sculptos; & omnes terminos tuos lapides desiderabiles: Veniamus,* ait, *ad sensum: Loquitur ad Ecclesiam quòd ipse veniat, ipse descendat, & ædificet in terris cœlestem Hierusalem, quæ in Apocalypsi Joannis vocatur Sponsa & Uxor Agni, habēs lumen simile lapidis pretosi sicut jaspidis & crystalli: & murum magnum: & portas 12. inscriptas nominibus tribuum Israël, quarū tres erant ab Oriente & tres ab Aquilone & tres ab Austro & tres ab Occasu Solis: murúsque fultus 12. Fundamentis: cujus omnis ædificatio ex lapide jaspide: & singula Fundamenta murorum habebant singulos lapides; primum jaspidem, 2. Sapphirum, 3. Chalcedonium, 4. Smaragdum, 5. Sardonichum, 6. Sardium. 7. Chrysolithum, 8. Beryllum, 9. Topazium, 10. Chrysoprasum, 11. Hyacinthum, 12. Amethystum. quod legentes exclamamus illud, & dicimus: O profundum sapientiæ & scientiæ* DEI! & infra: *De his lapidibus ædificat Christus Ecclesiam super petram, dicens in Evangelio: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quam Civitatem qui meruerit intrare, gaudens loquitur in Domino* psal. 47. v.9.) *sicut audivimus ita vidimus in Civitate Domini virtutum, in Civitate* DEI *nostri,* DEUS *fundavit eam in æternum.*

Horum fundamentales 12.

De his duodecim Fundamentis diximus in Tractatu præcedente §. 2. ea esse veritates duodecim fundamentales ædificationis Apostolicæ, seu duo-

Symbolum Apostolicum: & ipsimet Apostoli.

decim articulos Symboli: ipsósque Auctores hujus doctrinæ, duodecim Apostolos. De quibus prophetasse censendus est Isaias l. c. Quin etiam, præter hoc vaticinium Isaiæ, respici docet S. Hieronymus ad lapides pretiosos Exod. 28. v. 21. quos gerebat summus Pontifex in ornamento illo pectoris sui quod dicebatur Rationale: in quibus lapidibus erant insculpti duodecim Patriarchæ (seu nomina totidem Tribuum) qui figurabant Apostolos; hi enim sunt Patriarchæ fidelium. *quos*, ait S. Hieronymus in caput 28. Ezechielis, *verus Pontifex, de quo scriptum est, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, portat in pectore ut*, inquit, *in duodecim lapidibus Apostolorum numerum demonstret.*

Quid de cómentatione in singulos lapides senserit S. Hieronymus.

2. Porrò poterat nobis, ac penè cœperat, videri supervacaneus labor aptare singulas gemmas velle singulis cùm Apostolicis articulis, tùm Apostolis Doctoribus. Sed S. Hieronymus nos permovit quando in Ezechielem l. c. de his lapidibus pretiosis, memor Apocalypseos inprimis, sic scribit: *quorum colores atque naturas & efficientias singulorum non est hujus temporis disserere, sed proprium volumen desiderant: ita ut in Ezechiele, & in Exodo, & in Apocalypsi, & in Isaia* (Ezech. 28. v. 13. Exod. 28. v. 17. & seqq. Isa. 54. v. 11. & 12.) *sibi omnes lapides & lapidum ordines comparati magnam & legenti & disserenti faciant quæstionem.* Hæc S. Hieronymus. qui, velut exhortando diligentem Lectorem, & intento digito in adjutores hujus notitiæ, hæc addit: *Super quibus & vir sanctus Epiphanius Episcopus proprium Volumen mihi præsens tradidit; & tricesimus septimus liber Plinii Secundi, naturalis historiæ, post multiplicem omnium rerum scientiam, de gemmis & lapidibus disputat: ad quorum notitiam diligens à nobis mittendus est Lector.*

Quid de singulis duxerit poquirendum.

Eadem ferè scribit in Isaiam cap. 54. *De natura autem*, ait, *duodecim lapidum atque gemmarum duos tantùm nominabo: virum sanctæ & venerabilis memoriæ Episcopum Epiphanium, qui insigne nobis ingenii & eruditionis suæ reliquit volumen, quod inscripsit περὶ λίθων: Et Plinium Secundum, in opere pulcherrimo naturalis historiæ* &c.

Tanto auctore S. Hieronymo, operæ pretium facturi, & ex illis scriptoribus quos suggessit, tanquàm ex fontibus, DEO juvante, exemplóque recentiorum quorundam qui diligenter in hanc materiam Apocalypseos sunt commentati; adaptabimus breviter & accuratè singulas gemmas in hoc quidem Tractatu præsente singulis Articulis Apostolicis; tum in Tractatu sequente Apostolis ipsis quos per eos significari SS. Patres indicant. Inhærebimus potissimùm Plinio, quandoquidem ad hunc nos relegavit S. Hieronymus.

Symboli Apostolici Articulus primus.

Eandem operam Lectori sacræ Scripturæ necessariam duxit S. Augustinus in libris suis de doctrina Christiana, in quibus Lectorem Scripturarum instituit: qui lib. 2. cap. 16. sic ait E. c. *Nam & carbunculi notitia, quòd lucet in tenebris, multa illuminat etiam obscura Librorum ubicunque propter similitudinem poni-*

*ponitur: & ignorantia berylli vel adamantis claudit plerumque intelligentiæ fores.* Itaque hujus studii nobis authores fuerunt hi duo maximi Doctores: & suo exemplo Sancti Hieronymus & Ambrosius aliquâ ex parte præierunt; ille in Isai.54. istum verò suo loco adducemus.

Quid de singulis duxerit inquirêdum.

3. Hoc autem est quod de his Lapidibus singulis est inquirendum: applicandi sunt vel fidei eorum mysteriorum quæ Apostolici Doctores tenenda posuerunt in suo Symbolo: vel virtutibus,quibus iidem ipsi præluxerunt suis posteris. Ita de virtutibus docet S. Hieronymus in Isa.54. his verbis: *Respondeant amatores tantùm occîdentis literæ* &c. *quæ sit ista cœlestis Jerusalem, cui nunc dicitur: Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos: & sit in ea pax perpetua & ædificatio justitiæ* (is est versus Isaiæ 14. & in justitia fundaberis.) *Ex quo perspicuum est,sub occasione justitiæ, quod virtutis est nomen, etiam cæteras virtutes in ædificationem Ecclesiæ debere nos quærere.*

Quod ad Symbolum fidei Apostolicum attinet, de quo in hoc Tractatu: prorsus relinquemus intactum ordinem ac divisionem totam Articulorum: quam venerationem debemus Traditioni Apostolicæ & sanctæ universæ Ecclesiæ sic distinguenti.ne, ut recentiores quidam, Symbolum ad nos traxisse videamur, sed ad Symbolum exigamus integram nostram expositionem.

## §. I.

## *De primis 4. Lapidibus pretiosis Fundamentorum.*

Symboli Apostolici Articulus primus.

1. FUNDAMENTUM, ait Apocalypsis, PRIMUM, JASPIS. firmissimus est: origine primus & antiquissimus omnium gemmarum; *antiquitatis*, inquit Plinius lib.37. cap.8. *gloriam retinens.* Addit initio capitis noni,certum jaspidis genus *pro amuletis* habitum: & S.Hieronymus (in Isai. cap.54.) *quo omnia phantasmata fugari autumant. viret*,ait Plinius: & ea gemmarum jaspidum *optima* inquit, *quæ purpuræ quidquam habet*, id est, maculas seu venulas purpureas colori viridi inspersas.

Quid firmius primo articulo Symboli, qui est de omnipotentia Creatoris? quid antiquius creditu quàm de opifice mundi,aut notius etiam Ethnicis? Christianis verò de Persona Patris quæ prima est origine? Quod amuletum præsentius & tàm virens contra omnia adversa,quàm confidere & inniti Omnipotentiæ? articulo asperso purpurâ per fiduciam Martyrum in DEO ut Omnipotente!

2. *Fundamentum* SECUNDUM SAPPHIRUS. Est colore Cœli sereni: &, ut addit Plinius cap. 9. *aureis punctis collucet.* Apud Mangones gemmarum nomen habet Gemma sacra: eóque nomine magnâ semper in veneratione veteribus; symbolum (apud Pie-

Articulus secundus.

Pierium lib.41.hierogl.cap.38.) Imperii aut Sacerdotii summi. dictus authore S. Hieronymo Saphir idiomate Hebræo, id est pulcher.

Quid pulchrius Filio DEI, de quo est 2. articulus? illo specioso in forma DEI? illo qui de Cœlo cœlestis, 1. Cor. 15.v.47. illo Rege Regum & summo Sacerdote in æternum? quæ gemma tàm sacrosancta: tàm & aureæ punctis charitatis, quâ sic DEUS dilexit mundum, coruscans quàm ille articulus symboli? S. Hieronymus l.c. in Isaiam: *Ezechielis quoque*, ait, *Scriptura commemorat, quòd locus, in quo Thronus* DEI *sit, Sapphiri habeat similitudinem; & gloria Domini in hoc colore consistat, qui portat imaginem supercœlestis.* Locus Ezechielis sic habet, Cap.1. in descriptione 4. sacrorum animalium, v.26. *Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis Sapphirini, similitudo Throni: & super similitudinem Throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper*; qui est homo JESUS Christus Filius Patris unicus, Dominus noster.

Articulus tertius. 3. *Fundamentum* TERTIUM, CHALCEDONIUS. sic dictus, tùm quia similis est æri candenti; æs enim est græcè χαλκός; unde apud Plinium cap.11. etiam *Chalcitis* dicitur gemma *æris* colore: tùm quia celeber ab urbe Chalcedone, ubi eruitur. genus est Carbunculorum: qui hoc nomen habent à carbone ignito, sicut & apud Græcos ἄνθραξ. Horum meminit S. Augustinus lib.2. de doctr. Christ. cap.16. in tenebris lucere, & splendescere magis interiùs quàm exteriùs. Et S. Isidorus lib. 16. cap. 13. *Carbunculi fulgor nec nocte vincitur: colore ignitur ut carbo: lucet in tenebris.* De his Plinius in fine capitis 6. atque initio 7. *gemmarum*, inquit, *ardentium principatum habent Carbunculi, à similitudine ignium appellati:* & paulò post: *optimos verò (observant) amethystizontas, hoc est, quorum extremus igniculus in amethysti violam exeat.* Et infra: *ex eodem genere ardentium & alias invenio duas; unam quæ purpurâ radiet, alteram quæ cocco; à Sole excalfactas aut digitorum attritu, fila & paleas ad se rapere.*

Quæ gemma tàm etiam in tenebris lucet (Joan. 1. v.5.) quàm Articulus tertius, de Conceptione Filii DEI & de nocte Nativitatis tàm lucidâ? quis carbo tàm ignitus (eâ comparatione utuntur S. Justinus ad orthodoxos: & S. Cyrillus lib. de Incarnatione VERBI) quàm Humanitas Divinitati unita per operam Spiritus sancti ex Virgine? quis igneus color tàm in humilem violam desinens & ἀμεθυςίζων gratiosus? quæ conjunctio hæc æris candentis; duarum naturarum in una personâ! articulus definitur Chalcedone in Concilio celeberrimo, contra utrumque hæresiarcham Nestorium & Eutychetem: quorum paleas attraxit & subtraxit areæ Ecclesiasticæ, & discrevit à tritico (Matth.3.v.10.) Articulus quintus.

Articulus quartus. 4. *Fundamentum* QUARTUM, SMARAGDUS. De hoc lapide Plinius cap.5. *nullius coloris aspectus jucundior est: nam herbas quoque virentes frondesque avidè spectamus: smaragdos verò tantò libentius; quoniam nihil omnino viridius, comparatum illis, viret* præ-

*præterea soli gemmarum, contuitu, oculos implent, nec satiant: quin & ab intentione aliâ* (id est alio intentiore intuitu) *obscurata, aspectu Smaragdi recreatur acies: scalpentibúsque gemmas non alia gratior oculorum refectio est, ita viridi lenitate lassitudinem mulcent.* addit, aquis ipsis esse translucidiores: *ad crassitudinem sui* (id est præterquàm quòd crassi sint) *facilitate translucidâ, quod etiam in aquis non fit.* & servire pro speculo: *Eâdem, qua specula, ratione supini imagines rerum reddunt: Nero Princeps, gladiatorum pugnas spectabat Smaragdo.* narrat de sepulchro in Cypro: *ferunt in ea insulâ tumulo Reguli Hermiæ, juxta cetarias, marmoreo Leoni fuisse inditos oculos ex smaragdis ita radiantibus etiam in gurgitem, ut territi instrumenta refugerent thyani, diu mirantibus novitatem piscatoribus donec mutavere oculis gemmas.* Hæc Plinius. Observat S. Epiphanius saporem Smaragdis esse amarum & acerbum. alii, etiam affinitatem eis cum ære ac duritiam ob quam non læ-datur; vel ut loquitur Plinius, *nequeant vulnerari.* constat esse amuletum contra venena.

Quid æquè viret atque Articulus quartus, de Passione Domini, crucifixione, & morte? quid tàm oculos contemplantium implet, nec satiat videndo? quod speculum translucentius pœnitentiæ pro humano genere, virtutum Christi, attributorum divinorum! fortis ut mors, illa patientis dilectio, dura ut infernus æmulatio! quid tàm amarum? & medium contra venena libidinis? æneo serpenti comparatum.

## §. II.

### *De Lapidibus pretiosis 4. sequentium Fundamentorum.*

Articulus quintus. 5. FUndamentum QUINTUM, SARDONYX. Gemma sic dicta quòd sit candida sicut Onyx, rubea sicut Sardius. Onychi nomen inde quòd formam referat unguis humani: nobilissima verò species Onychis est Sardonyx. Hoc est quod Plinius cap. 6. Sardonychas appellatas fuisse scribit à *candore in Sarda, hoc est, velut carnibus ungue hominis imposito, & utroque translucido.* Innuit hanc gemmam pro sigillis adhibitam placuisse, *quoniam,* inquit, *sola propè gemmarum scalptæ ceram non auferrent,* id est, quòd pro anulo sigillari usurpatis non adhæreat ulla cera in signando. Meminit earum quæ *excellunt, candore circuli prælucido in ipsis umbonibus* (id est in medio gemmæ) *nitente, præterea substrato nigerrimi coloris: superficies verò locustarum maris crustis rubentior.* Ex his tot coloribus quandam illis tribuit similitudinem Iridis: *quædam,* inquit, *in iis cœlestis arcus anhelatio est.* Subdit generatim de Onyche verba hæc: *Sudines* (Auctor) *dicit in gemma esse candorem, unguis humani similitudine: item Chrysolithi colorem, & Sardæ, & Iaspidis. Satyrus* (etiam Au-

Auctor) *veram autem Onychem plurimas variásque cum lacteis Zonis habere venas, omnium in transitu colore inenarrabili, & in unum redeunte concentum suavitate gratâ.*

Quid similius Sardonychi, quàm Articulus quintus, Descendit ad inferos & resurrexit? instar est unguis ex quo Christus deprehenditur homo integer, qui & descenderit animâ tenus & resurrexerit corpore. Candor & rubor in carne vera suscitatâ (nam Spiritus carnem & ossa non habet; Luc. 24. v. 39.) colorum & gloriæ corporis inenarrabili suavitate & concentu. iris & spes de dormientibus, 1. Thess. 4. v. 12. & gemma obsignatoria prædicationis Apostolicæ ac doctrinæ de fide: 1. Cor. 15. v. 14. Si autem Christus non resurrexit, inanis ergo est prædicatio nostra, inanis & fides nostra: & v. 17. ibidem.

Articulus sextus.

6. *Fundamentum* SEXTUM, SARDIUS: Plinio, Sarda. *Nomen*, inquit Plinius cap. 7. *cum Sardonyche communicavit: primùm Sardibus reperta: sed laudatissima circa Babyloniam.* Et mox: *In India*, inquit, *argenteis bracteis sublinitur: Indicæ perlucent: nec ullæ translucentium tardiùs suffuso humore hebetantur.* Ita Plinius. Colorem habet carnis humanæ resplendentis & pellucidæ: unde & nominatur Carnerina & per abusum Cornetina vulgo. accendit gaudium: medetur vulneribus (ita liber de gemmis qui est S. Epiphanii Episcopi.) sistit sanguinem.

Quæ major communicatio Articuli sexti cum præcedente, sicut Sardii cum Sardonyche? Ascensus ad cœlos, cum Descensu in inferiores partes terræ Ephes. 4. v. 9. & Sessionis ad dexteram cum Resurrectione? (absit hinc Articulorum alia interpunctio: separatio conjunctorum, & in fine Symboli conjunctio separatorum!) quis decor tàm proprius carnis per Ascensionem & Sessionem exaltatæ? quid tàm argenteis brachiis sublinitur? dotibus gloriosis? vulnera in quantum gaudiam & gloriam vertit! sanguinem & effusionem omnem stitit; etiam lachrymarum, quæ abstersæ.

Articulus septimus.

7. *Fundamentum* SEPTIMUM, CHRYSOLITHUS. quasi dicas: aureus lapis; χρυσὸς enim græcè aurum, λίθος lapidem significat. adeò & solus nomen sibi præripit lapidis. Plinius Chrysolithos gemmas describit brevissimè cap. 9. *aureo colore translucentes: aureo* quidem, inquit; ita ut aurum ipsum cum iis collatum albescat: ait enim; *Optimæ verò sunt quæ in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogunt: translucentes* autem, eò quod color ille aureus nihil habeat opaci, sed pelluceat instar maris. unde ab aliis gemma dicitur coloris partim marini, partim aurei. Valet adversus angustias pectoris & asthma.

Quis lapis tàm validus quàm Articulus septimus de Judicio? quis tàm aureus iis qui diligunt Adventum ejus (2. Tim. 4. v. 8.?) veniet enim in nube quæ est coloris marini: & in fulgore aureo ac Majestate. Lapis hic discernit inter aurum electum & reprobum (vivos & mortuos:) in examine judicii ejus pallescet quod videbatur aurum esse. Stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt;

Sap.

Sap.5. v.1. remedium nunc contra angustiam spiritus gementium; ibidem v. 3.

Articulus octavus.

8. *Fundamentum* OCTAVUM, PERYLLUS. De his Plinius cap. 5. *Eandem* (quam Smaragdi) *multis naturam aut certè similem habere Berylli videntur. Probatissimi sunt ex iis, qui viriditatem puri maris imitantur.* hinc etiamnum Italis appellantur Aqua marina: tùm ob colorem; glaucum, id est qui ex viridi ad cæruleum vergat: tùm ob perspicuitatem. Subjungit Plinius: *Indi mirè gaudent longitudine eorum, solósque gemmarum prædicant qui carere auro malunt!* Vim habet hæc gemma ut prosit oculis & gutturi, atque inde arceat defluxiones: animat ad pugnam. Paulò antè dixerat Plinius: fulgorem ejus augeri expoliendo. *poliuntur*, inquit, *omnes sexangulâ figurâ, artificum ingeniis: quoniam hebescunt ni color surdus repercussu angulorum excitetur.*

Quid tàm proprium octavo articulo, de Spiritu sancto? qui appellationem habet in Scripturis *Aquæ vivæ*, Joan.4.v.10.& cap.7.v.38.& 39. perspicuus, quo noscuntur *profunda* DEI, 1.Cor.2.v.10. Gentes mirè gaudent, quod habetur Act.13.v.48. quia (ut cum stupore dicitur ibid. cap.10. v. 45.) *gratia Spiritus sancti effusa est* tàm longè *usque ad extremum terræ*, qui sunt Indi. *donum* DEI est, quod deprædicatur Act.8.v.19. & 20. non *possideri* auro, simoniacè: singulare oculis per donum intellectus, & gutturi per donum linguarum, animat & dirigit in pugna spirituali, concupiscente carne adversus spiritum & spiritu adversus carnem. amat excitari fulgorem suum expolitione & actu super-naturali, Exercitiis (quæ vocant) spiritualibus.

## §. III.

### *De lapidibus pretiosis reliquorum 4. Fundamentorum.*

Articulus nonus.

9. FUndamentum NONUM, TOPAZIUS: Plinius caput octavum sic incipit: *Egregia etiamnum Topazio gloria est suo virenti genere.* Sancto Ambrosio (in illa verba psalmi 118. v.127. super aurum & topazion) *pulcherrimus & mirabilis quem dives Regina mirata sit.* narraverat de Berenice, matre Regis Ptolomæi II. *illam quamvis regalibus ornamentis abundaret, supra modum tamen colore ejus stupefactam, elaborasse ut diutius species tàm pretiosi lapidis non lateret.* gemma est tota diaphana: & maxima seu, ut Plinius loquitur, *amplissima gemmarum. resplendenti similis*, ait S.Ambros. l. c. *maximè cùm Solis radiis percutitur.* addit de Topazio: *naturâ hujusmodi, ut si polire & lævigare eum velis, asperetur magis.* rationem dat: *Est autem quodam genitali opere naturæ* euglyphus, *hoc est, benè figurabilis.* Hæc Ambrosius. & paulò antè: *Duorum colorum est in hoc lapide* χρῶσις *hoc est quædam*

*temperata permixtio*, πρασοειδὴς & χρυσόπτερον: id eſt, quod & veteres referunt de ſuo Topazio, coloris partim aurei eſt, partim porracei cujus herbæ vires medicas imitatur. porrum enim, ut docent Phyſici, ſanat pectus, medetur morſibus ſerpentum, confert ad vocem, ad fœcunditatem, ad placidam mortem. de illo Plinius lib. 19. cap. 6. quòd ei *auctoritatem dederit Princeps Nero: vocis gratia, ex oleo ſtatis menſium omnium diebus, nihilque aliud ac ne pane quidem, veſcendo*. apud eundem de ſucco ejus memorabile: *Fama eſt*, ait, *Melam equeſtris ordinis in ſumma deſperatione* (cupidum facilioris mortis) *ſucco porri ad trium denariorum argenteorum pondus hauſto, confeſtim expiraſſe ſine cruciatu*. Hæc de porro herba: de Topazio autem lib. 37. cap. 8. *Ejus enim*, ait, *tota ſimilitudo ad porri ſuccum dirigitur*.

Quid magis congruum Articulo nono, de S. Eccleſia Catholica? cui egregia etiamnum & ſemper gloria eſt ſuo virenti genere. non ſolius Ambroſii voce ſed Doctorum omnium elogio, calamóque S. Scripturæ (Cant. 4. v. 1.) *quàm pulchra, quàm pulchra*! quid tàm reſplendet radiis Solaribus quàm ea quæ eſt amicta Sole, Apoc. 12. v. 1. quid tàm euglyphum per ſe, quàm quod à Spiritu ſancto habet ortum ſuum: cui ſicut cohæret Eccleſia, ſic Articulus ejus, in Symbolo, priori Articulo de Spiritu ſancto. Diaphana eſt, neceſſariorum omnium dogmatum claritate. magnitudine ampliſſima, per totum orbem terrarum. habet multum porracei: acrimoniam doctrinæ de caſtigatione carnis & obſervatione præceptorum: ſanitatem impertit per adminiſtrationem legitimam Sacramentorum: afflatum aut morſum hæreſeon tollit: ſine illa, vox eſt rauca & nullum verbum DEI ſincerum: extra illam ſterilitas pariendi filios DEI. In Eccleſia Catholica, ibi in Communione ſanctorum mori, deſperationis antidotum eſt, & levamen omnis cruciatus, ac ſolatium expiranti.

10. *Fundamentum* DECIMUM, CHRYSOPRASUS. de quo Plinius cap. 8. *Viridantium & alia plura ſunt genera*: quarum gemmarum tribus generibus recenſitis: *Præfertur his*, ait, *Chryſopraſius; porri ſuccum & ipſa referens, ſed hæc paulùm declinans à Topazio in aurum*. ſic enim eſt praſini coloris, ut inſperſus ſit aureis guttis: à quo utroque ei nomen; etenim porrum græcè πράσον appellatur. Hæc gemma confortat aciem oculorum, ut in rem viſam defigi firmiter poſſit: dilatat & exhilarat animum ac ſpiritus vitales. Articulus decimus.

Quæ alia gemma ſimilis Articulo decimo, de Remiſſione peccatorum? etiam ipſe auſteritatem & pœnitentiam præfert, à qua declinat in ſplendorem aureum gratiæ DEI. Eſt viridis Spei ſignificantiſſimum ſymbolum. confortat oculos quibus DEUS videtur (Matth. 5. v. 8.) mundando cor & conſcientiam: dilatat animum, innovato ſpiritu.

11. *Fundamentum* UNDECIMUM, HYACINTHS. Color ei cœleſtis; cæruleus enim: at is modicè diluitur violaceo; quæ phraſis eſt Plinio familiaris: *ille*, inquit cap. 9. *in amethyſto* Articulus undecimus.

*thyſto fulgor violaceus, dilutus eſt in Hyacintho: primo quoque aſpectu gravis, evaneſcit antequàm ſatiet; adeoque non implet oculos, ut penè non attingat, marceſcens celeriùs ſui nominis flore.* Veterum Hyacinthus arcebat peſtem, venenum, fulmina. Gemma eſt concolor flori cognomini, qui etiam flos eſt medela contra ſerpentes. In flore Hyacinthi duæ velut literæ apparent AI, quæ eſt interjectio ſuſpirantis, quas natura foliis intexuit: quæ occaſio fuit Poëtis fabulandi (Ovid l. 6. Metam.) Ipſe ſuos gemitus foliis inſcripſit & *ai ai* Flos habet inſcriptum. Gemmas *Hyacinthos Æthiopia mittit,* ait Plinius l. c.

Quæ doctrina tàm cœleſtis quàm illa undecimi Articuli de carnis reſurrectione ad Cœlum. quid tàm flori ſimile quàm de refloreſcentibus corporibus juſtorum? quid tam ſalubre creditu, nullam iis fore contagionem concupiſcentiæ, nullum deinceps venenum mortiferum, nullum fulmen iræ divinæ, nullum afflatum ſerpentis metuenda. ut quiſque fuerit hîc corpore aduſtiſſimo & denigratiſſimo ab æſtu & aliis incommodis, ita formoſiſſimâ & optimâ ſpecie reſurget. Verùm enimverò fulgor hic Spei dilutus eſt violaceo, timore reſuſcitationis in carne reproba: 1. Cor. 15. v. 51. *omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur!* gaudium eſt in primo aſpectu Articuli: nondum implet oculos: modicè marceſſit: & eſt dilutio fulgoris in gemma; *ai ai in flore!*

Articulus duodecimus. 12. *Fundamentum* DUODECIMUM, AMETHYSTUS, ſic dictus, quòd reſiſtat ebrietati: unde τὰ ἀμέθυσα græcè, id eſt remedia contra ebrietatem (α enim particula privativa, & μεθύσκω eſt inebrio.) vel, ut ſcribit Plinius cap. 9. *Cauſam nominis afferunt, quòd uſque ad vini colorem accedens, priùs quàm eum deguſtet, in violam deſinat: fulgórque quidam in eo purpuræ non ex toto igneus, ſed in vini colorem deficiens.* Ut ut eſt, ſymbolum eſt ſobrietatis & vigilantiæ. Pergit Plinius: *Perlucent autem omnes violaceo colore*: id quod commune habent cum Hyacintho; niſi quod in hoc dilutus, in amethyſto fulgor plus emicet. *quando præcellens;* (verba ſunt Plinii) *debet eſſe in ſuſpectu, velut ex carbunculo refulgens, quidam in purpura leniter roſeus nitor.* De talibus idem Plinius: *malunt vocari,* ait, *multi Veneris gemmam: quòd maximè videtur decere & ſpecie & colore gemmæ.* Sunt qui addant, Sardium, gemmam, eſſe matrem Amethyſti: unde fiat, quòd in aliquibus gemmarum ex una parte Sardium, in altera ſit amethyſtum videre.

Quid huic Articulo duodecimo de vita æterna, communius cum Hyacintho, id eſt, articulo præcedente de Reſurrectione ad vitam? ſuperat tamen quantum amethyſtus hyacinthum fulgore, tantum mentio vitæ æternæ nomen reſurrectionis: neque hoc ſolum, ſed maximè vita animæ æterna & Viſio Beata gloriam corporis & incorruptibilitatem carnis. Quid autem tàm perlucens quàm vita cœleſtis? quæ purpura gloriæ! quid tam blandi & roſei nitoris quàm doctrina & ſpes æternæ vitæ? quid tàm amicum illius exhortatorii; ſobrii eſtote & vigilate? Pet. 5.

v. 8. Ipsa est pulchritudine, specie, ac decore maximè gemmeo. Articulus de Ascensione Christi (ille Sardius, articulorum sextus) mater est nostri ascensus ad Cœlum & Beatam vitam: *Nemo ascendit in Cœlum nisi qui descendit de Cœlo, Filius hominis qui est in Cœlo*, Joan. 3. v. 13. ac si dicat: nisi præeunte Capite non sequitur Corpus & membra.

# TRACTATUS XXXV.

## IN EOSDEM DUOS VERSUS CAPITIS XXI.

Fundamenta ipsi SS. Apostoli.

Sicut Apostolicos Articulos, sic illorum auctores Apostolos ipsos Fundamenta nominari, & hos eosdem Lapides pretiosos diximus ex SS. Patribus. eóque ordine seu numeratione quâ in Apocalypsi: quandoquidem illa tàm accurata distinctio ac numeratio Fundamenti primi, secundi, tertii, &c. nihil temerarium habere potuit aut inconsultum, sed divinum & mysterii plenum. Itaque in his duobus totis Versibus manifestissimum est quod aliàs attulimus ex S. Hieronymo: in verbis singulis multiplices latere intelligentias.

### §. I.

### *De primis 4. Fundamentis, quæ sunt ipsi Apostoli.*

1. FUNDAMENTUM PRIMUM, JASPIS. Remittimus in his navum Lectorem ad ea quæ de singulis Lapidibus coacervavimus in Tractatu præcedente.

Laudavimus Jaspidem à firmitate: antiquitate gemmarum omnium: fugatione phantasmatum: virore: &, qui optimus, respersione purpuræ.

S. Petrus

Quid Apostolo Petro, Ecclesiæ ipsâ petrâ, firmius? qui Apostolorum PRIMUS Matth. 10. v. 2. & antiquissimus Apostolicæ Sedis: etiamnum virens in successoribus: amuletum Ecclesiarum contra omnia phantasmata hæreseon: ipse non sine purpura, rubore de peccato quondam admisso. Cui sociamus Paulum Apostolum (extra numerum duodecimum,) individuum à Petro: illum cui solicitudo incubuit & coædificatio omnium Ecclesiarum, geminum Jaspidi.

S. Jacobus Zebedæi.

2. *Fundamentum* SECUNDUM SAPPHIRUS.

S. Andreas.

In Sapphiro dilaudavimus vocitationem sacræ gemmæ: significationem Regni & sacerdotii: colorem cœlestem: collucentiam punctis aureis: pul-

pulchritudinem. De colore cœlesti hujus gemmæ S. Hieronymus (in Isa. 54.) *Sapphirus, qui ponitur in Fundamentis, cœli habet similitudinem & superioris aëris*: & applicans exponit: *qui talis est ut possit Aristophanicum dicere cum Socrate*; ἀναβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον *quod nos in Latinum sermonem vertere possumus*; *scando aërem solémque despicio*: *sive cum Paulo Apostolo, Nostra autem conversatio in Cœlis est*. Hæc Hieronymus.

Inter Apostolos gemma sacra S. Andreas, germanus Petri, vocatione primus in sacro Collegio, Joan.1.v.40.ad unum ex 12.Thronis & consessum Regis Matth.19.v.28. sacerdos, quotidie ut est in vita per Presbyteros & Diaconos Achaiæ, immolator Agni immaculati; de quo primus audierat, Ecce Agnus Dei & fuerat secutus Joan.1. v.37. Cui facies animi Cœlos intuentis (Exod.24.v.10. quasi opus lapidis Sapphirini & quasi cœlum cum serenum est) atque ad cœlos anheli; O bona Crux &c. redde me magistro, quot ei verba, Concionatori affixo per biduum, tot amore sui Magistri scintillantia puncta aurea. pulcher sibi eo decore crucis quem dicit ex membris Domini susceptum.

S. Jacobus Zebedæi.

3. *Fundamentum* TERTIUM, CHALCEDONIUS.

In Chalcedonio advertimus ad similitudinem & genus ductum ab igne: quod inter ardentes ex omnium præcipuis: quòd desinat in violam & purpuram: quòd ad se attrahat paleam.

S. Jacobus Apostolus: ille gemma Christo in pretio singulari: & inter lucidissimas, non solùm in Evangelio & à latere Domini tunc temporis; sed etiam nunc in terris, Compostellæ, quò tanquàm paleas rapit ad se reos criminum & transmutat: filius, & frater filii, tonitrui: similitudine ignis, ut pruna: primus in exercitio charitatis illius quâ majorem nemo habet, ut daret animam suam; in violam demisso capite, & in purpuram desinens primus.

S. Joannes.

4. *Fundamentum* QUARTUM, SMARAGDUS.

In Smaragdo deprædicavimus amœnitatem aspectus, quæ impleat oculos nec satiet: virorem præcipuum, nitorem & puritatem: duritiem æneam: amaritudinem saporis: quòd traluceat; & vi polleat speculari: quòd contra virus saluber.

S. Joannes Apostolus: deliciæ oculorum Christi: ille, gemma super pectus; & in ornatum data Virgini Matri: virore usque in senectam annorum innocens Virgo: in fervente oleo æneus: qui sub Cruce Domini solus Apostolorum duravit; quamvis in amaritudine animi: ille pro speculo in quo Christus tralucebat discipulis (Joan.21. v.7. Dominus est:) ille speculum futurorum in Apocalypsi: speculum, in Evangelio, *VERBI* quod erat in principio: ille, de quo tralatitium est, pingi eum cum calice ex quo fugat venenum.

§. II.

## §. II.

### *De sequentibus 4. Fundamentis sive Apostolis.*

S. Philippus.

5. F*Undamentum* QUINTUM, SARDONYX.

In Sardonyche agnovimus compositionem ex Sardio & Onyche: figuram unguis humani, & candorem: non sine laudabili nigredine in ima sui parte: nec non rubedine in superficie: quòd sit colorum suorum inenarrabili suavitate: quòd referat Iridem: quod sigillandis secretis idoneus sit annulus.

S. Philippus Apostolus Scythiæ: in Evangelio, seu responsione, seu interrogatione, seu adductione aliorum ad JESUM, velut ex ungue se prodit hominem simplicem & candidum ac suavem (in qua indole similem sibi adduxit sine dolo Nathanaëlem Joan. 1. v. 45. & 47.) dum & respondet simpliciter tentanti Domino Joan. 6. v. 7. & interrogat ingenuè Joan. 14. v. 8. atque adducit ipse primus, verecundè cum associatione alterius discipuli Gentiles ad JESUM Joan. 12. v. 22. Ille singulari suavitate concentúque virtutum quasi colorum; infimâ sui parte id est corpore contuso denigratóque inter lapides quibus appetebatur in cruce; ruber sanguine: ille Iris benignitate: ille obsignatorius promissionis æternæ per illud suum (l. c.) Domine ostende nobis Patrem & sufficit. Id *quod* BENE *intellexerat Philippus* (ait S. Augustinus lib. 5. de TRIN. cap. 8.) *ut diceret Domino*: dummodò cum hac additione; *eo quoque modo idipsum se potuisse dicere*; *Domine, ostende nobis Te, & sufficit nobis.*

S. Bartholomæus.

6. *Fundamentum* SEXTUM SARDIUS.

In Sardio communicatio se nobis obtulit cum Sardonyche: color carnis pellucidæ: laus ejus celebris ex India, ubi bracteis aureis exornatur. reddit effusionem sanguinis tardiorem. medela est doloris & vulnerum: prodest ad accendendum gaudium.

S. Bartholomæus Apostolus Indorum & majoris Armeniæ, quorum imbuendorum zelus, immò & genus martyrii in cruce, illi cum Sardonyche Scytharum Apostolo communis est: habet colorem carnis, utpote nudatus cute: quot ei membra fuerunt excoriata, tot bracteis resplendet seu virtutum argentearum in terra, seu gloriæ in cœlis: tardo præ cæteris Apostolis martyrio & suffusione sanguinis tardâ, ex omnibus partibus carnis præluxit: gemma Indica. Usus hujus gemmæ & consideratio excoriationis medetur vulneribus cæterorum: addit animos ad patiendum cum gaudio, cogitantibus; nondum excoriati sumus pro Christo.

S. Matthæus.

7. *Fundamentum* SEPTIMUM, CHRYSOLITHUS.

Chrysolithum extulimus laude aurei

rei lapidis: ſpecie partim marinâ, partim aurea: ita ut adhibitum aurum præ illo albicet. Solus ex gemmis nomen ſibi adſcivit lapidis. conducit pectori & adverſus aſthma.

S. Matthæus Apoſtolus: quem ex catalogo duorum Evangeliſtarum (Mar.3. & Luc.6.) & auctoritate atque exemplo S. Hieronymi (ſup. tract. 33. §. 2.) recenſemus ante Thomam: vocatus à telonio & negotiatione maritimâ quæ eſt publicani. Scripta quælibet, quamvis aurea, albeſcunt præ Euangelio quod ſcripſit; lapis ipſe primus omnium in Evangeliis edendis. Deſcriptor Articuli de Judicio, qui erat Chryſolithus in Symbolo, ſicut nemo alius Evangeliſtarum; per totos ſedecim verſus (cap. 25. à v. 31. uſque in verſum 46.) Evangelium ejus ſuper pectus geſtatum à Sanctis, etiam poſt mortem.

S. Thomas. 8. *Fundamentum* OCTAVUM, BERYLLUS.

In Beryllo colorem obſervavimus & nomen Aquæ marinæ: perſpicuitatem: & quòd fulgor ejus augeatur politurâ artificis, quam requirit: quòd Indi eo mirificè gaudeant; & in eo æſtiment potiùs carere: quòd proſit oculis, & gutturi.

S. Thomæ Apoſtolo color hæſit aquæ lachrymarum ſuper incredulitate. perſpicuus, per quem totus orbis videt ſacra vulnera & tangit. Dixerat, Joan. 11. v. 16. Eamus & nos & moriamur cum eo: ſed is fulgor ſine artifice hebeſcebat (*color ſurdus*, ut loquitur hîc Plinius;) non credam, Joan. 20. v. 25. opus habuit expoliri à Chriſto repercuſſu Sanctorum vulnerum tanquàm angulorum; Infer digitum &c. v. 27. Indi, ejus longitudine commorationis & prædicationis, mirè gaviſi ſunt: deprædicaverunt quòd ampliùs quàm omnes ſuo Gymnoſophiſtæ, carere auro maluerit. Prodeſt oculis hominum quod ille vidit; & gutturi omnium quod clamavit, Dominus meus & Deus meus.

## §. III.

### *De reliquis 4. Apoſtolis, ceu Fundamentis.*

S. Jacobus Alphæi. 9. F*Undamentum* NONUM, TOPAZIUS.

In Topazio admiratores habuimus pulchritudinis: pſaltes eum comparavit auro (pſal. 118.) color ejus partim auri, partim porraceus: gemma tota diaphana: magnitudine viſendâ: valet acrimoniâ porri: ejuſdémque virtute medicâ: facit clariorem vocem; confert ad fœcunditatem, & mortem ſine cruciatu.

S. Jacobus Alphæi, mirificam pulchritudinem à vultu Chriſti accepit: dictus frater Domini, Gal. 1. v. 19. ita facies ejus exterior (quid illa inferioris hominis?) radiabat ſimilitudine Domini Chriſti: aureus ſanctitatem; tam omnibus diaphanâ ut cognominaretur

Justus: atque adeò ut Josephus historiographus lib. 20. antiq. cap. 8. ob ejus necem opinetur excisam fuisse Hierosolymam: ita magnus apud omnes, ut ei uni liceret ingredi Sancta sanctorum. Similis acrimoniæ & in se rigoris cujus est porrum, ob abstinentiam ab ineunte ætate, callum genuum in oratione &c. eâ salutiferâ virtute ut fimbriam vestimenti ejus certatim homines cuperent attingere. Epistola ejus profert vocem clarissimam de fide sine operibus mortuâ. ipse fœcunditatem attulit Ecclesiæ Hierosolymitanæ. profuit, fractis præcipitio genibus & manui protensæ in Cœlum, ut sine cruciatu essent de suamet nece, precantibus enecantium salutem.

S. Thaddæus.

10. *Fundamentum* DECIMUM, CHRYSOPRASUS.

In Chrysopraso commendavimus vim eandem porraceam, germanam Topazii, & prasinum colorem aspersum aureo; quæ duo, aurum & porrum ei nomen dedêre: quòd firmet obtutum oculorum: quòd excitet spiritus vitales & dilatet animum.

S. Judas Thaddæus: germanus Jacobi quem comparavimus Topazio: splendet in Evangelio per illam suam quæstionem quam movit de manifestatione Domini, & illud responsum quod recepit de dilectione ejusdem Joan. 14. v. 21. Quorum duorum alterum valet pro acuendo intellectu, alterum pro dilatatione animorum. Vim porraceam exerret in Epistola sua, quæ omnium est Apostolicarum acerrima contra hæreticos; destruit ignorantiam tanquam mucorum animalium; & impietatem, Spiritum non habentium; v. 10. & 19.

S. Simon

11. *Fundamentum* UNDECIMUM, HYACINTHUS.

In Hyacintho colorem agnovimus cœlestem, simul & violaceo eleganter dilutum: odore & fulgore diffuso: vim ejusdem contra serpentes & fulmina: in flore cognomini literas duas, AI, interjectionem suspirantis: Æthiopiam mittere gemmas hyacinthos.

S. Simon Apostolus, dictus Zelotes Luc. 6. v. 15. nomine præsago Apostolatus & conversationis cœlestis: duorum co-apostolorum Jacobi & Thaddæi germanus sanguine & spiritu: usque in Ægyptum atque illinc in Persidem innumerabiles (ita Ecclesia Romana recitat de Zelo illius) filios Jesu Christo peperit: prædicatione salutari ex illis vastissimis regionibus abstulit animarum venena: prohibuit fulmina æterna: instar fuit simul floris cærulei, simul gemmæ hyacinthinarum omnium præstantissimæ, odore Christi & fulgore Evangelii diffusis per Ægyptum usque ad Æthiopas, non sine gemitibus ad Deum sine intermissione pro illarum gentium salute.

S. Matthias.

12. *Fundamentum* DUODECIMUM AMETHYSTUS.

De Amethysto audivimus dictam esse à multis gemmam Veneris, eò quod maximè speciem ac decorem ostendat gemmæ: Symbolum sobrietatis & vigilantiæ: resistere ebrietati: colorem ei sub-violaceum: fulgorem sicut carbunculus: excellentem in purpura roseum nitorem. Præfert cæteris Plinius (loco illic citato) amethystos Indicos.

S. Mat-

S. Matthias Apostolis aggregatus eâ sorte quæ cœlitùs temperabatur (Prov. 16. v. 33.) gemma perlucens nitore totum Collegium 72. Discipulorum: & inter tot stellas instar Veneris pulchra; electa enim etiam præ illo cui nomen communi omnium famâ Justus. Sobrius ac vigil præ cæteris viris judicatus, ut fieret testis resurrectionis (ut dicitur Act. 1. v. 21. & 22.) cui color humilis, ut novissimo: fulgor coapostolatus præ aliis: & roseus excellens nitor in purpura martyrii. De illo Græci in Menæis, & auctarium Sophronii apud S. Hieron. de scriptoribus Ecclesiast. quòd fuerit Apostolus Æthiopiæ. Et Nicephorus lib. 2. hist. Eccl. cap. 1. 40. *Matthias*, inquit, *primam Æthiopiam adiit, atque ibi à feris infestis, immanibúsque gentibus multa pertulit.* Porrò Æthiopes æquè dicti sunt Indi ab Aristotele (in Elenchis,) à Virgilio, & à Geographis: Secundùm hoc ergo S. Matthias amethystus Indicus.

# TRACTATUS XXXVI.

## IN RELIQUAM PARTEM CAPITIS XXI.

### De reliqua descriptione Civitatis.

### VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 21. Vers. 21. & seqq.) *Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt, per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis, & platea Civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.* (v. 22.) *Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus Omnipotens templum illius est, & Agnus.* (v. 23.) *Et Civitas non eget Sole, neque luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus est agnus.* (v. 24.) *Et ambulabunt Gentes in lumine ejus: & reges terræ afferent Gloriam suam & honorem in illam.* (v. 25.) *Et portæ ejus non claudentur per diem: nox enim non erit illic.* (v. 26.) *Et afferent gloriam & honorem gentium in illam.* (v. 27.) *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.*

## §. I.

### *De Margaritis portarum.*

Portæ sunt Apostoli 12.

1. DIximus in Tractatu 33. §. 2. Portas esse Apostolos: quod præferunt manifestè nomina inscripta v. 12. ipsi enim sunt Patriarchæ, duodecim id est omnium Tribuum, præfigurati per Patriarchas illos veteres cum suarum à se tribuum ortu & nominatione. Atque ita de Portis æquè ac Fundamentis exposuerunt S. Augustinus unà cum S. Hieronymo suprà laudati. Restat, quod est hujus loci, ut Apostolos conferamus cum MARGARITIS: generatim, ut in Apocalypsi, sumptos.

Similes margaritis:

Primò, de harum generatione in naturali historia Plinius lib. 9. cap. 35. nasci docet in mari, ex rore quem excipiunt conchæ de Cœlo. *Has*, inquit, (conchas) *ubi genitalis anni stimulaverit hora, pandentes se quadam oscitatione impleri roscido conceptu tradunt: gravidas postea eniti: partúmque concharum esse margaritas pro qualitate roris accepti: ex eo quippe constare: Cœlique eis majorem societatem esse quàm maris:* addit: *inde*, à Cœlo, *trahi colorem*, & paulò post: *miror ipso tantùm eos* (concharum partus) *Cœlo gaudere.*

Genitu-râ:

Non potuit Auctor profanus comparationem afferre magis idoneam Apostolis: qui progeniti, ut erant in mari hujus sæculi, vaporatione fœcundâ vocationis DEI, & rore desuper gratiæ instillato (virtute ex alto, Luc. 24. v. 49.) velut in naturæ sunt divinæ consortium conversi, & evaserunt specie, luce, & efficaciâ cœlestes homines: qui plus multò habuerint de cœlo quàm de sæculo in quo vixerunt.

Pretio:

2. *Principium ergo*, inquit Plinius l. c. *culménque omnium rerum pretii, Margaritæ tenent.* Certè: nam & in Evangelio, Matth. 13. v. 46. laus est pretiosæ margaritæ, quam prudens negotiator æstimat pluris omnibus terrenis: nempè doctrinam & vitam Apostolicam quæ valet pretium Regni cœlorum, & alio in loco (Matth. 7. v. 6.) vetatur mitti ante porcos.

Raritate:

3. Quid mirum autem de pretio? *per tot maria venientes*, ait Plinius de ipsis margaritis (quæ nos de Apostolis) *tàm longo terrarum tractu, è tantis Solis ardoribus, atque Indis quoque!* Et in fine Capitis specimen pretii commemorat duos uniones: *Utrumque*, inquit, *possedit Cleopatra Ægypti Reginarum novissima, per manus Orientis Regum sibi traditos.* narrat illam cum Antonio inter epulas pactam fuisse, *unà se cœnà centies H-S. absumpturam*: quæ sunt decies centena millia monetæ argenteæ apud Romanos dictæ, nummus Sestertius. pergit porrò: *sponsionibus factis*, postero die quotidianam apposuisse cœnam Antonio expostulanti: mox detractum auribus alterum è duobus unionibus aceto liquefa-

Æstimatione.

ctum absorbuisse, victúmque Antonium fuisse. addit Plinius: *Injecit alteri manum L. Plancus, judex sponsionis ejus, eum quoque paranti simili modo absumere*; ut sexcenties H-S. sola cœnaret!

Paulò ante narraverat: *Lolliam Paulinam, quæ fuit Caii Principis matrona, vidi smaragdis margaritisque opertam, quæ summa quadringenties H-S. colligebat.* De Apostolis quis commemoret æstimationem qua eos prosequuntur Reges orbis Christiani!

Dotibus: 4. De ipsismet, in quo consistat earum laus, sic idem Plinius breviter l. c. *Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, lavore, pondere.* Hæc conveniunt Apostolis: quorum candor sine labe: magnitudo præ cæteris Sanctis: qui volubiles, quòlibet mitterentur (velut figurâ orbiculari:) quorum lævor & æquabilitas animi sine asperitate & scabritie: pondus sicut in verbo sic exemplo. quibus dotibus gratiæ in terrena civitate respondent dotes gloriæ in æternâ.

Robore: 5. *Nullo* ait l. c. Plinius, *lapsu franguntur.* Nullo casu adverso Apostoli.

Vi medicinali: 6. Medici testantur eas vim habere sistendi profluvium sanguinis: propulsandi venena: pesti ac putredini resistendi: roborandi spiritus vitales: cerebrum nervósque confortandi, exhilarandi animas. Omnia hæc Apostoli.

Duratione æternâ: 7. Denique quod de Margarita scripsit Plinius; *æternæ propè possessionis est*: hoc de portis hujus Civitatis non propemodum tantùm est asserere, sed omnino æternæ possessionis, sicut ipsa tota Civitas.

Politurâ: 2. Ecce quem in finem expolitæ sunt & elaboratæ ab Opifice, non sine tunsione multa mallei, omnes Apostoli ut portæ Cœli esse possent! Singulæque portæ, inquit Apocalypsis, singulæ Margaritæ, decoro sunt ordine ac proportione inter se locatæ: veríque uniones (quod nomen Romani dederunt margaritis, apud Plinium) conjunctione & consensu ejusdem doctrinæ atque officii: multúmque aptâ inter se varietate distributi: dum, sicut margaritæ variæ sunt pro qualitate roris accepti, ut diximus ex Plinio, ita Apostolorum quisque alias alio excelluit dono ac divisione gratiarum 1. Cor. 12. v. 4. & seqq. at omnes tamen prælustres uno eodémque Spiritu quo lucent intraturis in Civitatem: præfulgidi ut margaritæ: aditu faciles ut portæ: numero duodecim, ut undique & versus omnem plagam mundi, nemo ut queri jure possit se non fuisse admissum. de hac significatione duodenarii Apostolorum, S. Augustinus in psalmum 86. *Ideò*, ait, *duodenarius numerus Apostolorum. Sacramentum magnum hujus duodenarii significatio est numeri.* Et mox: *Sacramentum est cujusdam Universitatis: quia per totum orbem terrarum futura erat Ecclesia, unde vocatur hoc ædificium ad Christi compagem.* & paulò post: *quia undique intratur in illam Civitatem, duodecim portæ sunt.*

Proportione inter se: Unionis significatione. Duodenario:

Pro usu & numero Tribuum. 3. *Has duodecim portas*, ait S. Hieronymus in Ezechielem cap. 48. *singulis Tribubus, sub Apostolicis & Patriarcharum nominibus arbitror delegatas*; id est,

est, assignatæ sunt pro duodecim Tribubus sub inscriptione & præsidio duodecim Apostolorum , qui iidem sunt tanquàm Patriarchæ fidelium. *Istæ sunt*, ait Hieronymus ibidem, *margaritæ Prophetarum & Apostolorum:* eodem loquendi modo & sensu de Portis quo de Fundamentis Apostolus Eph.2.v.20. superædificati super Fundamentum Apostolorum & Prophetarum.

Margaritarum etiam meminit sancta Ecclesia in suo Hymno, quem concinnavit ex Apocalypsi planè allegoricum: qui incipit *quòd sit Civitas & quænam:* Cœlestis Urbs Jerusalem, Beata pacis Visio: veneratur *quòd Sponsa:* O sorte nupta prosperâ! *de portis:* Hîc margaritis emicant Paténtque cunctis ostia. *de lapidibus artificiosè quadratis:* Scalpri salubris ictibus. Et tunsione plurimâ Fabri posita malleo, Hanc saxa molem construunt.

Et inter opera S. Augustini adscriptus (tomo 9.) liber meditationum in Hymno:

*Ubi vivis margaritis surgunt ædificia:*
*Auro celsa micant tecta, radiant triclinia:*
*Solis gemmis pretiosis hæc structura nititur:*
*Auro mundo, tanquàm vitro, urbis via*
*sternitur.* de quo in §.seq.

## §. II.

### *De platea : templo : lumine.*

Platea Civitatis quid.

1. PLATEA, inquit v.21. CIVITATIS AURUM MUNDUM, TANQUAM VITRUM PERLUCIDUM. *Platea*, græcè latitudo, est tota unà cohabitantium consociatio & charitas, fundata in una eadémque omnium essentiali Beatitudine. Hæc communio Sanctorum & socialis conversatio cum invicem, conspicua est ut aurum, perspicua ut vitrum mundissimum : ad imitationem lapidis pretiosi Chrysolithi , quem ex Plinio diximus esse aureo colore translucidum: de quo lapide Isidorus: *auro similis est cum marini coloris similitudine.* propter quam Hebraicè dicitur lapis Tharsis: & Ezechielis cap.10. v.9. ubi habetur in Hebræo, *visio lapidis Tharsis* , Latina vulgata interpretatio transtulit, *visio lapidis Chrysolithi*; qui nimirum ita sit aureus, ut instar maris (quod est Tharsis) aut vitri pellucidus. Talis est conviventium pariter omnium cælitum illius Civitatis re ac nomine verè Platea, sine angustia, dilatatissimo spatio charitatis: non sicut in terris ubi homines faciunt invicem angustias. quòd si de his ipsis S. Augustinus (ser.10.de verb.Dom.) dixit; si angustantur vasa carnis, *dilatentur spatia charitatis*: quæ communio inter se amicitiæ atque amoris latius diffusa & æquè omnes complexa cives , quàm illa cœlestium incolarum flagrantior auro , dilucidior omni vitro mundo, ubi omnes qui toto morantur in Re-

gno

gno amplissimo, conjunctissimi vicini sunt!

Quod autem de Platea; idem v. 18. dictum est de tota civitate: ita ut ædificatio tota sit aurum; non tantùm præstans, solidum, ac splendidum; sed etiam ejusmodi ut perspicuitate simile sit vitro purissimo. quò significetur jucunditas quâ se mutuò Beati perspicient clarissimè; & gloriam gaudiumque cujusque; tum etiam cogitationes intellectus & actus voluntatis omnium patebunt omnibus: perinde ac si specula sint vitrea, nitida, lucidissima: summo cum mutuo applausu & gratulatione de uniuscujusque gaudio tanquàm de suo. De qua jucunditate S. Augustinus in man. cap. 35. *Ergo quid erit* (communis gaudii!) *in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum Angelorum & hominum, ubi nullus diliget alium minùs quàm seipsum? non enim aliter gaudebit unusquisque pro singulis aliis, quàm pro seipso. Si ergo cor hominis de tanto bono suo vix gaudium suum capiat: quomodo capax erit tot & tantorum gaudiorum!* &c. tantâ in latitudine societatis simul habitantium.

Aurum perlucẽs tanquã vitrum.

2. TEMPLUM, ubi adoratur, & id quod est in Civitate Sanctum sanctorum omnium, non est aliud (v. 22.) quàm DOMINUS DEUS OMNIPOTENS: qui suam illîc infinitam sanctitatem Dominii, Deitatis, Omnipotentiæ manifestat facie ad faciem, & contemplandam proponit. Neque alius jam Templi usus vel sacerdos vel hostia præterquàm AGNUS: qui est omnia eminenter ipse, & *Templum corporis sui* (Joan. 2. v. 21.) in quo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*: Col. 2. v. 9.

pro templo est DEUS & Agnus.

Quod de Templo; hoc de SOLE dicendum: quo NON EGET alio NEQUE LUNA (v. 23.) UT LUCEANT IN EA, & ut ad quod condita sunt Gen. 1. v. 14. dividant diem ac noctem & sint in signa & tempora & dies & annos. quia nulla vicissitudo erit illîc diei & noctis aut temporum: id quod S. Augustinus eleganter exprimit in psal. 26. v. 4. *desiderat*, inquit, *omnes dies vitæ suæ in domo Domini habitare; in domo Domini omnes dies vitæ suæ, non quasi finiendos, sed æternos: sic enim dicuntur dies, quomodo anni, de quibus dictum est, Et anni tui non deficient: nam dies vitæ æternæ unus dies est sine occasu.* Sed (v. citato Apoc.) CLARITAS seu gloria DEI ILLUMINAVIT EAM; Divinitas quæ se illîc videndam præbet, ad quam nulla claritas accedit Solis aut alia creata. De hac Claritate, & de Lumine cujus auxilio ea videtur, facta est mentio superiùs in versum 11. Tractatu 33. §. 1. in fine.

Pro Sole quid?

Claritas DEI, id est Divinitas visa

Sed quid est quod sequitur? ET LUCERNA EJUS EST AGNUS. quorsum adhuc Lucerna in tanta Claritate? Nempè Divinitas oculos illuminat & implet animarum Beatarum: Lucerna verò corporibus est; quæ etiam ipsa, quantum sunt capacia, in admirabili luce versantur. Horum *lucerna* est, ut loquitur S. Augustinus in psal. 142. Dominus JESUS *tanquàm in testa carnis*: in qua sic recreat corporeos oculos Beatorum, ut ad ejus etiam

Lucerna corporea est Agnus.

iam ſplendorem nihil admodum ſit iſte Solis aut Lunæ aut ſiderum fulgor.

3.ET IN LUMINE EJUS(Græcè *ἀυτῆς*) Civitatis, v.24. AMBULABUNT GENTES quotquot ſalvæ fiunt: ita enim in Græco: *χαὶ τὰ ἔθνη τῶν σωζομένων ἐν τῷ φωτὶ ἀυτῆς περιπατήσουσι.* Verba ſunt Iſaiæ cap. 60.v.3. *ambulabunt*, ait Propheta, *gentes in lumine tuo.* Quod de gentibus, Eccleſiæ militantis oraculum, impletur in Civitate Beata ad quam ambulaverunt & ſalvæ factæ ſunt.

Gloria gentium &Regũ.

ET REGES TERRÆ AFFERENT GLORIAM SUAM ET HONOREM IN ILLAM. Addit Iſaias l. c. *& Reges in ſplendore ortus tui*: non ſolùm illi Sancti Reges qui olim in terris: ſed omnes Beati erunt conſortes Regni & coronæ, ac totidem Reges juxta id quod dicitur Cap. ſequente v.5. REGNABUNT *in ſæcula ſæculorum*. Hi pariter omnem ſuam eò tranſcripſerunt gloriam, & honorem meritorum quæ illuc accumulabunt.

Portæ nõ claudentur:

Jam illud quàm eſt Beatæ ſecuritatis (v.25.) nam quod dixerat Iſaias de Eccleſia militante, cap.60.v.11. *Et aperientur portæ tuæ jugiter, die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo Gentium & Reges earum adducantur*: hoc S. Joannes aliter de hac Civitate, adductis jam in hanc Gentibus & Regibus: PORTÆ EJUS, inquit, NON CLAUDENTUR PER DIEM: & addit: NOX ENIM NON ERIT ILLIC: ſed ut ait S. Auguſtinus in pſal.144. *ſine fine unus dies*. Quam ob rem nomen perpetuum Civitati Viſio pacis: quippe, ubi & jugis ſit *Viſio* ut in die, & Viſio *pacis*, perinde ac portis non clauſis.

Per diẽ, qui perpetuus.

Concludit (v.26. & 27.) ita afferendam illuc, quod dixerat, GLORIAM ET HONOREM GENTIUM: ut NON *intret* IN EAM ALIQUOD COINQUINATUM, AUT quod *abominationem* facere poſſit Beatis, ET ſubintrando illudere *mendacio* ſimulatæ ſanctitatis: ſed ut mera Civitati munditia, incolis jucunditas, veráque ſanctitas cunctis: Iſa.60. v.21. *populus autem tuus omnes juſti*: hi, ut S. Joannes, verbis ultimis hujus Capitis, QUI SCRIPTI SUNT IN LIBRO immutabili VITÆ æternæ, charactere gratiæ AGNI ac perſeverantiæ in illa.

Nil coinquinatum.

## §. III.

### *De comparatione hujus Civitatis cum illa quæ eſt apud Ezechielem.*

Relatio ad Ezechielem:

1. PAtet ex dudum dictis, quòd reſpiciat Joannes Ezechielem, immò ejus utatur verbis: ac proinde quòd ſit relatio inter Civitatem hanc, & inter *ædifi-*

*ædificium* illud *Civitatis* quod vidit Ezechiel inde à Capite 40. (v. 2.) usque in quadragesimum octavum, qui est finis Visionis illius & totius prophetiæ, ubi (v. 31.) eundem, quem Apocalypsis, numerum recitat & situm portarum: *Et portæ*, ait, *Civitatis ex nominibus tribuum Israël portæ tres à septentrione, &c.* ternæ ex omni parte ad Orientem, Meridiem, & Occidentem. Quæ est relatio similitudinis inter utramque: sicut & quadrum Civitatis: & is de quo in Tractatu sequente fluvius cum sua ripa fructifera: & illud Ezechielis versu ultimo; *nomen Civitatis Dominus ibidem.*

Similitudinis:

Diversitatis.

2. Est autem & relatio disparitatis, seu discrimen præcipuum: quòd illa, de qua Ezechiel, sit Civitas castrensis & mobilis: figurata per Castra quæ Num. 2. v. 2. & seqq. erant *per gyrum Tabernaculi.* quæ Civitas significat Ecclesiam adhuc militantem, manu armatâ, & moventem castra per medios hostes: usque ad promissam *terram* quæ futura est *viventium* in æterno triumpho, sine mutatione & hoste, ubi erit possessio pacis versus omnes partes unde fuerat intratum. Hanc triumphantem intelligit Joannes in Apocalypsi.

Figura utriusq,

3. De hac relatione, & de figura vetere, meminit etiam S. Hieronymus in Caput 48. Ezechielis: *Breviter admonendum, easdem Tribus in circuitu Tabernaculi ita castrametatas, ut ad Orientem fuerit Judas &c. Nostra verò urbs quæ est Civitas magni Regis, cujus artifex & conditor est* DEUS *aliam habet Tribuum in terra sancta* (utraque; pugnante, & victoriosa) *descriptionem, & mensuram civitatis, possessionis ordinem, & plagas tribuum singularum.*

Civitatis,

Similis est mentio figuræ, ac distinctio apud S. Augustinum (in psal. 86.) inter Tabernacula Jacob (ea sunt Civitas castrensis) & inter hanc Civitatem manentem. *Sed quia*, inquit, *erant quædam Tabernacula temporalia & imaginaria* (imagines futuri,) *loquitur autem iste*, id est Psaltes Propheta, *de Civitate quadam quam spiritaliter intelligit, cujus umbra & figura erat illa terrena*: *ait, diligit Dominus portas Sion super omnia Tabernacula Jacob : diligit illam spiritalem Civitatem super omnia figurata, quibus intimabatur illa Civitas semper manens & Cœlestis in pace.*

* * *
* *

# TRACTATUS XXXVII.
## IN CAPUT XXII.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 22. Versu 1. & seqq.) *Et ostendit mihi fluvium aquæ Vitæ,*
, *splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni.*
, (*v.* 2.) *In medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ,*
, *afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum,*
, *& folia ligni ad sanitatem Gentium.* (*v.* 3.) *Et omne maledictum non*
, *erit amplius: sed sedes Dei & agni in illa erunt, & servi ejus servient*
, *illi.* (*v.* 4.) *Et videbunt faciem ejus: & nomen ejus in frontibus eorum.*
, (*v.* 5.) *Et nox ultra non erit: & non egebunt lumine lucernæ, neque lu-*
, *mine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in*
, *sæcula sæculorum.* (*v.* 6.) *Et dixit mihi: Hæc verba fidelissima sunt, &*
, *vera. Et Dominus Deus spirituum prophetarum misit Angelum suum*
, *ostendere servis suis quæ oportet fieri cito.* (*v.* 7.) *Et ecce venio veloci-*
, *ter. Beatus qui custodit verba Prophetiæ libri hujus.* (*v.* 8.) *Et ego Io-*
, *annes, qui audivi, & vidi hæc. Et postquam audissem, & vidissem, ce-*
, *cidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat:* (*v.* 9.) *Et*
, *dixit mihi: Vide ne feceris: conservus enim tuus sum, & fratrum tuo-*
, *rum Prophetarum, & eorum qui servant verba prophetiæ libri hujus:*
, *Deum adora.* (*v.* 10.) *Et dicit mihi: Ne signaveris verba Prophetiæ li-*
, *bri hujus: tempus enim prope est.* (*v.* 11.) *Qui nocet, noceat ad-*
, *huc: & qui in sordibus est sordescat adhuc: & qui justus est,*
, *justificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc:* (*v.* 12.)
, *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum*
, *opera sua.* (*v.* 13.) *Ego sum α, & ω, primus, & novissimus principium, &*
, *finis.* (*v.* 14.) *Beati, qui lavant stolas suas in sanguine agni: ut sit pote-*
, *stas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in Civitatem.* (*v.* 15.) *Fo-*
, *ris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, &*
, *omnis qui amat & facit mendacium.* (*v.* 16.) *Ego IESUS misi Angelum*
, *meum, testificari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix & genus David,*
, *stella splendida & matutina.* (*v.* 17.) *Et spiritus & sponsa dicunt: Ve-*
*ni.*

„ ni. & qui audit, dicat: veni. Et qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat
„ aquam vitæ, gratis. (v.18.) Contestor enim omni audienti verba pro-
„ phetiæ libri hujus: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum
„ plagas scriptas in libro isto. (v.19.) Et si quis diminuerit de verbis libri
„ prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de Civitate
„ sancta, & de his, quæ scripta sunt in libro isto. (v.20.) Dicit qui testi-
„ monium perhibet istorum. Etiam venio cito, Amen. Veni Domine
„ IESV. (v.21.) Gratia Domini nostri IESV Christi cum omnibus vo-
„ bis. Amen.

## §. I.

### *De fluvio: & Ligno vitæ.*

DIctum est de Civitate: & in ea de Claritate DEI, quæ est potissima Beatitudo civium; illâ intellectuali Visione per quam se declarat DEUS facie ad faciem intuendum in Throno suæ Divinitatis: nec non de Visione corporea qua videtur facies Agni prout in sua est naturâ humanâ, omnium longè creatarum dignissimâ visu & augustissimâ.

*Fluvius voluptatis: id est, Gaudiũ Beatificum.*

1. Hinc jam, de hoc Throno, necesse est scaturire FLUVIUM AQUÆ VITÆ: qui est affluentia Gaudii Beatifici: quod inundat & exhilarat illam Civitatem, perfusis exultatione plenè animis & corporibus. Hoc est enim illud *flumen*, de quo expresè dicitur in psalmo 45. v. 5. quòd ejus *impetus* LÆTIFICET *Civitatem* DEI: ille in psalmo 35. v. 9. torrens VOLUPTATIS; *inebriabuntur*, inquit, *ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*: & ille Isai. 66. v. 12. *fluvius pacis*, quo nomine in Scripturis significatur omnis læta felicitas. De illo fluvio S. Bernardus ser. 1. de diversis: *in remuneratione Torrens est voluptatis & fluminis impetus: torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ & flumen pacis.* Rationem nominis, cur in Scriptura & Torrens dicatur propter abundantiam, & Fluvius propter perpetuitatem, insinuavit S. Hieronymus in Ezech. 47. v. 5. *Torrens*, inquit, *iste, qui pro aquarum abundantia fertur more torrentis, ipse à LXX. appellatur Fluvius, eò quòd perpetuas aquas habeat, nec de pluviis hinc inde collectas, sed de vivo & perpetuo fonte manantes.*

*Limpidum instar crystalli.*

Addit S. Joannes esse illum TANQUAM *crystallinum*: quô significetur, hanc voluptatem esse puram, limpidam, & *splendidam*: non sicut aqua turbida quæ bibitur in via Ægypti Jer. 2. 18. sed esse fluvium cœlestem qui sit illimis & incontaminatus cœno carnali. plus quàm Poëta dixit: nitidis argenteus undis: & plus quàm finxit anti-

tiquitas fabulata recipi Heroum animas inter sidera, ubi affluant deliciis apud Circulum lacteum, qui sit fluvius serenus ut sidus, & lactis instar candidus ac dulcis potatu; de quo somniat Scipio apud Tullium.

Oritur ex Visione Dei:

Dixit *procedere* hunc Fluvium DE SEDE DEI ET AGNI: quia Gaudium Beatorum profluit & consequitur ex Visione Beatifica: penes quam est perfrui eo de quo psallitur (in ps. 35. v. 10.) *Apud Te est Fons vitæ.* Hanc scaturiginem Fluvii etiam allegat Ezechiel l.c.v.12. eandémque dicit esse originem cæterorum quæ commemoraverat. Prout attentè observavit S. Hieronymus in locum illum Ezechielis: *Reddit*, ait Hieronymus, *causam ubertatis, & infert; QVIA* (verba sunt Ezechielis) *aquæ ejus de Sanctuario egredientur.*

Lignum Vitæ: id est, Immortalitas;

2. Videt deinde IN MEDIO PLATEÆ Civitatis LIGNUM VITÆ: quod significat Immortalitatem, id est, immunitatem à morte animæ & corporis. itémque EX UTRAQUE PARTE FLUMINIS propaginem ejusdem arboris plantatam: quæ sunt gaudia quæ Theologi vocant Accidentalia, multa & varia, velut ad utramque ripam, interna & externa, incorporea & corporea. Etenim ex illa Beatæ animæ voluptate omnes etiam sensus, & artus corporis, perfusi: dotes illæ membrorum, quòd lucida, quòd agilia, quòd subtilia, quòd nulli dolori obnoxia: & cætera hujusmodi, propago sunt Arboris vitæ, hoc est Immortalitatis in corpore Beato; cujus, ut ait S. Anselmus de Si-

In medio & ad utrãque ripam.

militudinibus, *Oculi &c. ossa, medullæ mirabili delectationis & dulcedinis sensu replebuntur.*

Audit de utroque, & aquâ Fluvii & Ligno, appellari aquam VITÆ ET LIGNUM VITÆ: ita, ut nunquam arescant: illa perpetuò fluat, istud perpetuò frondeat & floreat: sintque ambo vivifica; quæ vitam Beatorum & gaudia (hoc est enim verè vivere quod beatè vivere) nunquam sinant intermori.

Figura Paradisus.

In hac tota descriptione Gaudii Beati respicitur ad figuram illius Gen. 2. *Paradisum* qui v. 8. appellatur *Voluptatis:* Illîc, v. 9. hæc verba: *Lignum etiam vitæ in medio:* & v. 10. *Fluvius egrediebatur de loco Voluptatis ad irrigandum Paradisum.* De præfiguratione hujus Paradisi & Ligni dicitur in epistola ex septem Apocalypticis primâ Cap. 2. v. 7. *Vincenti dabo edere de Ligno Vitæ quod est in Paradiso* DEI *mei.*

Fructus per singulos menses;

3. Videt Lignum illud FRUCTUS ferre DUODECIM: id est, universum numerum fructuum: & *per singulos* MENSES; quæ est tota ætas anni: quod hieroglyphicon hîc positum in Apoc. etiam inter sua olim hieroglyphica recensuit Horapollo lib. 1. cap. 3. ubi de Ægyptiis sic loquitur: *Annum indicantes palmam pingunt: quòd arbor hæc sola ex omnibus ad singulos Lunæ ortus* (id est enim, in singulos menses) *singulos etiam ramos procreet: ita ut duodecim ramorum productione annus expleatur.*

Annorũ æternorum:

Illo igitur *duodenario* fructuum significatur universalis exuberantia deliciarum & gustus: per *singulos* autem *menses*

Gustu semper novo: *menses* asseveratur continuatio saporis semper novi, sine ulla interruptione: fore enim ut duret totâ æternitate quam psaltes appellat annos æternos psal. 76. v. 6. atque ita duret, ut sit æquè ac sine fastidio nova jugiter vita & immortalitas; suavitas nova; sanitas, vigor, & vegetudo nova. quod postremum etiam significatur per FOLIA LIGNI; utpote quæ non tantum sint

Et folia ad sanitatem. ad decorem viridia, sed etiam salubria; non ad medicinam, ut est apud Ezechielem (l. c. v. 12.) de sua illa Civitate, sed AD SANITATEM omnium, ex quo intraverint, GENTIUM retinendam omni ævo in novitate. De sanitate S. Augustinus epist. 56. quæ est ad Dioscorum: *Sanitas autem perfecta corporis, illa extrema totius hominis immortalitas erit: tàm potenti enim naturâ* DEUS *fecit animam, ut ex ejus plenissima Beatitudine, quæ in fine temporum Sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, plenitudo sanitatis, id est incorruptionis vigor.*

## §. II.

## *Reliqua de Civitate.*

Civitas tota est Regia: 1. NIhil (v. 3.) *maledictioni* obnoxium in illa Civitate, quæ tota quanta est, Regia est: SEDES enim erit DEI ET AGNI: &, qui SERVI EJUS, omnes pariter *Reges* erunt (v. 3. & 5.) Nam & in hoc mundo servire DEO est *omni præstantius libertate*, ut loquitur S. Chrysostomus hom. 33. in Matth.

Et divinitùs Beata: Summa verò Beatitudinis omnis est quæ apertissimè dicitur v. 4. VIDEBUNT FACIEM EJUS, quam videndo possidebunt *omne bonum* Exod. 33. v. 19. ET NOMEN EJUS IN FRONTIBUS EORUM, velut erat summis Sacerdotibus in fronte (Exod. 28. v. 36.) aurea lamina cui insculptæ literæ, *Sanctum Domino.* Itaque & Reges erunt & Sacerdotes, Apoc. 1. v. 6. iidémque Beatissimi: etenim similes ei hoc ipso quòd illum vident, juxta epistolam 1. Joannis cap. 3. & illud generale de Intelligente, ex Aristotele (libris de Anima) Intellectum intelligendo fieri omnia, assimilatione videlicet cognoscentis ad cognitum. de qua etiam S. Augustinus lib. 9. de TRINIT. cap. 11. *in quantum*, ait, DEUM *novimus, similes sumus*, & lib. 14. cap. 17. citat epistolam S. Joannis l. c. v. 2. *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* ex quo S. Doctor concludit: *Hinc apparet tunc fieri ejus plenam similitudinem, quando ejus plenam perceperit Visionem.* Quantò autem alius alio perfectius videt, quod fit pro inæqualitate Luminis gloriæ, quod respondet inæqualitati Gratiæ & meritorum in

 terris,

terris, tantò & similiores ei & Beatiores inter se.

Repetit in v. 5. id quod in Capite præcedente dixerat v. 23. & 25. *noctem* ULTRA NON fore in hac Civitate; cui *Lux est* is in quo *tenebræ non sunt ullæ*, 1. Joan. 1. v. 5. præter Agnum nec *lucerna*, egere aliâ: neque Sole aut LUMINE finito, ubi lucet quod est illimitatum & infinitum ac mortalibus inaccessibile: quo illuminati undique omnes ejus Civitatis incolæ, verè Illustrissimi ac Serenissimi con-*regnabunt* DEO IN SÆCULA SÆCULORUM.

Omnes Illustrissimi.

Huc spectat illud Isai. 60. v. 19. & 20. *non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & DEUS tuus in gloriam tuam.* unde infert: *non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebantur dies luctus tui.*

2. In his eousque commemoratis, ac præsertim in Capite præcedente, relatio denuò elucet ad Civitatem Ezechielis: de qua sic prophetatur, Ezech. 47. v. 12. *Super torrentem* (seu fluvium, ut habent 70. interpretes) *orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo & non deficiet fructus ejus: per singulos menses afferet primitiva: quia aquæ ejus de Sanctuario egredientur* (de Templo; sacrosanctæ:) *& erunt fructus ejus in cibum: & folia ejus ad medicinam.* Ex quibus verbis manifestus est respectus Apocalypseos ad Ezechielem: & connexio Civitatis Beatæ cum Civitate militante: ut proinde quæ dicuntur debeant utrimque applicari pro rata; & cum proportione explicando attribui, etiam isti militanti. E. c. per torrentem quidem intelligo cum S. Hieronymo aquas sacras (ita nominat) vel Baptismi vel Doctrinæ Christianæ; quarum utraque de vivo & perpetuo fonte promanat: per duas ripas vetus & Novum Testamentum: per omne lignum pomiferum unicuique pronum est intelligere omnis generis fructus virtutum: per singulos menses continuum in his profectum & renovationem: cibum gratiæ & medicinam noxarum: & sic de cæteris Ezechielis, inter quæ est illud ultimum (cap. 40. v. ultimo,) *nomen Civitatis ex illa die Adonai summa*, id est, *Dominus ibidem.*

Connexio cum Civitate Ezechielis.

Conclusio Visionum Apocalypseos.

Colligamus epitomen ex Apoc. 21. & 22. breviter descriptam. Locus est, Societas Angelorum & hominum Sanctorum, habitaculum DEI cum illis. Ubi murus ex lapidibus pretiosis; portæ ex margaritis; platea ex auro pellucido ut crystallus: varietas lapidum pretiosorum & margaritarum: forma ædificii perfecta, cum optima dimensione. Claritas DEI ipsa est quæ visa Beatificat animam, assimilat & unit ei quem videt Beato. Hinc Fluvius voluptatis, id est, gaudium quo perfunduntur omnes vires animæ: & redundat in Beatitudinem corporis: cui immortalitas perpetuò nova, ligni vitæ fructus, & folia sanitas. Con-regnatio in sæcula æterna, uno æterno die. Cernitur

Prohibetur signare: Secus quam Daniel.

nitur

nitur in Spiritu à mortalibus, in monte magno & alio: & respondebit Fidei, visio; Charitati, Amor Beatificus; Timori sancto & tristitiæ sanctæ, quæ Spem comitantur, Fluvius voluptatis; corporali mortificationi, Immortalitas.

Conclusio Visionum Apocalypseos.

3. Pergit Angelus (v.6.&c.) & concludit non solam Visionem de Civitate, sed etiam Apocalypsin: HÆC, inquiens VERBA, id est res verbis Apocalypseos prophetatæ, *fidelissimè* implenda SUNT, & apud homines credenda interim ut VERA. DEUS siquidem, ille omnis *prophetiæ* auctor & inspirator MISIT ANGELUM qui hæc *ostenderet* SERVIS SUIS certissimò & CITO eventura. Et hoc symbolum ejus: VENIO VELOCITER: BEATUS is cui *prophetia* HUJUS LIBRI fuerit cordi.

Hactenus quæ AUDIVI ET VIDI EGO JOANNES. qui ad audita verba, quibus dicebatur, *Ecce venio velociter*, cecidi adoraturus latriâ: sed prohibitus sum eâdem iterum ratione quâ sup. cap. 19. v. 10.

## §. III.

### *Epilogus Apocalypseos.*

Prohibetur signare:

Secus quàm Daniel.

1. JAmque Angelus, suo perfunctus officio dictandi dicendíque, vetat ab Joanne *signari prophetiam* LIBRI HUJUS (v. 10.) contrà quàm Daniel jussus fuerat signare suam prophetiam; Dan. 8. 26. *Tu ergo*, ait, *Visionem signa, quia post multos dies erit.* & cap. 12. v. 4. *Signa Librum, usque ad tempus statutum: plurimi pertransibunt.* & interroganti ulterius Danieli dicitur; v. 9. *Vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad præfinitum tempus.* Est autem contraria hìc ratio: & ideò NE SIGNAVERIS, inquit Apocalypsis, TEMPUS ENIM PROPE EST.

Et verò, dum hoc nos post sæcula transacta legimus aut scribimus, plerisque jam impletis, prope est ut absolvatur, ac breve admodum ante Antichristum & finem mundi superest spatium temporis. Ergo in tàm brevi tempore, cuique suum est, inquit Angelus v. 11. arbitrium liberum: ut vel NOCEAT ET SORDESCAT ADHUC in sceleribus: vel cum DEI gratia, quæ offertur, crescat in adepta *justitia* & *sanctitate*. Eccli. 15. v. 17. *apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.*

2. His dictis utitur per prosopopœiam verbis Christi admonentis: Equidem

quidem (v. 12.) VENIO CITO; adventus meus ad Judicium erit celer: ET MERCES UNICUIQUE SECUNDUM OPERA SUA. De celeritate Adventus ultimi S. Augustinus ep. 80. ad Hesychium: *Quantò magis nunc dicendum est propinquare Domini adventum, quando tantus est ad finem factus accessus!* Continuat Joannes prosopopœiam cœptam: EGO

A & Ω. SUM α à quo cœpit hæc Scriptura Apocalypseos, ET ejusdem omniúmque Scripturarum ω: PRINCIPIUM Beatitudinis per gratiam, ET FINIS per gloriam. BEATI QUI, dum tempus est, LAVANT STOLAS SUAS & emundant IN SANGUINE AGNI: Eodem recidit, quod habet græcum autographum: μακάριοι οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, hoc

Beati cives. est, *Beati qui faciunt mandata ejus: ut* illis jus SIT ad *Lignum* VITÆ, & *introitus Civitatis* PER PORTAS; Apostolos qui exhibent lavacrum Christi & exigunt observantiam mandatorum ejus. Nam venientibus in veste illota & non nuptiali, vel iis qui neglexerunt mandata ejus non competit hujuscemodi jus. CANES certè, hi qui vel infideles (Matth.

Foris canes. 15. v. 26. vel qui è Christianis revertuntur *ad vomitum suum* (2. Pet. 2. v. 22. ex Prov. 26. v. 11.) & quicunque alii scelerati, ET OMNIS hypocrita, is est enim QUI AMAT ET FACIT MENDACIUM; arcebuntur Regno DEI & FORIS ringentur: illos nec honestissimus quisque mortalium adnumeret suis domesticis, nedum DEUS inter suos cooptet! EGO JESUS per ANGELUM à me *missum testificor* vobis HÆC Episcopis, & ECCLESIIS vestris: qui SUM RADIX simul ET GENUS DAVID; radix ut Dominus, progenies ut filius Davidis Matth. 22. v. 45. & STELLA MATUTINA, omnium prima stellarum, id est Episcoporum, unde omnis *splendor* Ecclesiis.

Et radix est & progenies.

3. Cætera (v. 17. & seqq.) sunt Joannis exhortantis: qui tria præstat. Primùm suggerit ac præit verba desiderii super adventu, & super sitienda hauriendáque gratuitò aquâ vitæ beatæ. SPIRITUS, inquit, sanctus cum *gemitibus inenarrabilibus* quibus postulat, Rom. 8. v. 26. ET SPONSA Christi Ecclesia illo prædita Spiritu, DICUNT VENI. ET QUI illum & hanc AUDIT, DICAT; VENI: *similem* se monstret *hominibus expectantibus* cum desiderio *Dominum suum* venturum; à quo satietur *cum apparuerit gloria* ejus & potetur *torrente voluptatis* æternæ. Hunc QUI SITIT (fontem aquæ vitæ; Joan. 4. v. 14. & Joan. 7. v. 34.) VENIAT etiam ipse in occursum advenientis: ET QUI VULT, hoc est enim sitire quod ardenter velle, ACCIPIAT AQUAM VITÆ GRATIS.

Votum adventus Domini.

Deinde *contestatur*, cum comminatione, ut ne quisquam addat aut demat huic Libro ab se scripto, delendus DE LIBRO VITÆ cujus hîc facta est mentio, & de Civitate hac sanctâ,

Contestatio de Libro.

ſanctâ, illiúſve conſortio. Ita DICIT QUI TESTIMONIUM PERHIBET ISTORUM, Joannes *qui* ut dicebatur initio Apocalypſeos v. 2. *teſtimonium perhibuit*, qui & *vidit* iſta : & quia is accepit ſibi oſtenſa per Angelum miſſum à Chriſto, ideò ſimul eſt, ut ibidem addebatur, *teſtimonium* JESU *Chriſti*.

Denique ratificationem Chriſti adducit, id quod conteſtatus fuerat Joannes, approbantis per voculam, ETIAM : & aſſeverationi additæ, VENIO CITO, reſpondet; AMEN, VENI. Multùm huic contraria eſt vox animæ adulteræ, ne veniat : caſtæ enim & fidelis animæ eſt ne tardet venire. Juxta ſimilitudinem quam affert S. Auguſtinus in pſal. 127. *Pone*, ait, *aliquam fœminam caſtam; timentem virum : aliam pone adulteram; & ipſa timet virum. Caſta timet, ne diſcedat vir : adultera, ne veniat. Quid ſi ambo abſentes ſunt? Illa ne veniat : illa ne tardet.* Applicat adventui Chriſti: *Abſens eſt quodammodo cui deſponſati ſumus : abſens eſt qui nobis arrham dedit Spiritum ſanctum : abſens eſt qui nos redemit ſanguine ſuo : Sponſus eſt ille quo nihil eſt pulchrius : Pulcher eſt ille & abſens eſt. Interroget ſe ſponſa ſi caſta eſt : Interroga conſcientiam tuam : vis ut veniat, an adhuc vis ut tardet? Quàm multi ſi dicatur illis, Ecce jam Chriſtus, cras dies Judicii, non dicunt, utinam veniat! qui enim dicunt, multum amant; timent ne tardet : Caſtus ergo timor, fratres mei, hoc habet, quia venit de amore.* Hæc Auguſtinus.

Vox caſta eſt, veni.


Vale pie Lector : in hoc amore & in hac voce (cui, quæſo te, aſſueſcamus) tota noſtra poſita eſt ſalus à Judice : Veniat *Dominus* JESUS & inveniat nos amantes ac dicentes ſibi, VENI : etenim cum immarceſſibili corona, quam reddet *iis qui diligunt adventum ejus* (2.Tim.4.v.8.)

Gratia.

Omnibus Joannes peractis, ut unde duxerat initium ſcribendi Apoc. 1. v. 4. inde eodémque voto terminet (v. 22.) precatur iis quibus ſcripſit *gratiam* ejuſdem. Precemur à DEO *omnis gratiæ* (1. Pet.

(1. Pet. 5. v. 10.) etiam nos qui hæc legimus, & animo: & ſit hoc votum noſtrum in terris; ac finis legendi: GRATIA, quod eſt ſemen Beatitudinis & gloriæ, DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI ſit CUM OMNIBUS *nobis*.
AMEN.

# FINIS APOCALYPSEOS.



CATA-

# CATALOGUS
## RERUM ECCLESIASTICARUM.
QUÆ

In Libro Revelationum ad Ecclesias ac nominatim eas quæ sunt Asiæ, maximè omnium memorabiles, id est, præ cæteris commemorandæ fuerunt: Pars jam facta, dilucidè, usque in sæculum 17. Christianum: Pars facienda superest, ante finem mundi. quarum proinde rerum prædictio hieroglyphica Lectori Apocalypseos & explicatori fuit eruenda.

## IN PRIMA PARTE APOCALYPSEOS.
### REFERUNTUR OMNIA AD AGNUM SPONSUM.

PRimò PROPHETANTUR ea quæ jam facta sunt, (dum hæc scribimus) maximè celebria: pertinentia ad Ecclesias Agni.

OPpugnatio prædicationis Christianæ per { Judæos: Hæreticos: Gentiles.

MOrs pretiosa Martyrum, statim ab initio persecutionum istarum. cui contraria est mors persecutorum pessima & Judicium durissimum.

EXtraordinarius decennis conatus Imperatorum Occidentalis & Orientalis conſpirantium ad evertendum Chriſtianiſmum: qui turbo latiſsimè omnium concuſsit Eccleſiam à quatuor ventis:

PAlmæ Martyrum & Confeſſorum, qui innumerabiles.

QUies repentina & pax ab ethnicis; medioque hoc tempore dilatatio Eccleſiæ & cultus Chriſtiani.

PER hoc ſpatium quietis medium, inſurgere ac terrere alia mala invicem ſuccedentia. Ad quæ propulſanda ſignum dari per tubas Eccleſiæ: id eſt per Concilia illius univerſalia : per & Doctores ejusdem; per & fundationes Ordinum contrà docentium verbo & exemplo.

MAla illa ſunt hæc ordine:

Archihæreſes capitales; quarum duæ præcipuè invaluerunt in Oriente, & ambæ tertiam partem Univerſalis Eccleſiæ corruperunt: videlicet,

ARianiſmus in materia TRINITATIS:

NEſtorii cum Eutychete conflictus in materia perſonæ & naturarum CHRISTI.

SChiſma Orientale cœptum Conſtantinopoli: & propagatum in cæteros Patriarchatus Orientis.

PRolapſus & defectio Eccleſiarum Orientis in errores à Fide.

VA-

VAcillatio interea Imperii Christiani, quod est Væ Orientalis Aquilæ trepidantis.

SUccessio Turcarum in Sedem & Imperium Christianum: simul doctrinæ Mahometicæ dominatus: captivitas & jugum Christianorum, conjunctum cum periculo animarum & jactura Ecclesiarum.

Secundò, Futura impendentia hæc prophetantur:

SOlutio & potestas novissima Dæmonum, cœptura ab Euphrate: & introductura Imperium Antichristianum:

De hoc Imperio deglutiuntur, id est ruditer commemorantur in fine hujus partis Apocalypseos (ac differuntur in secundam partem in qua iterum de his prophetetur & latius:)

ANgustia Ecclesiæ illorum temporum per 3½. annos.

DUorum Testium ad Judæos prædicatio miraculosa: Clades Antichristianorum.

JUdæorum conversio.

POst quæ imminet Tuba novissima Judicii extremi.

## IN SECUNDA PARTE APOCALYPSEOS.

### REFERUNTUR OMNIA AD MULIEREM SPONSAM.

PROPHETANTUR ITERUM, ET à CAPITE:

INimicitiæ inter antiquum Serpentem; ac Mulierem Ecclesiam Christi teneram, parturientem:

PArturitio hæc eſt Gentium Chriſtianorum : & partus maſculus.

OPpoſitio Draconis & prælium : in quo clades Draconis & Angelorum ejus ſub præſidio S. Michaëlis : & victoria Martyrum in perſecutionibus.

TRepidantis Eccleſiæ mira exaltatio; & Imperium utrumque cùm Occidentis tùm Orientis penes Chriſtianos : converſis utrobique Gentilibus paſsim.

FLumen Hæreſum, quarum vis præcipua emoritur & conſepelitur cum ſuis Hæreſiarchis & fautoribus potentioribus.

BEſtia prior, Imperium Turcarum ; quod præparat adventum poſteriori Imperio Antichriſti uſurpaturi & aucturi poteſtatem prioris, cum Imagine & prodigiis mendacibus : ipſum erit Beſtia poſterior.

NON deſunt Eccleſiæ , qui præluceant in ea cæteris ; Status tres eximii : Virgines : Doctores : Martyres. quorum VIrginibus ſuus honos non ſe inquinaſſe cum mulieribus, & prærogativa ſequendi Agnum & canendi : Doctoribus præcellentia Angelorum; etenim horum fuit obiiſſe munus Angelicum , evangelizando Evangelium æternum; ruinam Babylonis; & damnationem adoratorum Beſtiæ : MArtyribus ſua eminentia Beatitudinis commorientium Domino,

mino, & illicò ad Beatam requiem aſſumptorum.

INveteratio malorum, quæ ſuprà cœperant proclamari Tubis. 1. Adhuc enim vulnus Arianiſmi recruduit in mediterraneis. 2. Et adhuc contaminatione Neſtorio-Eutychianâ infecti ſunt maritimi populi. 3. Schiſma pertinax: ſignum juſtæ vindictæ profectæ ab Altari. 4. Solis, id eſt doctrinæ orthodoxæ, intemperies maligna: æſtuatio Eccleſiarum Orientalium in erroribus de Divinitate quæ blaſphematur. 5. Regnum Beſtiæ in tenebris: & dolore quem infert. 6. Ab Euphrate via Antichriſto cum ſuis: apparatus communis ad bellum & congregatio adverſus Eccleſiam, ipſimet Antichriſto fatalis.

CIneres Civitatis Imperatoriæ apoſtatricis: & combuſtio æterna ſecutura. Planctus ſuper eam habitatorum terræ: at exultatio cœleſtium.

EXpectatio nuptiarum Agni, & adornatio Nuptæ.

CHriſti & exercitus ei militantis victoria: plenáque reductio gentis Judæorum ad fidem Chriſti.

DAmnatio amborum Beſtiæ & Antichriſti ad ſtagnum ardens: Quò mittetur & Draco, is qui poſt mille

mille annos religationis fuerat ſolutus & ſupremus auctor omnis ſeductionis.

SImul & conſummatio mundi ( quanto poſt Antichriſtum intervallo temporis , latet ) ac Judicium mortuorum : his qui ad mortem ſecundam, vel qui in Libro Vitæ.

MUtatio Cœli & terræ in formam novam , antiquâ pereunte.

DEſcriptio Civitatis Beatæ, quæ eadem eſt Uxor Agni. Et in ea Civitate cohabitatio Dei cum hominibus. Introitus gentium in illam honorabilium , nec ullius inquinati. Sedes Dei & Agni. & ſervi ejus una omnes Reges in ſæcula ſæculorum.



INI-

# INITIUM S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM.

## CUM SUCCINCTO COMMENTARIOLO; DIVISO IN TRES SECTIONES, SIVE IN NOVEM PARAGRAPHOS.

## PRÆFATIUNCULA.

*Oportet ut hoc Initium Evangelii sit præcipuè Mysteriis refertum cùm sancta Ecclesia illud prælegat passim; nec desint Fideles qui piè appendant illud collo, aut secum gestent. Aperiat nobis* DEUS *sensum: Domine,* DA MIHI INTELLECTUM.

# SECTIO I.

## *De Mysteriis Personarum Divinarum.*

Patere te rapi omni procul terrenâ cogitatione in adyta SS. TRINITATIS, quæ tibi reserat fides hujus initii Evangelii.

### §. I.

### *Descriptio VERBI.*

*In Principio erat VERBUM: & VERBUM erat apud DEUM: & DEUS erat VERBUM.*

Inest vocibus singulis suum pondus.

1. ERAT productum ab æterno; ita ut de illo sit perpetuò dicere, Erat, & immutabiliter, ante sæcula.

Actione immanente IN suo PRINCIPIO à quo producitur: non sicut alia quæ ad extra efficiuntur.

Admirabili, Generatione: purissimâ

mâ enim tanquàm VERBI quod sibi intus generat qui dicit; consimillimum cogitationi progenerantis seu proferentis.

2. Erat APUD DEUM. Persona distincta à Generante: correlata ad eundem: inseparabilis ab illo: æqualis illi: subsistens juxta & æquè atque ille.

Nam in creatis quidem Verbum, quod formant in mente, est accidens vitale: sed in DEO, in quo nequit esse accidens ullum, est Substantia & consubsistens loquenti, ipsumque audiens. Quæ est præeminentia VERBI divini editi perfectissimâ locutione vitali.

3. DEUS ERAT VERBUM. Naturâ seu Deitate eâdem. Hæc enim etiam est præeminentia Generationis DEI solius, quòd qui generatur Alter quidem sit à Patre, sed de cætero totus unum naturâ & attributis, qui acceperit ipsummet Esse & vivere quod habet is qui generavit.

Quæ ecce est Generatio exactissima: quoniam omnis generatio viventis tendit ad alterum se producendum, communicando ei naturam quantum generans potest eandem: quòd si, ut in creatis, non possit eandem individuam, saltem specie dat eandem. Nulla proinde alia generatio univoca est ei qua gignitur hoc VERBUM: nulla æquè naturalis, neque tàm propriè dicta generatio, Filii naturalissimi omnium; utpote quæ à principio vitæ conjuncto in similitudinem sit omnium summam.

Et quidem sicut generatim omni est interno verbo commune, similitudinem esse intus expressam à dicente: Imagini quoque hoc commune, ut exhibeat ac repræsentet prototypon: Filio ut referat Patrem tanquàm alter ipse: Ita oportet ut perfectissimi sit VERBI, esse similitudinem omnimodis expressam: Imaginis perfectissimæ, repræsentare usquequaque suum Prototypon: Filii perfectissimè generati, sic prorsus referre Patrem, ut, præterquàm quòd sit alter & genitus, sit ipse omnino unum & id quod est Generans. Adeóque necessariò terminus divinæ Generationis est, quàm excellentissimè, simul VERBUM Patris, Imago Patris, & Filius.

Summa hujus paragraphi.

Ecce quid erat VERBUM æternè:

Productum Generatione ut VERBUM immanens:

Distinctum Personalitate:

Idem Divinitate.

## §. II.

## *Mentio* TRINITATIS.

*, Hoc erat in Principio apud DEUM.*

1. Absit ut repetitio sit otiosa, cùm dicitur: APUD DEUM. Sensus enim esto: Hæ duæ Personæ, HOC arcanum VERBUM IN suo intimo PRINCIPIO, ERANT ab æterno simul cum alia & APUD aliam tertiam, quæ etiam ipsa DEUS consors amborũ Patris & *Filii.*

Ita

Ita ut tres Personæ unus DEUS sint ab æterno & ad invicem referantur sibique correspondeant & convivant, inexplicabili distinctione simul & unitate.

Atque hoc erat consortium Trini & Unius ab æternitate: Patris, qui est Origo & producens perenniter; Filii, qui & productus & coævus; Utriusque horum Spiritus, qui & procedens ab ambobus & coæternus.

2. Quarum Personarum TRIUM (quod est Omnium, ut habet Philosophus: & est contubernium plenum, ut habent Canones) una est connaturalis Beatitudo, Majestas, æqualitas, amplexus Trium & circuminsessio seu inhabitatio singularum in singulis, ac familiaritas intima: incomprehensibilis humanis personis, digna Divinis: tota ad intra, ineffabilis ad extra:

3. Et varietas mutua (citra omnem mutationem:) dum Alia producendo exultat, videns se Patrem, id est, qui habeat Filium: Alia producitur & exultat æqualem se Patri: Ambo, Pater & Filius, conspirantes; ita ut qui Spirant sint DEUS, & qui Spiratur sit DEUS.

Ineffabili unitate communionis, & differentia Proprietatum. Pater innascibilis loquitur Filio, id est, communicat intelligentiam rerum omnium Filio nascenti & audienti. Filius simul & locutione progignitur, & est Persona quæ loquentem audit: Spiritus sanctus procedit internus velut motus amborum & impulsus sempiternus, at consubstantialis ambobus. Unaquæque Persona distincta ab Aliis; & Unaquæque in Aliâ, nusquàm enim magis quàm ubi est sua essentia, quæ est eadem in tribus: & quælibet Persona postulat atque in se certo modo continet Alias Personas tanquàm perfectiones & complementa sibi debita.

*Ego* inquit Filius, *in Patre*, ut Verbum in dicente: *& Pater in me* est, ut loquens in consubsistente VERBO: similiter & Spiritus sanctus ut amor in amante; & immanenter amans Pater ac Filius in consubsistente amore.

Quæ sunt ineffabilia, & soli DEO experta.

## §. III.

### *Commemoratio actionis in divinis.*

*, Hoc erat, inquit, in Principio apud* DEUM.

1. ASsertio est, ut diximus, de illo consortio Personarum. Simul & Responsio ad Quæstionem: quid ab æterno agebat DEUS.

Respondetur enim: Divinæ Personæ agebant in & erga invicem. Pater per Intellectum, unde Filius: Ambo Pater & Filius per Voluntatem, unde Spiritus sanctus. Pater ideò per Intellectum: quia quod producitur

est Verbum mentis paternæ; cujus progeneratio est actio Intellectus. Ambo illi per Voluntatem: quia qui producitur est Spiritus, id est, impulsus vitalis; cujus productio est actio Voluntatis.

Ergo Pater æternùm generans & loquens:

VERBUM nascens æternùm & audiens & repræsentans:

Persona tertia duorum intimam propensionem & conjunctionem exprimens æternùm.

Pater suâ locutione semel pronuntians omnia:

Istud repræsentatione suâ enuntians simul omnia:

Illa de utriusque Spiratione accipiens & consentiens & condelectans ob communia omnia.

2. Quærebas, quid ageret DEUS. Respondetur: actione actuosissimâ, immutabili, necessariâ; quæ est eadem ante sæcula & in sæcula: æternæ durationis, æterni fructus, & æternæ complacentiæ trium Personarum.

Generat, & Generatur:

Spirant, & Spiratur:

Locutio perpetua est, quæ propria est Patris:

Auditio perpetua est, quæ propria est Filii:

Utriusque inter se amoris est expressio perpetua, quæ propria est Spiritus sancti.

Divinè omnia & singula: perfectè omnia: & condignè, hoc est, adæquatè ipsi Principio à quo proceditur, nam & is qui producit, verè DEUS; & VERBUM quod pronuntiando producitur, verus DEUS; & amborum pondus inclinationis, seu Spiritus, DEUS sicut ambo.

3. Hæc intra se TRINITAS operosissima, & inter se jucundissimè conversans: sufficientissimâ sibi consociatione, ac super-beatâ, & perfectissimâ utpote trium:

Patris erga Filium:

Filii erga Patrem:

Utriusque erga Spiritum sui amborum.

Pater dans Filio & imprimens:

Filius è sinu Patris excipiens & exprimens:

Spiritus sanctus possidens ab utroque, & utrumque connectens & conglutinans indissolubili conjunctione agentium & nexu inter se ac secum ipso.

## AFFECTUS PIUS.

DUm hæc recitas verbis S. Joannis: adora mysterium: submitte intellectum, gaude super incomprehensibilitate DEI; & eâ, quæ græcè dicitur αὐτάρχεια, id est, quòd sibi sufficientissimus sit ab æterno.

# SECTIO II.

## *De opere Creationis & Redemptionis.*

§. I.

## §. I.

### *Creatio & lapsus Naturæ.*

*Omnia per ipsum facta sunt: & sine Ipso factum est nihil, quod factum est.*

1. OMNIA PER VERBUM, eáque bona valdè & benè FACTA SUNT: atque inprimis rationalis creatura omnis, Angeli & Homines; qui etiam conditi in statu supernaturalis gratiæ.

2. DEUS VERBUM factor est omnium: excepto peccato; quod non est inter illa omnia. quia propriè est nihil: & redegit facientes creaturas in nihilum supernaturalis gratiæ acceptæ; partem Angelicæ naturæ, & Humanam totam.

3. Cæterùm cùm sit NIHIL, illud tamen est ejusmodi QUOD etiam ipsum, quamvis nihilum, suo modo & verè (prô dolor) FACTUM EST: non per VERBUM, sed contra & SINE VERBO; puta, talis effectus qui sit defectus & culpa cujus non est auctor DEUS sed vetitor & vindex.

## §. II.

### *Reparatio futura.*

*In Ipso vita erat: & Vita erat Lux hominnm: & Lux in tenebris lucet: & tenebræ eam non comprehenderunt.*

1. VErùm IN IPSO VERBO solo Vita erat æterna, & potestas suscitandi ab interitu sempiterno id quod ceciderat.

ET ea VITA solorum Lux HOMINUM: ac, relictis Angelis peccatoribus in caligine perpetua, effulgens super genus humanum radius & decretum ac promissio instaurationis in VERBO!

Jámque IN TENEBRIS, quæ se expanderant super universam terram, cœperat per- LUCERE illa LUX, inter figuras & umbram veteris Legis; cùm Naturæ lumine, tùm scripti.

3. At TENEBRÆ NON COMPREHENDERUNT Lucem, quia tantæ erant ut nôllent eam capere: etenim dilexerunt homines magis tenebras quàm Lucem.

## §. III.

### *Missio Præcursoris.*

*Fuit homo missus à DEO, cui nomen erat Joannes: hic venit in*

*„in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine; ut omnes „crederent per illum. Non erat ille Lux, sed ut testimonium per- „hiberet de lumine.*

1. QUæ Lux ut ne diutius lateret sub umbris; ideò, præfinito tempore, palàm MISSUS FUIT HOMO A DEO, CUI NOMEN ERAT JOANNES, id est, Gratia: ut ipso nomine testaretur advenisse tempus non jam Naturæ tantùm, neque Legis quæ per Moysen data est, sed Gratiæ DEI.

2. HIC VENIT IN eum finem, ut TESTIMONIUM ferret DE adventu Lucis manifesto, quæ suo LUMINE ab se diffuso dispulsura esset tenebras mundi humani; UT OMNES CREDERENT PER ILLUM:

3. At non in illum tamen (hominem Joannem:) qui error significanter est coarguendus Judæorum, quia NON ILLE LUX, prout elegerant errare, SED UT TESTIMONIUM PERHIBERET DE LUMINE alterius in quem intendebat jam exortum & præsentem.

AFFECTUS PIUS.

INter recitandum subde te Creatori: eidem qui & ex nihilo peccati eruit te: abjice opera tenebrarum, & ambula in lumine Gratiæ ejus.

# SECTIO III.

## *De Personæ divinæ Incarnatione.*

### §. I.

### *Adventus in Mundum.*

*„Erat Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem „in hunc mundum. In mundo erat; & mundus per ipsum factus „est: & mundus eum non cognovit. In propria vênit: & sui „eum non receperunt.*

1. ERAT LUX VERA QUÆ ILLUMINAT OMNEM HOMINEM VENIENTEM IN HUNC MUNDUM. Venit enim unusquisque cum sua propria caligine cui originaliter involvitur, ita ut omni homini opus sit illuminari.

2. Utique IN MUNDO ERAT ut DEUS; ET MUNDUS PER IPSUM FACTUS EST: ut meritò debuerit ex iis quæ facta sunt cognosci Creator, Deitate suâ & Creatione. Sed enim MUNDUS EUM NON COGNOVIT.

3. Insu-

3. Insuper etiam VENIT ut Homo, atque IN sua PROPRIA, in terram & ad populum cui propriè & primò fuerat promissus & expectatus Redemptor seu Instaurator. ET ecce illi quamvis SUI EUM, cùm advenisset ac testimonium ei tale perhiberetur, NON RECEPERUNT!

## §. II.

### *Receptio in Mundo.*

, *Quotquot autem receperunt eum , dedit eis potestatem filios*
, *DEI fieri; his qui credunt in nomine ejus. qui non ex sangui-*
, *nibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri,*
, *sed ex DEO nati sunt.*

1. QUOTQUOT AUTEM, seu ex paucis reliquiis Judæorum, seu ex Gentilibus longè latéque, RECEPERUNT EUM, DEDIT EIS POTESTATEM FILIOS DEI FIERI; HIS QUI verè CREDUNT IN NOMINE EJUS, eâ fide quæ per charitatem operatur.

2. Porrò hæc professio fidei, & adoptio filiorum, donum DEI est. NON enim hi filii procreati EX SANGUINIBUS, peccato in quo nati sumus toti nos & cui obnoxii: NEQUE EX VOLUNTATE CARNIS, quæ corrupta est in sua propagine ac propensa ad malum concupiscendum: NEQUE EX VOLUNTATE VIRI, quæ impos & liberum arbitrium insufficiens:

3. SED EX DEO NATI SUNT, novâ per Christum & gratuitâ prorsus regeneratione; vi cujus nominantur Filii DEI & sunt.

## §. III.

### *Tota Oeconomia VERBI Incarnati.*

, *Et VERBUM caro factum est: & habitavit in nobis. Et*
, *vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, ple-*
, *num gratiæ & veritatis.*

1. ET ecce unde consequatur potestas, de qua dictum est, Filiorum DEI. ET enim ex quo Filius DEI DEUS factus est homo, consequens est ut homines fiant Filii DEI. debemus hoc acceptum ferre VERBO quod CARO FACTUM EST; per factam videlicet assumptionem, id est, hypostaticam unionem, Naturæ humanæ ad Personalitatem VERBI. ET HABITAVIT IN NOBIS; homo propter nos, his nobiscum in terris visus & conversatus: docendo nos magna: patrando inter nos mira: patiendo pro nobis ardua; similis nobis mortalis.

2. ET nos ſumus qui VIDIMUS GLORIAM EJUS: non ſoli tunc diſcipuli qui primi annuntiaverunt; ſed & nos poſteri quibus annuntiatum eſt, qui vidimus deinceps majora. gloriam quæ decebat UNIGENITUM naturalem A PATRE: clarificante eum per ſua miracula olim & prædicationem; per exaltationem in Cruce & copioſam Redemptionem; per & Reſurrectionem talem & Aſcenſionem; quæ viderunt iſti: per & ſequentia Signa & converſionem orbis, quam nos videmus & applaudimus.

3. PLENUM, nam ab ejus plenitudine manat in mundum redemptum ſeu inſtauratum, *GRATIÆ ET VERITATIS:* Gratiæ quidem, quæ omnibus ecce offertur: Veritatis, quæ omnibus annuntiatur in univerſo mundo.

## AFFECTUS PIUS.

QUi hæc recitas, compatere ingrato Mundo: exardeſce zelo filiorum DEI ac deſiderio adoptionis quàmplurimorum: profundiſſimè te inclina & immerge in abyſſum contemplationis & amoris Incarnati VERBI, & exurgens exulta de gloria illius.

## COROLLARIUM.

### *Quod & inſtar Indiculi.*

### Continentur in hoc Initio Evangelii.

1. Myſterium Perſonarum divinarum. —— *In Principio &c.*
2. Creatio, —— *Omnia per Ipſum &c.*
   & lapſus naturæ creatæ. —— *Sine Ipſo &c.*
3. Placitum reparationis humanæ. —— *In Ipſo Vita &c.*
4. Tempus vetus umbrarum. —— *Lux in tenebris &c.*
5. Tempus novum gratiæ, —— *Fuit homo &c.*
   Et officium Præcurſoris. —— *Hic venit &c.*
6. Judæorum ad horam exultatio vana.
   Et error in perſona Præcurſoris. —— *Non erat ille &c.*
7. In promptu ſalus omnibus hominibus. —— *Erat Lux vera &c.*
8. Quem Creatorem ſuum Mundus non agnôrat, —— *In Mundo erat &c.*
   Illum nec Redemptorem Judæi voluerunt. —— *In propria &c.*
9. Recipientibus adoptio in filios DEI, —— *Quotquot autem &c.*
   Per fidem in eum —— *His qui credunt &c.*
   Et regenerationem ex DEO gratis. —— *Qui non ex &c.*
10. Incarnatio VERBI.
   Et Converſatio in terris. —— *Et* VERBUM *caro &c.*
11. Gloria ejus manifeſta oculis omnium. —— *Et vidimus &c.*
12. Fructus ejus abundantia gratiæ,
   Et propagatio veritatis. —— *Plenum &c.*

## FINIS.